
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 B
9

AVGVSTINI HVNAEI

# DIALECTICA

*SEV,*


## GENERALIA LOGICES

PRAECEPTA OMNIA, QVAE-*cunq; præcipuè ex toto Aristotelis organo, ad ediscendum proponi consueuerunt. Primum quidē iuxta veterem translationem impressa, deinde ad Ioachimi Perionij & Nicolai Grouchij versionē accommodata, nunc verò plurimis in locis recognita, et ab erroribus non paucis repurgata.*

Diligenter vbique præceptionum VSV commonstrato.

Collg. Rom. Soc. Jes. Cat. inscr.






LOVANII,

*Apud Ioannem Bogardum, Sub Biblijs Aureis.*

ANNO M. D. LXVI.


# AVGVSTI-
## NVS HVNAEVS DISCI-
*pulis suis, Philosophiæ candidatis,*
*S. D. P.*

ETSI non ignorabã, adolescentes studiosi, plurimos de disserẽdi ratione secundũ Aristotelẽ doctissimè scripsisse, præclareq; de hoc studiorum genere meritos esse, me tamẽ ad scribendũ eadẽ de re, cũ aliæ nõ leues caussæ, tum meorũ amicorũ importunæ & quotidianę efflagitationes impulerũt.

Ita enim iudicabant: nullum prorsus auctorum, quos hactenus editos cernere licuerit: Aristotelis & ordinem & verba pro nostrarum consuetudine atque vsu scholarum satis secutum fuisse. Quæ caussa fuit cur antehac definitiones, diuisiones et regulas (quę generalia in primis scienda atque recitanda, vocare solent) Dialecticę Tyrones, quotannis non sine magno labore & temporis dispendio exscribere oportuerit.

Animaduersum insuper est plerosque sine iudicio deprauata aliorum hisce de rebus exemplaria, longè vitiosiùs imitatos fuisse. Tantum proinde incommodi diutius tole-





randum esse negarunt, præsertim quòd ea, quæ misera iuuentus tam corruptè scripserat, postea docentibus nobis, vel scientiam tentantibus, nihilo quàm scripserat reddere soleat meliùs, magno suo malo.

Quapropter partim amicorum efflagitationibus, partim etiam reipsa cõmoti, quæ à nobis pro ingenij nostri tenuitate ex Aristotele, non quidẽ argutè neq; subtiliter, at certè accuratè & fideliter succisiuis horis. (Nã statæ professioni Aristotelicæ quotidie destinantur) collecta sunt, ea nũc ad vestros labores subleuandos euulgamus: paucis quibusdam scholiorum loco, vel ad *VSVM* declarandum, breuiter adiectis, tum ex diuersis Græcorum Latinorumque (præsertim autẽ huius clarissimæ & orbe toto celebratæ Louaniensis Academiæ) commentarijs: tum etiam ex præstantissimis quibusq; Dialectices scriptoribus atq; Coryphæis, quibus omnibus in vnum congestis, quod quisque commodissimè præcipere videbatur, excerpsimus, & ex varijs probatissima quæq; delibauimus.

Hæ sunt caussæ, adolescentes studiosi, quamobrem has qualescunque minutias, ex quibus nihil laudis expetimus, nihil inanis aucu-

aucupamur gloriæ,primum congerere,fuerit animus,deinde Typographis etiam committere non dubitauerimus,vt elegantioribus typis emẽdatiùs illas in exemplaria aliquot,ad veſtros vſus transfunderent.

Vos igitur adoleſcẽtes humaniſsimi,quicquid noſtra hac opera de veteri laborioſiſsimo illo ſcribendi labore(quo diu multumq́; inutiliter torqueri ſolent alij ) vobis imminuitur,id omne,ſi temporis rationem habere vultis, habere autem ſemper debetis , in augmẽtum ſtudiorum atque exercitiorum, ſedulò cõuertite:& hanc minimè obſcuram mei erga vos amoris ſignificationem,benignis, vtì par eſt, accipite animis.

valete.

*Louanij ex Gymnaſio Caſtrenſi,Idibus Nouembr. 1552.*

*Quibus definitionibus,diuiſionibus,proprietatibus aut regulis hoc ſignum * præfixum videbis, meminiſſe debes eas Porphyrij eſſe aut Ariſtotelis,non Auctoris aut Interpretum.*

# DE VSV ATQVE NECESSItate LOGICES, Artis (teste Cicerone) omnium artium maximæ, sine qua sese tueri reliquæ disciplinæ omninò non possunt: ad studiosam iuuentutem

## PARAENESIS.

*Quis queat excelsi superare cacumina mõtis?*
*Quis iuga continget, ni prius ima petat?*
*Quis queat excelsas peragrare fideliter artes?*
*Ni sit in arguta prouidus arte satis?*
*Si diuina lubet, salebrosáve discere iura,*
*Si Medicina placet, suppeditabit opem.*
*Si iuuat à falsis discernere vera, perosum*
*Fucos & laqueos, hanc coluisse decet.*
*Lydius argentum lapis vt secernit & aurum,*
*Explorans vitium cuncta metalla notat:*
*Hæc quoque vestigat sic crebra indagine verum,*
*Quòd sua tutari cum ratione solet.*
*Hæc citò conuellit sinuosa sophismata quæq;,*
*Quæ struit hæreseôn perniciosa lues.*
*Prodigiosa quibus vastus contunditur orbis*
*Dogmata confutat, detegit atque dolos.*
*Ergo si pietas, si cura iuuenta salutis*
*Te tenet, huic operam nocte dieq; dabis.*

PETRVS

PETRVS MENSIVS V. I. LIcentiatus, beneuolo Lectori.



*Vtsquis voles compendio,*
*Dilucidè, fideliter*
*Ex ipso Aristotele edita*
*Dialectices cognoscere*
*Præcepta quæuis ordine,*
*Et illius pulcherrimum,*
*Quem hîc hactenus nemo addidit,*
*V S V M: legas, studiosius*
*Examines, circunferas*
*Tecum, domi, foris, manu*
*Verses diurna sedulò,*
*Versesq́; nocturna. breue*
*Opus hoc H V N Æ I & vtile,*
*Viri modis verè omnibus*
*Vtraq́; lingua maximi,*
*Tum Philosophi, tum Theologi,*
*His plura non libet addere,*
*Cum iure possem plurima,*
*Inseruientis gnauiter*
*Summo labore, industria*
*Summa, pariq́; gratia*
*Tyrunculorum commodis,*
*Qui liberalibus artibus*
*(His absque marcent cætera,*
*Florent per istas cætera)*
*Dum tempus atque ætas ferunt,*
*Animum student adiungere.*

*Quapropter oro consulas*
*Aequi boni, quod Palladis*
*Ex fertilissimo datur*
*Longeq; mellitissimo*
*Penu Schola Castrensium,*
*Quæ fert in astra verticem.*
*Quòd si nimis deterreat*
*Dialectices austeritas,*
*Auibus bonis hinc incipe,*
*Valebit ingenium tibi,*
*Quoquò voles intendere:*
*Nec pœnitebit postea*
*Cœpisse rem pulcherrimam.*
*Namq; aspera, horrida, tetrica*
*HVNAEVS ille sustulit,*
*Obscura fecit lucida,*
*Iniqua plana, ex optimis*
*Fide bona scriptoribus*
*Selectiora colligens,*
*Apes secutus sedulas.*
*Et si cui parum satis*
*Factum sit hîc, existimet*
*Rebus sat esse in arduis*
*Voluisse, vel præsentibus*
*Meliora det, si non, lubens*
*Vtatur his non inuidus.*
*Lege ergo, perlege, lectio*
*Fructum dabit cum fœnore.*

# DIALECTICAE IVXTA ORGANI *ARISTOTELICI ordinem digesta.*

PROOEMIVM.



Disserendi ratione͂,artem(vt in Bruto testatur Cicero) omniu͂ artium maxima͂ & quasi luce͂ cæterarum, Plato Dialecticé:Aristoteles &, teste Boëtio,veteres quoq; Peripatetici Logicen appellarunt: Et Cicero de Finibus.

*Est Logice(inquit)quam rationem disserendi voco.*

*Vnde dicitur Logica?*

Nome͂ Logices ἀπὸ του λόγου dicitur,quòd rationes,hoc est,argumenta suppeditet. Qua de causa non immeritò ars dici queat rationalis,etiamsi λογικὸν artium genus fusiùs pateat.

*Vnde dicta est Dialectica?*

Dicta ea de͂ quoq; ars est dialectica à διαλέγομαι,quod Latinis est disputo seu dissero, hoc est, placidè aliqua de re colloquor cum alio, collatis opinionibus & argumentis. Nam longè aliud διαλέγεσθαι est,qua͂ altercari & rixari:hæc enim inhonestæ rei sunt vocabula, illud rei honestissimæ.

*Quid est Dialectica?*

Iam explicatam Dialecticæ etymologiam respiciens Cicero,eam ad hunc modum definit:

*Dialectica est ars bene disserendi.*

Hoc est, ratio & via, rectè, ordinè & perspicuè, tum quærendi, tum respondendi, remque de qua quæritur, distinctè explicandi tanquam in colloquio aliquo, in quo, collatione argumentorum aliquid inuestigatur. Ideoq; diuinus ille Plato in Gorgia hęc scribit ἐπιστήμην εἶναι τοῦ δοῦναι καὶ ἀποδέξασθαι τοὺς λόγους, hoc est, sciētiam esse dādi & accipiēdi rationes. Quam qui non tenent, hi quantumlibet natura ingeniosi, frequenter in disputando de allijs interrogati (iuxta prouerbiū) de cæpis respondent.

Multum quidem valere fatemur naturę sagacitatem ad quęrendum, respondendum, & de quauis re disputandum: sed quotidiana exempla ostēdunt (quod quarto de bonorum & malorum Finibus asserit Cicero) artem esse ducem certiorem, quàm naturam. Illa suppeditat rationes certas, & quasdam quæ disserentem errare non patiuntur, ostendit vias: Hęc vaga est & in errorem prona, nisi arte regatur eiusq; præceptione veluti freno quodam ducatur Vt enim sine arte in canendo etiā hi sępe aberrant, quos natura ad Musicam finxit: ita in disserendo, disputandoq; qui arte duce non vtuntur, quantumlibet ingenio & naturę dexteritate pręstent, non raro tamen in errorē prolabuntur. Quemadmodum igitur Grammatica bene loquendi artem, & Rhetorica bene dicendi: Sic Dialectica bene disserendi, ac disputandi, cōmunem quandam omnibus disciplinis rationem ac viam demonstrant.

*Quot sunt Logicæ partes?*

Logi-

*Logica duas habet partes,* { *Inuentionem & Iudicium.* }

*Inuentio argumentum submimstrat, & materiam confirmandi thematis suppeditat.*

Hæc pars quia locos (qui sunt tãquam receptacula & sedes argumentorum) cõtinet, rectè à Græcis Τοπικὴ dicta est, aliàs etiam εὑρετικὴ appellata.

*Iudicium argumentum iam inuentum excutit, atque explorat.*

Græcè Κριτικὴ dicitur. Respondent etiam duabus hisce partibus, quæ ab Aristotele de Logica doctissimè sunt scripta: quãuis libros suos magis ad aliam quandam Logicæ diuisionem, quæ est in artẽ apodicticam & Dialecticam, accommodasse videri posit.

*Officia artis Logicæ quæ sunt?*

*Artis Logicæ præcipua officia sunt,* { *Obscura definire, Vniuersa diuidere, Argumẽtis* { *Vera cõfirmare, & refutare falsa.* } }

A quibus officijs Boetius, & ex eo pleriq; Neoterici, artis huius talẽ quoq; sumũt descriptionẽ:

*Dialectica est ars definiendi, diuidendi & argumentandi.*

Definimus autem, cùm aut nomen interpretamur, aut quid res sit, exponimus.

Diuidimus, cũ mẽbra aut partes enumeramus.

Argu-

Argumentamur, cùm aliam sententiam ex alia probare nitimur.

## *Quæ est materia Logices?*

Principale inter tria iam dicta munus Dialectici est argumentari: quod præcipuè in ratione disserendi spectatur: Idcirco huius artis materia siue subiectũ, aut (si Aristotelis vocem malis) ὑποκείμενον est argumentatio: quòd eò potissimũ præcepta omnia referantur, atq; adeò ipsa definitio & diuisio argumentationi seruiũt, quippe quæ ad argumentationis perspicuitatẽ sæpissime adhibeãtur, & his firmissima ducãtur argumenta.

Alijs magis placet quæstionẽ, Logices materiam, dici. Versatur enim omne Logici officiũ in explicãda quæstione. Explicatur enim per definitionẽ & diuisionẽ, quæ de voce simplici interrogatio est: vt, quid virtus? quas habeat illa partes? Per argumentationẽ verò, quæ de propositione est: vt, Sit ne pium bellare? Iure ne, an iniuria Cæsarem Brutus & Cassius occiderint?

## ADMONITIO.

Qui controuersiã hãc de materia Logices doctè & latè explicatam videre cupit, Rodolphum Agricolã 2 libro de Inuentione, capite sexto, ea de re ornatè & fusè differentem, sententiasq; iam dictas (explicata ambiguitate vocis materia) conciliantem, adeat.

Eundẽ is quoq; consulat, qui varijs significationibus subiecti gaudet, quas hîc inculcare barbari consueuere Recitat eas Rodolphus non sordide, decimo tertio capite libri primi. Nobis haud licet huiusmodi excutiendis modò immorari, qui ad

ad Aristotelis pręcepta properamus.

*Quis est Artis Logicæ finis & vsus.*

Vera à falsis discernere in omni sermone, de quacunq; habeatur materia, proprius est Logices finis.

***Ab hoc fine non ineptè Logicā esse dixeris organū seu instrumentum, quo adhibito exploratur percipiturq; quid sit verū & quid falsum in omni sermone.***

Vt igitur nullis inuoluamur erroribus, sed ex cunctis orationū labyrinthis facile nos expediamus, sola Dialectica tanquā Thesei filum exitum pręmonstrans, efficere potest.

Atq; illud est quod tertio de Finibus Cicero asseuerat: Dialectica habet rationem (inquiens) ne cui falsò assentiamur, néve vnquā captiosa probabilitate fallamur, eaq;, quę dicimus, vt tenere tueriq; possimus Nam sine hac arte quēuis arbitramur à verò abduci, falliq; posse. Hæc ille.

Vnde existimo neminem adeò cęcū esse, qui non videat hāc artem (quæ aliarum omnium disciplinarum instrumentum est, sine quo illę nec efficere quicquā, imò neque nomen suum tueri queunt) non modò vtilem esse literarum studiosis, verumetiam necessariam Quæ igitur est eorū dementia, qui sine instrumēto vera ac falsa dijudicandi ad altiores disciplinas properāt? Quę ignauia est, exiguum tempus illi non impendere, cùm homines illiterati in prophanis artibus sua sibi instrumēta tanto studio ac industria parent? Hāc Dialectices necessitatē, grauibus prætereà vetustissimorum scriptorū testimonijs comprobare

fuerit

fuerit facillimū. Sed quid opus est Soli alieno lumine? Qui huiusmodi desiderat, ea ab alijs copiosissimè congesta petat.

Interim vt studiosis adolescentibus magis prosimus, maximeq; gratificemur, qui de VSV Logices suæ rogati, solent frequenter cum rubore obmutescere, non grauabimur singulis ferme dialecticis præceptis suos ascribere vsus.

*Quod est inter Logicam & Rhetoricam discrimen?*

Adeò vicinę sunt, adeò arcto societatis vinculo continentur artes hæ, vt ægre à discentibus separari queant. Nunquam enim Rhetoricen sine Logica, nunquam Logices vsum (neque enim satis est præcepta degustasse, etsi hoc quoque prodest) sine Rhetorica perfecte cognoueris: rectiusque simul ambas exercueris, quam seorsum Dialecticā: Rhetorica exercitatione (vt hodie à quibusdam pessime fit, maximoq; studiorum detrimento) in totū neglecta. Adeò deniq; inter se sunt similes, vt vix differentia posit deprehendi.

Hinc Zeno Stoicus, vtranq; coniungens artem vt in secundo de Finibns bonorum & malorum libro, item in Oratore ad Brutum Cicero, & post Ciceronem in Institutionibus suis libro secundo Quintilianus refert) vna eademque manu demōstrare solebat, quid inter Dialecticam & Rhetoricam interesset: Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicens, quod latiùs loquerentur Rhetores, Dialectici autem contractius. Quodque Dialectica contenta sit docere, & rei dubiæ fidem facere: Rhetorica autem præter fidem etiam motus animorum spectet, delectando & concitando.

Hoc

Hoc igitur discrimē illustre & verum est, quod Aristoteles, & ex Aristotele Cicero his verbis expressit.

*Aristoteles in principio artis Rhetoricæ dicit illam artem, quasi ex altera parte respōdere Dialectica, vt hoc videlicet differant inter se, quòd hæc dicēdi ratio latior sit, illa loquendi contractior.*

Hoc est, Logica (quę teste Alexādro Aphrodisiensi, circa res omnes quæ in disputationem incidere possunt, versatur: ex alijs quidē artibus ipsarum rerum cognitionem petendam relinquens, sed viam ac rationem eas tractandi sibi assumens) rerum duntaxat summa capita proprijs verbis nude proponit. Sed Rhetorica addit ornatum in his materijs, quę orationis copia & splēdore illustrari, & variè depingi possunt.

Sunt enim materię quædam quę istiusmodi ornatus Rhetorici minimè sunt capaces: quēadmodum tum in demonstrationibus Geometricis, tū etiam in docēda re, potissimum obscura, ferè necessarium est.

Sed in materijs moralibus locum habent illa verborum & figurarum lumina, quibus excitandi sunt auditores, & in vna sententia cogitanda diu retinendi, aut etiam velut fulminibus verborum terrendi & impellendi.

*Exemplo aliquo luculento discrimen hoc ostende.*

Pro Milone, cū Logico siue Dialectico suffecisset dicere, lege naturæ, vim vi repellere cōcessum est. Cicero hāc propositionem multis verbis illustrauit: Est ergo (inquit) hæc, Iudices non scripta,

pta,ſed nata lex,quam non didicimus,accepimus legimus,verùm ex natura ipſa arripuimus,hauſimus,etc.

Hic eloquendi ſplendor,proprius eſt Rhetorices. Exempla plurima vbique obuia ſunt.

## Epilogus.

Hęc de nomine,& deſcriptione huius artis, de partibus,officijs,materia,vſu deniq; ac fine,illoque diſcrimine,quo à Rhetorica differt, breuiter dicta ſufficiant. Nunc pręcepta organi Ariſtotelici aggrediamur,& ea quæ in vſu ſcholarũ maxime ſunt trita,quæq́; in primis ad Ariſtotelẽ omnis ætatis philoſophorum facile principem rectè intelligendum neceſſaria iudicantur,quanta fieri poteſt & breuitate & perſpicuitate declaremus,eadem quã Ariſtoteles & Porphyrius ſecuti ſunt,vbique diligenter ſeruata ordinis ratione.

# LOGICES

## LIBER PRIMVS.

### Quinq; voces Porphyrij explicans, quę vulgò Prædicabilia & Vniuersalia vocantur.

POrphyrius tradit quinque voces, id est, vocum gradus, qui sunt velut tituli communium vocabulorũ omniũ, quęcunq; in oratione sibi cognatis affinibusq; explicandis attribuuntur. Hos titulos Latini vulgò Prædicabilia vocant à prædicando, quia indicant quæ vox de qua commodè dici possit. Appellantur & Vniuersalia.

A Gręcis κατηγορούμενα dicũtur, ἀπὸ τοῦ κατηγορεῖν. Nã etsi κατηγορέω vsitatè significat accuso, tamẽ etiam in genere significat aliquid de alio commemoro Et fortasis huiusmodi vocabula primùm ex forensibus contentionibus ad Logicen translata sunt, vt cùm dico: Verres est fur. Nomen furis eo loco positum, est quiddã de Verre commemoratũ, quod vocat Porphyrius Συμβεβηκὸς, Latinè Accidens. Sic cùm de homine dicimus: Homo est animal rationis particeps, capax disciplinæ: plura de homine commemoramus. quæ omnia ad hos vocum gradus aptissime referuntur: animal videlicet, ad genus: rationis particeps, ad differẽtiã: et capax disciplinæ, ad propriũ.

*Quid est vniuersale?*

* Vniuersale est, vox simplex quæ de multis synonimôs dici potest.

Vt animal de homine & bestia eadem ratione prædicatur, idq; in his propositionibus: Homo est animal. Bestia est animal. Similiter bestia de equo leone, ceruo, &c.

*Cur nō potest indiuiduū, vniuersale vocari?*

Indiuiduum quod Græci ἄτομον dicunt, quia de multis non nisi homonymôs fortè & in diuersa significatione prædicatur, vniuersale appellari non debet.

*Vniuersalia quot sunt?*

* Quinq;: Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.

Hæc quinq; vniuersalia ostendunt, quæ voces quomodo alijs attribuantur, vt infra ex præceptis & cùm eorum vtilitatem exponemus, clarius intelligetur.

## DE GENERE.

*Recita tres modos & significationes generis ex Porphyrio.*

* GEnus vno modo dicitur aliquorū, & qui ad vnū quiddā, & qui inter se se quodāmodo affecti sunt, & cognatione quadā coniuncti, multitudo.

Vt filij, comparatione parentis. Itemq; conterranei, si ad patriam conferantur.

Illud

Illud vnum quiddam, parens est, vel patria.
Affecti ad vnū quiddā, sunt filij vel cōterranei.

* Altero modo dicitur genus, vnde alicui ortus principium est, siue ab eo qui genuit, siue ab eo loco in quo quisq; ortus est.

Hoc est, Genus etiam significat principiū eorum hominum qui producti sunt, quod principium parens est qui genuit, vel locus in quo quis productus est. Sic pater principium est filiorū: patria, conterraneorum, & ciuium,

* Tertiò modo genus appellatur, id cui subijcitur species,

Vt animal: sub animali enim homo collocatur.

*Quis est harum significationum vsus?*

Vt ὁμωνυμίαμ, & ambiguitatē vocis declararet Porphyrius. Neq; tamen omnes acceptiones adhibuit, (sunt enim longe plures) sed eas duntaxat, quarum similitudine genus logicū magis poterit innotescere. Duæ enim priores significationes quæ vulgares sunt, & Grammaticæ, huiusmodi sunt vt illarum comparatione tertiam, quæ Logica est, clarius intelligamus.

*Declara similitudinem generis Logici cū genere primæ acceptionis.*

Quemadmodum genus in prima significatione sumptum, plures homines ab eadem stirpe propagatos, aut eadem in patria natos designat: ita genus Logicū plurimas sub se cōprehēdit species.

*Declara similitudinem generis logici cū genere secundæ acceptionis.*

Conueniūt in generali ratione quadā principij.

B 2 Vtrun-

Vtrunque enim principium eſt quoddam eorum, quorum genus eſt.

*Recita definitionem generis Dialectici.*

* Genus eſt, quod de multis ſpecie autem differentibus dicitur, cùm quid quidque ſit, quæritur.

Vt animal de homine & bruto. Color de albedine & nigredine.

*Quæ dicuntur differre ſpecie?*

Species diuerſæ.

*Quid eſt dici cùm quid quidq; ſit quæritur.*

Eſt reſponderi ad quæſtionem per quid inſtitutam.

*Quis eſt vſus generis?*

Genus, præterquam quòd ad definitionem, diuiſionem, demonſtrationem, & Ariſtotelis κατηγορίας conducit, (vt in pręfatione ſua Porphyrius docet de ſingulis quinque vniuerſalibus) etia ad copiam ſermonis cōfert plurimum. Genus enim, quod multa ſuo ambitu complectitur, in partes ſeu ſpecies ſi ſpargas, (vt virtutem in liberalitatem, iuſtitiam, prudentiam, fortudinem, reliquaſq; virtutes,) copioſior hac ratione reddetur oratio.

## DE SPECIE.

VT priùs generis, ſic nunc & ſpeciei (ὁμωνυμίας, & ambiguitatis tollendæ cauſa) aliquot ponit Porphyrius acceptiones, duas nimirum, alteram ciuilem ſeu Grammaticam, alteram Logi-

Logicam, inter se nonnullā habētes similitudinē.

*Recita duas acceptiones speciei.*

PRIOR ACCEPTIO EST.

* Species dicitur vniuscuiusq; forma.

Vnde formosos speciosos dicimus.

POSTERIOR ACCEPTIO.

* Vocatur etiam id species, quod subest generi.

Sic homo species, animali subest. Rursus animal (licet alias genus sit) hic etiam species dicitur cùm subsit corpori animato.

*Quis est harum acceptionum vsus?*

Prior conducit ad melius intelligendam ex illius collatione, speciem Logicam.

*Quæ est similitudo speciei logicæ cum ciuili?*

Quemadmodum species ciuilis suorum subiectorum omnium pulchritudinem complectitur, sic & species logica omnem generis ornatum seu perfectionem continet: & si quidem infima fuerit, etiam totam suorum indiuiduorum continet essentiam, & naturam.

*Recita triplicem speciei logicæ definitionem.*

PRIMA EST.

* Species id est, quod generi subijcitur.


Vt homo animali: nigror colori.

Verbis vix differt hæc, à secunda acceptione, sensu nihil omninò: sicut nec sequens.

*Quid est speciem generi subijci?*

Nihil aliud, quam genus de specie dici, cùm quid quidq; sit quæritur.





* Species eſt,de qua genus in quæſtione qua quidq; ſit quæritur,dicitur.

Vt homo:Quia animal de homine prædicatur in quæſtione naturæ;appoſitè enim reſpondetur ad quæſtionem quá quæritur,quid homo ſit,

*Monitio.*

Hæ priores duę definitiones dantur de ſpecie (quam vocant)ſubijcibili,ſiue ſit prædicabilis & infima,ſiue non ſit.

*Vnde hîc aduerte.*

| | | |
|---|---|---|
| Eſt ſpecies quędam | Subijcibilis,& non prædicabilis,vt animal. | |
| | Prædicabilis | & non ſubijcibilis, vt rationale. |
| | | & ſubijcibilis ſimul vt homo. |

TERTIA QVAE EST SOlius ſpeciei prædicabilis.

* Species eſt,quod de multis numero differentibus dicitur,in quæſtione qua rei natura exquiritur.

Vt,homo de ſingulis hominibus dicitur.

*Quænam dicuntur differre numero?*

Diuerſa indiuidua eiuſdem naturæ, vt Socrates & Plato.

*Speciei logicæ quis eſt vſus?*

Logicæ ſpecies præterquam quòd ad definitionem,diuiſionem,etc.ſicut genus, conducunt, etiam conferunt ad tollendam generis confuſionem.

nem. Si prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, tollunt confusam & sparsam significandi ratione, quæ est in genere (virtus.) Cognita enim natura specierum, simul etiam cognoscitur natura generis.

*Quomodo diuiditur genus?*

* Porphyrius genus diuidit in { Summū, Græce γενικώτατον / Et mediū, Græce ὑπάλληλον.

*Quomodo diuiditur species?*

* Speciem diuidit Porphyrius in. { Mediam, / & Infimam.

*Recita summi generis duas definitiones ex Porphyrio.*

PRIOR EST ISTA.

* Genus summum est, quod cùm genus sit, non est species.

Hoc est, genus summum est, quod genus quidem est, sed non species. ¶ Species in definitione pro subijcibili accipienda est: alioqui enim, si pro prædicabili sumatur, animal erit genus summū.

ALTERA

* Primum seu summum genus est, cuius aliud genus esse nullum potest.

Aliud genus, seu vt Græcis est ἐπαναβεβηκὸς superueniēs genus, est genus superius, quod de altero in quæstione naturæ prædicatur. Non sunt ergo quale, quantum, & similia, genera alia aut superuenientia ad substantiam collata.

*Summa genera quot sunt?*

Decẽ vulgo genera summa recensentur, quę & Prædicamenta vocantur.

- Substantia
- Quantitas
- Qualitas
- Relata
- Actio
- Passio
- Vbi
- Quando
- Situs &
- Habitus

*Recita tres infimæ speciei definitiones.*

PRIMA EST.

* Infima species est, quod sic species est, vt non etiam genus sit.

ALTERA.

* Species infima est, quod ita species est, vt in species diuidi nullo modo queat.

Hæc ab infima specie negat quandam generi conditionem. Proprium enim generi est, in multas diuidi species.

TERTIA.

* Species demum extrema est, quod de multis ijsque numero differentibus dicitur, cùm rei natura quærendo inuestigatur.

Hæc omninò ipsi speciei infimæ impropria est. Neq; enim naturã eius vt infima est, exponit: sic enim respicit genera superiora, quibus inferior & specialior ipsa est: sed quatenus dicitur de indiuiduis, quibus est superior.

Tota

Tota autem manifesta est ex speciei prædicabilis definitione, nisi quòd pro genere definiti hîc constitutum volunt vniuersale, vt vocant, prædicamentale, seu quod categoria aliqua continetur, sicut in omnibus prioribus infimæ speciei, & prætereà summi generis definitionibus, nec tamen requiri.

*Quomodo interiecta vel subalterna definiuntur.*

Definiuntur subalterna (genera intellige media, & medias species) in hunc modum.

* Genera ὑπάλληλα, hoc est, subalterna, seu interiecta sunt, quorum vnumquodq; & genus & species esse potest, si ad aliud & aliud comparetur.

Vt corpus, corpus animatum, & animal, genera sunt inferiorum, vtpotè hominis & bestię, species verò si ad substantiam comparentur.

Vt manifestè videas in hoc schemate, ab vno genere summo, ad infimam speciem vnam, deducto.

| | |
|---|---|
| GENVS SVMMVM. | Substantia. |
| INTERMEDIA | Corpus<br>Corpus animatum<br>Animal. |
| SPECIES IMA. | Homo. |

Sub quo nulla amplius species, sed singuli homines sunt, vt Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero.

*Quis est dictarum partitionum generis & speciei vsus?*

Sermone res declarandę sunt, & plerunque verbis communioribus angustiora vocabula sunt ex-

 pli-

plicanda: Idcirco in docendo & definiendo, vt res signatè ac perspicuè efferamus, vtilissimum est exactam tenere vocũ cõmuniorũ angustiorumq; inter se discretionem. Infœliciter enim docent, qui ex huius discretionis inscitia, in definiendo verbis vtuntur ad rẽ nõ satis appositis, sed vel angustioribus, vel magis quã oporteat cõmunibus.

Proinde vtiliter Porphyrius non contentus semel voces, quarum altera est altera communior, in genus & speciem discreuisse, vlteriùs ipsa quoque inter se genera, similiter & ipsas inter se species secundum angustiã & latitudinẽ distinxit, ad accuratiorẽ illã quã diximus vocũ cõmuniorum minusq; cõmunium differentiam designandam.

*Recita prædicationum regulas, quæ à Porphyrio traduntur.*

PRIMA EST.

* Genus de specie dicitur, & superiora omnia de inferiorib⁹: Species autẽ neq; de genere proximo, neq; de superiorib⁹ vllis dicitur.

Sic animal de homine dicitur, non contrà.

Dici enim in his regulis est, ordinatè & necessariò prædicari. Necessariò prædicari est, attribui cui necessariò cohęret, vt Socrates est homo. Ordinatè verò, quando naturalis ordo obseruatur in propositionũ vocabulis, vt quod ad prædicãdum accõmodatius est, prædicetur, quod ad subijciendum, subiecti locũ obtineat, vt homo est animal.

SECVNDA.

* De quibus species dicitur, de ijs etiã speciei genus, & generis genus, ad primũ vsque dicetur necessariò.

Vt quia

Vt quia Socrates est homo, Socrates etiã animal est & corpus animatum, corpus item & substãtia.

TERTIA.

* Summum genus de omnibus generibus, formis, indiuiduisq́; quæ ei subiecta sunt dicitur: & genus quod infima specie prius antiquiusq́; est de omnibus formis infimis & indiuiduis. quæ autem species est modò, de indiuiduis omnibus, & indiuiduum de vno solùm singulorum.

*Harum regularum cognitio, quam vtilitatẽ affert?*

Vt de connexionibus generis & speciei inter se & cum alijs, meliùs certiusq́; iudicare possimus, quæ videlicet connexio secundum communem naturæ ordinem fiat, & quæ non, item quæ necessaria sit, & quæ fortuita.

Prodest autem plurimum in vero & falso dijudicando: necessaria à nõ necessarijs, quæq́; ordinẽ seruant naturalem, ab ijs quæ contra illum iunguntur, discernere posse.

## DE INDIVIDVO.

FActa est in regulis prædicationum indiuidui mentio: ad eius igitur tractationem conuertit sermonem Porphyrius.

*Quot colliguntur ex Porphyrio Indiuidui descriptiones? Duæ.*

*Recita priorem.*

* Indiuiduum est, quod de vno solùm singulorum dicitur.

*Quotuplex est indiuiduum?*

Triplex

Triplex.
- Determinatum.
  - *Ex nomine*, quod nihil aliud est, quàm nomẽ propriũ, Aristoteles, Cicero, Rhenus etc.
  - *Ex demonstratione*, estq; cõpositũ ex pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei, & voce cõmuni: vt hic homo, ille equus, etc.
- *Vagum*, constans videlicet, ex signo particulari, & voce communi, vt aliquis homo, vel aliquis equus.
- *Ex hypothesi*, sed conditione, vt Sophronisci filius, si modò Socratem solum filium habeat.

*Recita alteram indiuidui descriptionem.*

* Indiuiduum est, quod ex proprietatibus constat, quę omnes in alio eædem esse nullo modo possunt.

Hoc est, indiuiduum est quod proprietates habet, quæ simul omnes nunquam attribuētur multis, vt Socratis proprietates simul omnes nũquam pluribus verè tribuentur.

*Quem habet vsum indiuidui cognitio.*

Magnum sanè. In primis confert ad cognitionem generum & specierum infimarum.

Cùm enim hæc solùm pateant intellectui, verissimeque dicant Philosophi, nihil peruenire ad intellectum, quod priùs in sensu nõ fuerit: à quouis intelligi potest, si accuratam cupiamus generis

ris & ſpeciei intelligentiam cõſequi, oportere nos ab aliquo quod ſenſui expoſitum eſt duci. Quare cùm indiuiduum eiuſmodi ſit, neceſſaria nobis inprimis erit eius cognitio.

Siquidem ex multorum indiuiduorũ ſimilium collectione, ſpeciem: ex collectione ſpecierum, genus ſibi format intellectus. Verbi gratia.

Cùm videris multos equos, circumfers animo impreſſam equi imaginem, & tanquam pictum ſimulachrum, vt equos vbicunq; gentium oblatos agnoſcas. Eam imaginem Dialectici ſpeciem appellant.

Deinde perceptis equis varijs, canibus prętereà, apris ac ſeruis, diuerſiſque alijs animantibus brutis, mente colligitur quædam in illis communio eſſentiæ, quę ſub aſpectum non venit, hanc genus vocant, idq; exprimunt voce brutum.

Ad ſimilem modum brutis hominibuſque generica quędam naturæ ſimilitudo ineſt, ſecũdum quam ſunt animalia.

Sunt autem huiuſmodi ſimilitudines, quæ ſpecies vocantur aut genera, in intellectu, non vt quondam in ſcholis inepti quidam docuerunt, res extra eum conſiſtentes, qui fingebant eſſe naturas communes, neſcio vbi volitantes. Nos dictum Boetij verum & perſpicuum ſequamur, aſſerentis: Omne quod eſt, eo ipſo quod eſt, ſingulare eſſe.

Quicquid igitur oculis ipſis cernitur, quicquid auribus aut alio ſenſu percipitur, indiuiduum eſt, vt hic ſalmo quem vides: hic lupus quem auribus tenes: hæc philomela quam audis canentem, indiuiduum eſt.

Species horum ſunt, ſalmo, lupus, philomela.

Has

Has mente sola cernere licet.

Genera eorundem sunt, brutum, animal, corpus, etc. quæ animo duntaxat tenere possumus: nullo autem sensu percipere.

Hæc ad diligenter (sicut oportet) vsum indiuidui commonstrãdum dicta sunto. Præterea mihi addere liceat: cùm singularis propositio non ad simplicium modò & expositoriorũ syllogismorum, sed inductionis quoque, & reliquarum argumentationum doctrinam perficiendam, vtilis sit futura, ipsum quoque indiuiduum, ex quo singularis illa propositio constat, non parum prodesse. Denique vsus eius aliquis in Topicis quoque fuerit. Nam ibi ostendetur eandem esse à specie ad indiuiduum consecutionem, quæ fit à genere ad speciem.

## DE DIFFERENTIA.

PORphyrius more suo aliquot differentiæ acceptiones, antequam tertij vniuersalis explicationem aggreditur, præmittit, ad distinctionem significationũ eius: ille enim est harum vsus acceptionum.

*In quot partes distribuitur differentia?*

Distribuit eam Porphyrius in { Communem / Propriam / & / Maximè propriam.

*Quomodo definitur differentia, in genere considerata?*

Differentia est forma, qua aliquid differt à se, vel ab alio.

Quod autẽ per formã differt, vocant differens.

In

*In quot partes distribuitur differens?*

In tres, videlicet in quod differt { Communiter / Propriè / Maximè pprie.

*Quid vocat Porphyrius communiter differre.*

* Communiter differre aliud ab alio dicitur, quod sumpto vndecunq; discrimine vel à se differt, vel ab altero.

Hoc est, illud communiter differt ab aliquo, quod accidente separabili differt à se, vel ab alio.

Vnde communis differētia est accidens separabile, quo alterum ab altero, vel à seipso differt, vt sessio, cursus, albedo parietis, etc. Facilè enim hæc separari ab ijs, quibus insunt, possunt: vt sessio & quies ab homine sedente & quiescente, sicut & albedo à pariete. Vtrunque autem (tam paries quàm homo) differt communiter.

*Quid propriè differre?*

* Propriè differre aliud ab alio dicitur, cum aliqua affectio, vel accidens id quod elui fun ditùs non potest, dissimilitudinem facit.

Hoc est, Illud ab aliquo differt propriè, quod accidente inseparabili differt à se, vel ab alio.

Quare, differentia propria est accidens inseparabile, quo aliquo differt à seipso, vel ab alio: huiusmodi differentiæ sunt: albedo cygni, nigredo corui, etc. Cygnus autem & coruus per formas illas proprie differunt.

*Quid maximè propriè differre?*

* Ea maximè propriè inter se differūt, quæ differentia distát ea, quæ speciei est efficiens.

Hoc

Hoc est, illud ab alio differt maximè propriè, quod ab alio differt, ἐιδοποιῷ, id est, specifica differentia.

Differentia igitur maximè propria, est differentia specifica, qua alterum ab altero differt.

Specifica autem differentia dicitur, quæ addita generi, speciem constituit, vt rationale, quod additum animali, efficit hominem. Homo autem per rationale, ab alijs rebus maximè propriè differt.

*Quorsum conducit ista triplicis differentiæ explicatio?*

Præter eam commoditatem, qua distinguuunt acceptiones significationum vocis (differẽtia,) ne ex homonymia confusio in docendo oboriatur: etiam ad definitiones & diuisiones notitia earundem conducit, vt in contextu suo Porphyrius asserit, acceptionum prædictarum vsum atque vtilitatem ostendens hunc in modum.

„*Ac ijs quidẽ differentijs quæ aliud genus efficiunt,*
„(id est, differentijs maximè proprijs)
„*& genera in partes diuidũtur, et conficiuntur, de-*
„*finitiones, quoniã ex generibus & differentijs om-*
„*nis constat conficiturq́ definitio.*
„*Ex ijs autem quæ dissimiles modò efficiunt,*
„id est, differentijs communibus & proprijs)
„*varietates solum & commutationes oriuntur.*

*Recita alteram differentiæ diuisionem iuxta Porphyrij sententiam.*

*Diffe-*

Differentiarum alia est
- *Separabilis*, vt albedo parietis.
- *Inseparabilis*, vt Habitus scientiarum ab hominibus eruditis difficulter tolluntur. Prætereà risibile & rationale ab homine.
  - *Per se*, & est omnis & sola differentia maximè propria: Per se dicta, quod in definitione essentiali collocetur.
  - *Per accidens*. & est omnis & sola differentia propria.
    - Alia est diuidens generis.
    - Alia est efficiens speciei.

Membra quæ distinguunt differentiam per se, non reipsa sunt opposita, sed tantum ratione.

*Cur differentiæ dicuntur diuidentes?*

Quòd genus diuidant.

*Cur differentiæ dicuntur efficientes?*

Quòd speciem efficiant & constituant.

Porrò sunt duntaxat octo diuidentes & efficientes differentiæ in categoria substantiæ, quas vulgò in scholis recensent, nescio an adhuc satis commodè: reliquas dicunt anonimas & incognitas, quòd simplices voces quibus explicentur non habeant, vel omninò explicari non possint.

| | |
|---|---|
| *Corporeum.* | *Incorporeum.* |
| *Animatum.* | *Inanimatum.* |
| *Sentiens.* | *Non sentiens.* |
| *Rationis particeps.* | *Rationis expers.* |

*Posterioris istius differentiæ partitionis quis est vsus?*

C Qualem

Vtrunque enim principium eſt quoddam eorum, quorum genus eſt.

*Recita definitionem generis Dialectici.*

* Genus eſt,quod de multis ſpecie autem differentibus dicitur,cùm quid quidque ſit, quæritur.

Vt animal de homine & bruto.Color de albedine & nigredine.

*Quæ dicuntur differre ſpecie?*

Species diuerſæ.

*Quid eſt dici cùm quid quidq́; ſit quæritur.*

Eſt reſponderi ad quæſtionem per quid inſtitutam.

*Quis eſt vſus generis?*

Genus,prrterquam quôd ad definitionem, diuiſionem,demonſtrationem,& Ariſtotelis κατηγορίας conducit,(vt in pręfatione ſua Porphyrius docet de ſingulis quinque vniuerſalibus) etia ad copiam ſermonis cõfert plurimum.Genus enim, quod multa ſuo ambitu complectitur, in partes ſeu ſpecies ſi ſpargas,(vt virtutem in liberalitatem, iuſtitiam, prudentiam, fortudinem, reliquaſq́; virtutes,) copioſior hac ratione reddetur oratio.

## DE SPECIE.

VT priùs generis,ſic nunc & ſpeciei (ὁμωνυμίας, & ambiguitatis tollendæ cauſa) aliquot ponit Porphyrius acceptiones, duas nimirum,alteram ciuilem ſeu Grammaticam,alteram Logi-

Logicam,inter se nonnullā habētes similitudinē.

*Recita duas acceptiones speciei.*

PRIOR ACCEPTIO EST.

* Species dicitur vniuscuiusq; forma.

Vnde formosos speciosos dicimus.

POSTERIOR ACCEPTIO.

* Vocatur etiam id species,quod subest generi.

Sic homo species,animali subest . Rursus animal(licet alias genus sit)hic etiam species dicitur cùm subsit corpori animato.

*Quis est harum acceptionum vsus?*

Prior conducit ad melius intelligendam ex illius collatione,speciem Logicam.

*Quæ est similitudo speciei logicæ cum ciuili?*

Quemadmodum species ciuilis suorum subiectorum omnium pulchritudinem complectitur, sic & species logica omnem generis ornatum seu perfectionem continet:& si quidem infima fuerit,etiam totam suorum indiuiduorum continet essentiam,& naturam.

*Recita triplicem speciei logicæ definitionem.*

PRIMA EST.

* Species id est,quod generi subijcitur.


Vt homo animali : nigror colori.

Verbis vix differt hæc,à secunda acceptione, sensu nihil omninò:sicut nec sequens.

*Quid est speciem generi subijci?*

Nihil aliud,quam genus de specie dici , cùm quid quidq; sit quæritur.





SECVNDA.

* Species est, de qua genus in quæstione qua quidq; sit quæritur, dicitur.

Vt homo: Quia animal de homine prædicatur in quæstione naturæ; appositè enim respondetur ad quæstionem quá quæritur, quid homo sit.

*Monitio.*

Hæ priores duæ definitiones dantur de specie (quam vocant) subijcibili, siue sit prædicabilis & infima, siue non sit.

*Vnde hîc aduerte.*

Est species quædam:
- Subijcibilis, & non prædicabilis, vt animal.
- Prædicabilis:
  - & non subijcibilis, vt rationale.
  - & subijcibilis simul vt homo.

TERTIA QVAE EST SOlius speciei prædicabilis.

* Species est, quod de multis numero differentibus dicitur, in quæstione qua rei natura exquiritur.

Vt, homo de singulis hominibus dicitur.

*Quænam dicuntur differre numero?*

Diuersa indiuidua eiusdem naturæ, vt Socrates & Plato.

*Speciei logicæ quis est vsus?*

Logicæ species præterquam quòd ad definitionem, diuisionem, etc. sicut genus, conducunt, etiam conferunt ad tollendam generis confusionem.

nem. Si prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia tollunt confusam & sparsam significandi ratione, quæ est in genere (virtus.) Cognita enim natura specierum, simul etiam cognoscitur natura generis.

*Quomodo diuiditur genus?*

* Porphyrius genus diuidit in { Summũ, Græce γενικώτατον. Et mediũ, Græce ὑπάλληλον. }

*Quomodo diuiditur species?*

* Speciem diuidit Porphyrius in. { Mediam, & Infimam. }

*Recita summi generis duas definitiones ex Porphyrio.*

PRIOR EST ISTA.

* Genus summum est, quod cùm genus sit, non est species.

Hoc est, genus summum est, quod genus quidem est, sed non species. ¶ Species in definitione pro subijcibili accipienda est: alioqui enim, si pro prædicabili sumatur, animal erit genus summũ.

ALTERA

* Primum seu summum genus est, cuius aliud genus esse nullum potest.

Aliud genus, seu vt Græcis est ἐπαναβεβηκὸς superueniẽs genus, est genus superius, quod de altero in quæstione naturæ prædicatur. Non sunt ergo quale, quantum, & similia, genera alia aut superuenientia ad substantiam collata.

*Summa genera quot ſunt?*

Decẽ vulgo genera ſumma recenſentur, quę & Prædicamenta vocantur.

- Subſtantia
- Quantitas
- Qualitas
- Relata
- Actio
- Paſsio
- Vbi
- Quando
- Situs &
- Habitus

*Recita tres infimæ ſpeciei definitiones.*

PRIMA EST.

* Infima ſpecies eſt, quod ſic ſpecies eſt, vt non etiam genus ſit.

ALTERA

* Species infima eſt, quod ita ſpecies eſt, vt in ſpecies diuidi nullo modo queat.

Hæc ab infima ſpecie negat quandam generi conditionem. Proprium enim generi eſt, in multas diuidi ſpecies.

TERTIA.

* Species demum extrema eſt, quod de multis ijſque numero differentibus dicitur, cùm rei natura quærendo inueſtigatur.

Hæc omninò ipſi ſpeciei infimæ impropria eſt. Neq; enim naturã eius vt infima eſt, exponit: ſic enim reſpicit genera ſuperiora, quibus inferior & ſpecialior ipſa eſt: ſed quatenus dicitur de indiuiduis, quibus eſt ſuperior.

Tota autem manifesta est ex speciei prædicabilis definitione, nisi quòd pro genere definiti hîc constitutum volunt vniuersale, vt vocant, prædicamentale, seu quod categoria aliqua continetur, sicut in omnibus prioribus infimæ speciei, & præterea summi generis definitionibus, nec tamen requiri.

*Quomodo interiecta vel subalterna definiuntur.*

Definiuntur subalterna ( genera intellige media, & medias species )in hunc modum.

* Genera ὑπάλληλα, hoc est, subalterna, seu interiecta sunt, quorum vnumquodq; & genus & species esse potest, si ad aliud & aliud comparetur.

Vt corpus, corpus animatum, & animal, genera sunt inferiorum, vtpotè hominis & bestię, species verò si ad substantiam comparentur.

Vt manifestè videas in hoc schemate, ab vno genere summo, ad infimam speciem vnam, deducto.

GENVS SVMMVM. Substantia.

INTERMEDIA { Corpus
Corpus animatum
Animal.

SPECIES IMA. Homo.

Sub quo nulla amplius species, sed singuli homines sunt, vt Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero.

*Quis est dictarum partitionum generis & speciei vsus?*

Sermone res declarandę sunt, & plerunque verbis communioribus angustiora vocabula sunt ex-

Vt quia Socrates est homo, Socrates etiã animal est & corpus animatum, corpus item & substãtia.

TERTIA.

* Summum genus de omnibus generibus, formis, indiuiduisq; quæ ei subiecta sunt dicitur: & genus quod infima specie prius anti quiusq; est de omnibus formis infimis & indiuiduis. quæ autem species est modò, de indiuiduis omnibus, & indiuiduum de vno so lùm singulorum.

*Harum regularum cognitio, quam vtilitatẽ affert?*

Vt de connexionibus generis & speciei inter se & cùm alijs, inelius certiusq; iudicare possimus, quæ videlicet connexio secundum communem naturæ ordinem fiat, & quæ non, item quæ necessaria sit, & quæ fortuita.

Prodest autem plurimum in vero & falso dijudicando: necessaria à nõ necessarijs, quæq; ordinẽ seruant naturalem, ab ijs quæ contra illum iunguntur, discernere posse.

## DE INDIVIDVO.

Facta est in regulis prædicationum indiuidui mentio: ad eius igitur tractationem conuertit sermonem Porphyrius.

*Quot colliguntur ex Porphyrio Indiuidui descriptiones? Duæ.*

*Recita priorem.*

* Indiuiduum est, quod de vno solùm singulorum dicitur.

*Quotuplex est indiuiduum?*

Triplex.
- Determinatum.
  - *Ex nomine*, quod nihil aliud est, quàm nomẽ propriũ, Aristoteles, Cicero, Rhenus etc.
  - *Ex demonstratione*, estq; cõpositũ ex pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei, & voce cõmuni: vt hic homo, ille equus, etc.
- *Vagum*, constans videlicet, ex signo particulari, & voce communi, vt aliquis homo, vel aliquis equus.
- *Ex hypothesi*, sed conditione, vt Sophronisci filius, si modò Socratem solum filium habeat.

*Recita alteram indiuidui descriptionem.*

* Indiuiduum est, quod ex proprietatibus constat, quę omnes in alio eædem esse nullo modo possunt.

Hoc est, indiuiduum est quod proprietates habet, quæ simul omnes nunquam attribuẽtur multis, vt Socratis proprietates simul omnes nũquam pluribus verè tribuentur.

*Quem habet vsum indiuidui cognitio.*

Magnum sanè. In primis confert ad cognitionem generum & specierum infimarum.

Cùm enim hæc solùm pateant intellectui, verissimeq́ue dicant Philosophi, nihil peruenire ad intellectum, quod priùs in sensu nõ fuerit: à quouis intelligi potest, si accuratam cupiamus generis

ris & ſpeciei intelligentiam cõſequi, oportere nos ab aliquo quod ſenſui expoſitum eſt duci. Quare cùm indiuiduum eiuſmodi ſit, neceſſaria nobis inprimis erit eius cognitio.

Siquidem ex multorum indiuiduorũ ſimilium collectione, ſpeciem: ex collectione ſpecierum, genus ſibi format intellectus. Verbi gratia.

Cùm videris multos equos, circumfers animo impreſſam equi imaginem, & tanquam pictum ſimulachrum, vt equos vbicunq; gentium oblatos agnoſcas. Eam imaginem Dialectici ſpeciem appellant.

Deinde perceptis equis varijs, canibus prętereà, apris ac ſeruis, diuerſiſque alijs animantibus brutis, mente colligitur quædam in illis communio eſſentiæ, quę ſub aſpectum non venit, hanc genus vocant, idq; exprimunt voce brutum.

Ad ſimilem modum brutis hominibuſque generica quędam naturæ ſimilitudo ineſt, ſecũdum quam ſunt animalia.

Sunt autem huiuſmodi ſimilitudines, quæ ſpecies vocantur aut genera, in intellectu, non vt quondam in ſcholis inepti quidam docuerunt, res extra eum conſiſtentes, qui fingebant eſſe naturas communes, neſcio vbi volitantes. Nos dictum Boetij verum & perſpicuum ſequamur, aſſerentis: Omne quod eſt, eo ipſo quod eſt, ſingulare eſſe.

Quicquid igitur oculis ipſis cernitur, quicquid auribus aut alio ſenſu percipitur, indiuiduum eſt, vt hic ſalmo quem vides: hic lupus quem auribus tenes: hæc philomela quam audis canentem, indiuiduum eſt.

Species horum ſunt, ſalmo, lupus, philomela.

Has

Has mente sola cernere licet.

Genera eorundem sunt, brutum, animal, corpus, etc. quæ animo duntaxat tenere possumus: nullo autem sensu percipere.

Hæc ad diligenter (sicut oportet) vsum indiuidui commonstrãdum dicta sunto. Præterea mihi addere liceat: cùm singularis propositio non ad simplicium modò & expositoriorũ syllogismorum, sed inductionis quoque, & reliquarum argumentationum doctrinam perficiendam, vtilis sit futura, ipsum quoque indiuiduum, ex quo singularis illa propositio constat, non parum prodesse. Denique vsus eius aliquis in Topicis quoque fuerit. Nam ibi ostendetur eandem esse à specie ad indiuiduum consecutionem, quæ fit à genere ad speciem.

## DE DIFFERENTIA.

Porphyrius more suo aliquot differentiæ acceptiones, antequam tertij vniuersalis explicationem aggreditur, præmittit, ad distinctionem significationũ eius: ille enim est harum vsus acceptionum.

*In quot partes distribuitur differentia?*

Distribuit eam Porphyrius in { Communem, Propriam & Maximè propriam.

*Quomodo definitur differentia, in genere considerata?*

Differentia est forma, qua aliquid differt à se, vel ab alio.

Quod autẽ per formã differt, vocant differens.

In

*In quot partes distribuitur differens?*

In tres, videlicet in quod differt { Communiter / Propriè / Maximè ꝓprie.

*Quid vocat Porphyrius communiter differre.*

* Communiter differre aliud ab alio dicitur, quod sumpto vndecunq; discrimine vel à se differt, vel ab altero.

Hoc est, illud communiter differt ab aliquo, quod accidente separabili differt à se, vel ab alio.

Vnde communis differẽtia est accidens separabile, quo alterum ab altero, vel à seipso differt, vt sessio, cursus, albedo parietis, etc. Facilè enim hæc separari ab ijs, quibus insunt, possunt: vt sessio & quies ab homine sedente & quiescente, sicut & albedo à pariete. Vtrunque autem (tam paries quàm homo) differt communiter.

*Quid propriè differre?*

* Propriè differre aliud ab alio dicitur, cum aliqua affectio, vel accidens id quod elui fun ditùs non potest, dissimilitudinem facit.

Hoc est, Illud ab aliquo differt propriè, quod accidente inseparabili differt à se, vel ab alio.

Quare, differentia propria est accidens inseparabile, quo aliquo differt à seipso, vel ab alio: huiusmodi differentiæ sunt: albedo cygni, nigredo corui, etc. Cygnus autem & coruus per formas illas proprie differunt.

*Quid maximè propriè differre?*

* Ea maximè propriè inter se differũt, quæ differentia distát ea, quæ speciei est efficiens.

Hoc

Hoc eſt, illud ab alio differt maximè propriè, quod ab alio differt, εἰδοποιῷ, id eſt, ſpecifica differentia.

Differentia igitur maximè propria, eſt differentia ſpecifica, qua alterum ab altero differt.

Specifica autem differentia dicitur, quæ addita generi, ſpeciem conſtituit, vt rationale, quod additum animali, efficit hominem. Homo autem per rationale, ab alijs rebus maximè propriè differt.

*Quorſum conducit iſta triplicis differentiæ explicatio?*

Præter eam commoditatem, qua diſtinguunt acceptiones ſignificationum vocis (differẽtia,) ne ex homonymia confuſio in docendo oboriatur: etiam ad definitiones & diuiſiones notitia earundem conducit, vt in contextu ſuo Porphyrius aſſerit, acceptionum prædictarum vſum atque vtilitatem oſtendens hunc in modum.

„*Ac ijs quidẽ differentijs quæ aliud genus efficiunt,*
„(id eſt, differentijs maximè proprijs)
„*& genera in partes diuidũtur, et conficiuntur, de-*
„*finitiones, quoniã ex generibus & differentijs om-*
„*nis conſtat conficiturq́; definitio.*
„*Ex ijs autem quæ diſsimiles modò efficiunt,*
„id eſt, differentijs communibus & proprijs)
„*varietates ſolum & commutationes oriuntur.*

*Recita alteram differentiæ diuiſionem iuxta Porphyrij ſententiam.*

*Diffe-*

Differētiarum alia est
- *Separabilis*, vt albedo parietis.
- *Inseparabilis*, vt Habitus sciētiarum ab hominibus eruditis difficulter tolluntur. Prætereà risibile & rationale ab homine.
  - *Per se*, & est omnis & sola differētia maximè propria: Per se dicta, quod in definitione essentiali collocetur.
  - *Per accidens*. & est omnis & sola differentia propria.

Alia est diuidēs generis. Alia est efficiēs speciei.

Membra quæ distinguunt differentiam per se, non reipsa sunt opposita, sed tantum ratione.

*Cur differentiæ dicuntur diuidentes?*

Quòd genus diuidant.

*Cur differentiæ dicuntur efficientes?*

Quòd speciem efficiant & constituant.

Porrò sunt duntaxat octo diuidentes & efficientes differentiæ in categoria substantiæ, quas vulgò in scholis recensent, nescio an adhuc satis commodè: reliquas dicunt anonimas & incognitas, quòd simplices voces quibus explicentur non habeant, vel omninò explicari non possint.

| | |
|---|---|
| *Corporeum.* | *Incorporeum.* |
| *Animatum.* | *Inanimatum.* |
| *Sentiens.* | *Non sentiens.* |
| *Rationis particeps.* | *Rationis expers.* |

*Posterioris istius differentiæ partitionis quis est vsus?*

Qualem acceptionum, talem et diuisionum posteriorum, assignat Porphyrius vsum.

„*Differentiarũ quidem (inquit) in generum diuisio-*
„*nibus, rerũq; naturis definiendo explanandus vsus*
„*est maximus* (*loquitur de differentijs per se tam*
„*specierum efficientibus, quàm generum diuiden-*
„*tibus,*)*at earum quæ casu & fortuitò conueniũt,*
„*separariq; non possunt, non item: ac earum multò*
„*etiam minor, quæ abesse possunt.*

Sed hoc adijciamus: differentiarũ per se vsum, propter ignorationem earum, rarissimũ esse: longè autem frequentiorem propriarum & communiũ in omnibus rebus explicandis, quòd frequentissimè occurrãt. Vnde descriptiones rerum & diuisiones accidentibus fiunt. Itaque vt cõcedatur, ad res perfectè explicandas differentijs maximè proprijs, vis maxima: aliarum tamẽ vsus est multò frequentissimus in cuiusuis rei disputatione & explicatione.

## DE DIFFERENTIA maximè propria.

*Recita quadruplicem differentiæ definitionem ex Porphyrio.*

### PRIMA DEFINITIO *est ista.*

Differẽtia est, qua forma & species, genus superat.

Hoc est, Differentia est forma vniuersalis, quæ ita pertinet ad naturam speciei, vt non pertineat ad naturam generis. Ponitur enim in definitione

speciei,

ſpeciei, non autem generis.

Quo fit vt per differentiã ſpecies includat plus, quàm quoduis genus per talem formam diuiſum, vt rationale: per hanc enim differentiam homo plus includit, quàm vel animal, vel quodcunque aliud hominis genus.

Animal item per ſentiens, ſuperat corpus animatum, cæteraque ſuperiora genera omnia. Denique & homo & animal, per animatum ſuperant corpus & ſubſtantiam.

Definitur autem hîc, tantùm differentia maximè propria, vt ſpecifica, hoc eſt, vt procreatrix eſt ſpeciei.

Nam aliæ differentiæ, quæ communes & propriæ dicũtur, ſicut à philoſophico inſtituto alienę ſunt, ita hac definitione minimè cõtinentur. Neque enim partes ſunt, ſpeciei eſſentiam, cum genere efficiẽtes, ſed ſpeciebus ante effectis & exiſtentibus adueniunt atque accidunt, vnde & accidentariæ vocantur.

Reijciũtur & genera à definitione: Genus enim quamuis ſpeciei eſſentialis pars ſit, non tamen forma eſt ſpeciei, ſed potius materiæ ſubit rationem, vt in contextu ſuo docet Porphyrius.

SECVNDA DEFINITIO EST.

* Differẽtia eſt, quę de multis ſpecie autem differẽtibus dicitur, in quæſtione qua quale quid ſit, indagatur, hoc eſt, quale eſſentiale.

*Quæ differentia hîc definitur?*

Definitur hîc duntaxat, differentia generica, hoc eſt, generis efficiens, quatenus eſt vniuerſale. Si quis ſibi differentiam generatim definitam

cupiat, vt tam ſpecificæ differentiæ, quàm genericæ competat, ille vel addat (aut differentibus numero) vel omittat (differentibus ſpecie.)

*Confice definitionem quæ omni differentiæ cõgruat.*

*Differētia eſt forma vniuerſalis, quæ de multis prædicatur in quale eſſentiale.*

Sic rationale de Socrate & Platone, itemq́; animatum de animali & planta, prædicantur.

*Quid eſt prædicari in quale eſſentiale?*

Prædicari in quale eſſentiale, eſt appoſitè reſponderi ad quæſtionẽ per quale inſtitutam, quæ de parte eſſentię inquirit.

TERTIA DEFINITIO.

Quæ de differētia maximè propria, vt differentia eſt, ac differre facit, datur his verbis.

* Differentia, id eſt, quod vim habet ad ea ſecernenda, quæ ſubiecta ſunt ſub idẽ genus.

Hoc eſt, quæ eiuſdem generis ſpecies inter ſe eſſentia diſtinguit: Rationale hominẽ diſtinguit à bruto eſſentiâ, quòd pars ſit hominis, non autem bruti animalis: Vel vt ille ſit ſenſus definitionis, quòd per differentias genus in diſtinctas ſpecies diſtribuatur.

DEFINITIO QVARTA.

Verbis nõ ſenſu à pręcedenti diuerſa, & ſimiliter data de maximè propria differentia, vt differētia eſt. Niſi ex quorundam ſentētia, ita quatuor has definitiones diſtinguas, vt peculiare aliquod officium differentiæ maximè propriæ vnaquæq; inſinuet. Prima quidem officium cõſtituendi ſpeciei

ciei naturam:secunda,de multis dicēdi:tertia, diuidēdi genus & in species: quarta deniq; eiusdem generis species distinguendi.

* Differentia est,quo quidq; distinguitur.

Hoc est, qua aliquæ eiusdem generis species differunt essentiâ à se inuicem.

*Vtrum duæ posteriores differentiæ definitiones sint omnibus suis numeris absolutæ?*

Indicat in suo contextu Porphyrius, has duas definitiones definitum excedere, perficiendas autem esse adiectione particulæ(essentiâ) quam nos in earum expositione addidimus.

„Verba eius sunt:*Sed illud intelligi par est, eos qui „accuratius & subtilius differentiæ perspiciunt ac „persequuntur rationem, nō quiduis eorum quæ se„parant omnia, quæ eidem generi tributa sunt, in „differentiarum numero habere, sed quod ad rem „eiúsque vim& naturam aperiendam pertineat, „quodq́; sit pars rei.*

„Ex quo Porphyrij loco eruditi quidam quintam conficiunt differentiæ definitionem, omnium,vt dicunt,absolutissimam verissimamque.

Alij volūt duarum definitionum posteriorum complementum esse,vt prius indicauimus.

*Quæ est igitur quinta definitio?*

* Differentia est quod ad rem eiusq; vim & naturam aperiendam pertinet, quodque rei pars est.

*Vsus differentiæ,ex antegressis intelligitur.*

# DE PROPRIO.

*Recita quatuor proprij acceptiones ex Porphyrio.*

PRimo modo proprium dicit, quod vni soli speciei, neque toti conuenit.

Hoc modo medicinam, Grāmaticam, Geometriam, cæterasque disciplinas studio atque labore paratas, homini proprias adserunt. Nam fortuitò accidunt non omnibus quidem hominibus, attamen solis.

(*Soli*) excludit subiectum non subordinatum.

Subiectum subordinatum vocant, quod interuentu alterius aliquid in se recipit, vel, cuius interuētu aliquid in alio recipitur. Huiusmodi sunt ipsarum disciplinarum subiecta. Nam disciplinæ omnes primò sunt in intellectu, atque eius ratione & interuētu in anima, & postremò in homine. Neq; ob hoc non conueniūt soli homini scientiæ, quod animæ eius, & intellectui competant, cùm intellectus, & anima, subiecta sint subordinata, quæ per dictionem (soli) non excluduntur.

* Secundo verò modo, quod toti speciei, etsi non soli conuenit.

Sic aptum ad duos pedes habēdos, homini proprium est.

Cōuenire toti speciei, est accidere fortuitò alicuius speciei quibuslibet indiuiduis.

* Tertio, quod in sola totaq; specie idque interdum reperitur.

Quem modum, ad vitandas sophistarum cauillationes, sic intellige: Proprium tertio modo dicitur,

tur,quod conuenit soli alicui speciei, & toti aliquando, Vt,soli homini canicies conuenit,illique toti,in senectute.

* Quarto modo proprium dicitur, quod in sola totaque specie, idque semper intelligitur.

Vt risibile, & soli homini, & omni, & semper accidit. Potentiæ enim gratia dicitur homo γελαςικός,id est, risibilis (inquit Porphyrius in Communitatibus)non quòd rideat semper.

*Quis est istarum proprij acceptionum vsus?*

Hi modi vtilem admonitionem continent, de significatione vocabuli(proprium) ne quis fallatur.Neque enim semper eodem modo voce proprij vtimur.

Deinde vt principalem significationẽ proprij, quæ quarto modo explicatur,à reliquis distinguamus. Illa enim & non aliæ, instituto maximè seruit,& inter quinque Porphyrij voces venit referenda. Neque aliud Porphyrio proprium vniuersale est,quàm proprium quarto modo, vt ex Communitatibus est manifestissimũ: vbi plura discrimina speciei & proprij cùm recẽsuisset,subiunxit.

„*Præterea quorũ definitiones diuersæ sunt, ea inter*
„*se differunt.Cumq́; speciei sit subesse generi,de mul*
„*tisq́; dici in quæstione qua rei natura quæritur,*
„*quæq́; sunt eiusdem generis: Proprij est vni alicui*
„*eiq́; omni semperq́; conuenire.*

Habet igitur Porphyrius quartum proprij modum pro definitione proprij, quod quartum est prædicabile.

Circuloquimur ení differentias { Vel propria διαθέσει, seu, vt ita dicã, ppẽsióe: vt homo est aïal syllogisticõ, id est ratiocinãdi facultatis particeps. Vel etiam accidentiũ coaceruatione:

Vt, ignis, est elemẽtum calidum & siccũ. Calor & siccitas accidentia planè sunt, sed quandam circunscribunt ignis differentiam, quam nondũ humanæ mentis attigit imbecillitas fragilitásque, quæ nusquam euidẽtiùs, quàm in differentijs appositè concipiendis aut nominandis, se prodit.

*Quid interest inter differentiã & proprium?*

Inter propriũ & differẽtiam hoc interest: quòd hæc (vt ex dictis est manifestũ) substãtiã expleat, sitq; pars rei: Propriũ verò, huiusmodi non est, sed propensio duntaxat, & habilitas ad opus naturale.

| VT, PROPRIVM EST | APTVM ESSE | |
|---|---|---|
| Asinorum | Rudere. | |
| Boum | Mugire, boare. | |
| Bubonum | Bubulare. | *In carmine quod* |
| Camelorũ | Blaterare. Fest'. | *(ascribitur* |
| Canum | Latrare. | *Ouidio.* |
| Ciconiarũ | Crepitare rostro. | |
| Cornicum | Cornicari. | |
| Coruorum | Crocitare. | |
| Elephãtorũ | Barrire. | |
| Gallinarũ | Glocidare. | Festus. |
| | Glocire. | *Colu. li. 8. cap. 5.* |
| | Pipare. | *Varro in Ori-* |
| | | *(ginibus.* |
| Leonum | Rugire. | |
| Ouium | Balare. | |
| Passerum | Pipilare. | *Catul. de passere* |
| Ranarum | Coaxare. | *(Lesbiæ suæ.* |
| Suis | Grunnire. | |
| Vulpis | Gannire. | Donatus. |

Hæc quia ſemper in riſibili & hinnibili inculcando odioſè hic hærere nonnulli ſolent,ex idoneis autoribus congerere placuit,in gratiam iuuentutis ſtudioſę.

## DE ACCIDENTE.

*Recita accidentis definitiones ex Porphyrij verbis.*

PRIMA EST.

* Accidens eſt,quod adeſt,& abeſt,ſine rei cui inhæret interitu.

Hoc eſt,Accidens eſt vniuerſale , quod poteſt inhærere,& poteſt non inhærere,re vera, vel in tellectu,ſubiecto manente ſaluo,quantum ad eſſentiam ſpectat,vt,albedo,accidens eſt hominis, nigredo corui,& Aethiopis.

*Quotuplex eſt accidens?*

* Duplex videlicet, { Separabile / Inſeparabile.

*Quid eſt accidens ſeparabile?*

Accidens ſeparabile eſt, quod reipſa per potētiam naturalem à ſuo ſubiecto facilè ſeparari poteſt,vt,albedo à pariete facilè ſeparatur.

*Quid eſt accidens inſeparabile?*

Accidens inſeparabile eſt,quod reipſa difficulter,aut nullo modo,per potentiam naturalem,ſeparari poteſt, vt, albedo à Cygno,& ab igni calor reipſa ſeparari non poſſunt. Huiuſmodi tamē ſeparat ratio,& perſpicue videt non eſſe ſubſtantię partes albedinem,calorem.etc.quod hęc corporibus nōnunq̄ adeſſe,aliâs verò abeſſe videamus.

SECVN-

SECVNDA.

* Accidens est,quod & inesse in eadem re, & non inesse potest. Intellige vicissim, & præter subiecti interitum.

TERTIA.

* Accidens est,quod nec genus est,nec differentia,nec species,nec proprium,semperque in re subiecta inhæret.

Hoc est, Accidens est vniuersale,quod alicuius comparatione, neque genus, &c.semper autem, quandiu cohæret,in subiecto existit.

Definitur hîc ex aliquorum sententia accidés quod est quintum vniuersale,& solûm:vt priores duæ definitiones etiam proprium quarto modo admittant. Nihil enim aufert essentię intellectus, qui propria intelligit abesse, propterea quòd in rei essentia non includātur: Alij omnes has definitiones accidenti vniuersali tribuunt, putantq́; proprium ideo non separari cogitatione,quia nō possit cogitari abesse secunda intellectus operatione, nisi natura tollatur, cui necessario connexum est,quippe cùm inde profluat & dimanet. Cogitari tamen naturam posse,ita vt de proprio nō cogitetur,quod fieret prima intellectus operatione. De qua separatione & absentia hic non agatur.

*Quis est vsus accidentis?*


Accidentia ad ea conducunt,ad quæ propria, frequentissimè verò coaceruatione accidentium res definimus,atque distinguimus, vt in descriptionibus differentijsque plantarum,gemmarum, animalium,elementorum, similiumque rerum expli-

explicandis est manifestum. Deinde conducunt peculiariter accidentia, ad distinguenda singula inter se indiuidua. Sic Menelaus ab Vlysse apud Homerũ distinguitur. Quod ille ὀυ πολύμυθος hoc est, non multiloquus, non verbosus fuerit: Vlysses verò πολύμυθος,& copia dicẽdi mirabilis, fluminis instar hybernis aucti niuibus ruens. Sic inter Xenocraten & Aristotelẽ discrimẽ cõstitues, si ex vtriusq; ingenio discrimina colligas: hunc enim peracuto, illum hebeti admodum ac tardo fuisse ingenio, memoriæ proditum est.

## Omnium, quę in quinq; vocum traditione hactenus tradita sunt ad iuuandam puerorũ memoriã) tabula.

TABVLA

# TABVLA.




Diffe-

4 Differētia
- Separabilis, vt albedo parietis,
- Inseparabilis.
  - Per se,
    - Constituens speciei.
    - Diuidēs generis.
  - Per accidens, vt risibile. Itē nigredo corui aut æthiopis.

5 Propriū.
- Primo modo, soli non toti, vt Medicina comparatione hominis
- Secundo modo, toti non soli, vt color comparatione hominis.
- Tertio modo, soli, & toti interdum. Sic caniciem soli homini accidere volunt, illiq; toti in senectute,
- Quarto modo, soli & toti, & semper, sic risibile homini conuenit.

6 Accidens
- Separabile, vt dormire, sedere.
- Inseparabile, vt nigredo corui.

# TABVLA ALTERA DE conuenientia & differentia prædicabilium.

**Omnia vniuersalia de pluribus possunt prædicari.**

Idq;

- Idq;
  - In quid
    - De differẽtibus ſpecie:vt,genus.
    - De differẽti numero:vt, ſpecies
  - In quale
    - Eſſentiale:vt,differentia.
    - Accidẽtarium.
      - Cõuerſim & neceſſariò:vt, proprium.
      - Nõ cõuerſim,fere& fortuito:vt,accidẽs.

## GENERALIS HARVM quinque vocum vſus.

*Quam aſſerunt vtilitatem hactenus tradita de quinque vocibus præceptiones?*

Præcipuè mihi conducere videntur ad iuuãdas vocum connexiones,hoc eſt,ad videndum, quæ quibus rectè iungi poſſunt.

Quia omnes iuſtæ connexiones ſeu prędicationes,ſeruato communi naturæ ordine,referuntur ad aliquem iſtorum modorum:vt aut de indiuiduo ſpecies,aut de ſpecie vel indiuiduo genus,aut differentia,aut proprium,aut accidẽs prædicetur.

*Admonitio.*
*De diſcrimine & vſu prædicationum.*

Et hinc ſumitur diſcrimẽ de prædicationibus, quod neceſſe eſt iunioribus in conſpectu eſſe, vt conſiderent, quę propoſitiones ſint neceſſariæ, quæ non neceſſariæ.Item in quibus ſermo ſit prius,

proprius,& in quibus figuratus sit. Id discrimen nunc addam:quam simplicissimè & apertissimè in puerorum & rudium gratiam;& quid prædicatio sit,& quomodo diuidatur,explicabo.

## DEFINITIO
### Prædicationis.

*Prædicatio generatim sumpta, est propositio in qua aliquid de aliquo dicitur.*

Vt.Nestor est eloquens. Nouerca est iniusta, Marcus est Tullius.

*Quomodo diuiditur ita generatim sumpta prædicatio?*

Vt propositio:ad hunc videlicet modum.

- Prædicatio
  - Vera
    - Propria.
    - Figurata.
    - Inusitata.
  - Falsa.

*Quid est prædicatio vera?*

*Prædicatio vera est,quæ cum re quam affirmat aut negat,congruit.*

Vt,mundus est ex nihilo creatus.

*Quid est prædicatio falsa?*

*Prædicatio falsa est,quæ cum re quam affirmat aut negat, non congruit.*

Vt,mundus est æternus.

*Quid est prædicatio propria?*

*Propria est,quæ sermone vtitur proprio, & vsitato:*

Vt Rhenus est fluuius.Thersites est deformis.

De

De predicatione propria, nobis in sequentibus plurima dicentur.

*Quid est figurata prædicatio?*

*Figurata, quæ sermone improprio vtitur, nec sentẽtiam veram habet citra figuram.*

Et hæc doctrinā ex Grammaticis huc adferenda est.

Congruunt autem figuratę prædicationes in interpretatione cum ijs, quæ in sermone proprio fiunt: vt, Tyrannus est lupus, hoc est, similis est lupo. Homo bulla est, hoc est, bullæ similis. Vtraq; prædicatio cum prædicatione propria congruit, non in voce, sed sensu atq; interpretatione, quæ accidentis est de subiecto.

*Quam vocas inusitatam prædicationem?*

*Inusitatam prædicationem hîc vocamus propositionem de filio Dei.*

Vt, Deus est homo Verbum caro factum est.

Hæ non congruunt ad proprias, Nam alioqui non coniungimus species disparatas, vt aper est ceruus, albedo est sonus.

Videndum est autem in hoc genere diligẽter, quas propositiones sermo Ecclesiæ receperit, Nõ enim dicim⁹ in abstracto: diuinitas est passa. Quia hîc diuina natura seorsum considerata significatur. Et Petrus inquit Christũ passum esse in carne hoc est, in natura humana. Sed in concreto admittitur prædicatio: Deus est passus, hoc est, hæc persona, quæ est Deus & homo, est passa.

Cæterùm relinquenda est inusitata huiusmodi prędicatio Theologis. Nos tamen consultò eam breuiter attingere voluimus, vt innueremus etiã

ad profundiſsimas Theologorũ, aliorũmve doctorum hominum diſputationes intelligẽdas, huius prædicationum doctrinę magnum eſſe vſum.


Sed omiſsis falſis & negatibus, ſimiliter figuratis & inuſitatis prædicationibus, proprias duntaxat, affirmantes & veras paulò latius explicare nitemur: de illis enim ſolis ſcholæ loquuntur, prędicationis vocabulum anguſtiſsimè accipientes.

*Quid eſt prædicatio iuxta communem & tritam ſcholarum doctrinam?*

Prædicatio eſt propoſitio aiẽs, vera, præſentis temporis, quę enunciat ſimplex prædicatúm de ſubiecto ſimplici.

*Quomodo diſtribuitur?*

*Ad hunc modum*




Quid

*Quid est prædicatio ordinata?*

*Prædicatio ordinata est, in qua seruato naturali ordine, quod aptius est ad prædicandum, id prædicatur, & quod ad subijciendum, subijcitur.*

Vt homo est animal, sonus auditur.

*Quid est prædicatio interna?*

*Interna prædicatio est, in qua res præcipuè per prædicatum significata, est in ea re quæ per subiectum significatur.*

Vt coruus est niger, homo est animal.

*Quid est prædicatio externa?*

*Externa prædicatio est, in qua res per prædicatum significata non est in ea re quam subiectum denotat.*

Vt sonus auditur, paries videtur.

*Quid est prædicatio essentialis?*

*Essentialis prædicatio est, in qua res per prædicatū præcipuè significata, ad subiecti substantiam & naturam pertinet.*

Vt homo est animal, Socrates est homo, Homo est rationis particeps.

*Quid est prædicatio aduentitia?*

*Fortuita seu aduentitia prædicatio est, in qua res præcipuè per prædicatū significata, non pertinet ad essentiam subiecti.*

Vt aër est leuis, Democritus est risibilis.

*Quomodo definitur prædicatio primi vniuersalis?*

*Prædicatio primi vniuersalis, seu primæ vocis est, in qua genus de sua specie prædicatur.*

Vt, homo est animal.

Huc reuocantur prædicationes generis de indiuiduis, vt, Plato est animal.

*Quid est prædicatio secundæ vocis?*

*Prædicatio secundi vniuersalis est, in qua species de suo indiuiduo dicitur.*

Vt Bucephalus est equus, hoc rationale est rationale..

Monent scholę, ad prædicationem primi & secundi vniuersalis, ne falsa fiat, quędam esse obseruanda

1 In primis, vt prędicatum & subiectũ similiter asignentur, vel ambo in abstracto, vel ambo in concreto. Vnde hę sunt falsę: Album est color, albedo est colorata.

2 Deinde, si ambo sint abstracta, vt neutrũ eorũm sit abstractũ, quod vocat vltima abstractione. Nã huiusmodi, neq; superioribus subijci, neq; de inferiorib. prædicari potest. Vnde hę sunt falsæ: humanitas est animal, Paulus est humanitas.

3 Tertiò, si ambo sint concreta, vt non cõcernãt & adsignificẽt diuersa subiecta. Vnde hęc est falsa: videre est sentiri. Videre enim cõcernit subiectum, in quo est sensus. Sentiri autem subiectũ circa quod versatur. Sed dicẽdum erat, videre est sentire, vel videri est sentiri,

Nam actiua verba hæc, sentio, video, audio, tãgo, & similia concernunt subiectum quod appellant inhæsionis, de quo & dicuntur prædicatione quin-

ne quinti vniuersalis. Vt, homo videt. Paßiua verò ipsis respondẽtia, referuntur ad obiecta sensuũ de quibus dicũtur prędicatione externa, vt color videtur, sonus auditur.

*Quid est prædicatio tertiæ vocis?*

*Est, in qua prædicatur differentia de specie quam constituit, vel eius inferiori.*

Vt, brutum est rationis expers, homo est rationis particeps.

Dixi (de specie quam constituit) nam si de genere quod per eam diuiditur prędicetur, huc tantùm erit reuocanda talis attributio, vt, animal est rationis capax, substantia est rationis expers.

*Quomodo definitur prædicatio quartæ vocis?*

*Est, in qua proprium prædicatur de specie cum qua reciprocatur: atq; etiam eius indiuiduis, vt multis placet.*

Vt, homo est risibilis, elephas barrit, leo rugit, vt verba facultatem quandam naturalemq; potentiam designent, non autem opus, ipsumq; potentiæ actum.

Porrò prędicationes proprij de superiorib. suæ speciei, vt animal est risibile, corpus animatũ est risibile, huc reuocabuntur.

*Quid est prædicatio quinti vniuersalis?*

*Prædicatio quinti vniuersalis est, in qua accidens de suo subiecto enunciatur.*

Vt, homo est doctus, ignis est calidus.

*Monitio.*

Hanc quinti vniuersalis prædicationem (quæ

omnium maximè intricata eſt,longeq́; iudicatu difficillima)ſolemus per ſingulas accidentiū categorias,viua voce poſtmodum explicare: Quod longè conſultius eſt quàm congeſtis in hunc locum ſexcẽtis regulis, rem per ſe perplexam,intẽpeſtiua tractatione magis obſcurare.

Cæterùm mihi illud vnum monendi hîc vidẽtur ſtudioſi,diligenter vt obſeruare deinceps ſtudeant quibus rebus tanquam ſubiectis accidẽtiū vnūquodq́; inhæreat. Quo perſpecto, de prædicatione accidentis iudicare,facilimum erit.

*Quid eſt prædicatio inordinata?*

*Prædicatio inordinata eſt,in qua inter ſubiectū & prædicatum nullus eſt naturalis ordo vel non ſeruatur.*

Prioris partis exẽpla ſunt,enſis eſt gladius, dulce eſt album,quas prędicationes inordinatas pręter ordinem vocamus.

Poſterioris partis exemplum,vt animal eſt homo , quam inordinatam contra ordinem dicimus.

*Quid eſt prædicatio inordinata præter ordinem?*

*Prædicatio inordinata præter ordinẽ eſt,quæ ſi cõuertatur,non fit tamen ob id ordinata.*

Vt muſicus eſt rhetor,album eſt dulce,gladius eſt enſis,

*Quid eſt prædicatio inordinata per accidens?*

*Prædicatio inordinata per accidens eſt,in qua duo concreta,quorum neutrum in abſtractum mutari poteſt,verè inter ſe coniunguntur.*

Vt album eſt dulce, pater eſt pius, nouerca eſt iniuſta.

*Quid eſt prædicatio eiuſdem de ſeipſo?*

*Eiuſdem de ſeipſo ſeu identica prædicatio eſt, in qua idem de ſeipſo, vel ſub eodem nomine, vel ſub diuerſo prædicatur.*

Vt homo eſt homo, enſis eſt gladius.

*Quid eſt prædicatio inordinata contra ordinẽ?*

*Quæ extremorum permutatione ordinata redditur.*

Vt animal eſt homo.

*Quid eſt prædicatio inordinata contra ordinem primi vniuerſalis?*

*Quæ extremorum permutatione efficitur primi prædicabilis.*

Vt planta eſt arbor. Hæc eſt enim primi, Arbor eſt planta.

*Quid eſt prædicatio inordinata contra ordinem ſecundi prædicabilis?*

*Eſt quæ extremorum permutatione efficitur ſecũdi vniuerſalis.*

Vt homo eſt Petrus. Hæc eſt enim ſecundi Petrus eſt homo.

Ad eundẽ quoque modum definiendæ ſunt prædicationes contra ordinem tertij, quarti & quinti vniuerſalis.

*Explica latiùs vſum prædicationis externæ & per accidens.*

Hæ prædicationes ampliſsimũ habent in Philoſophia vſum, quod Philoſophi ſit, vbique ea,

quæ per se sunt, ab ijs quæ sunt per accidẽs: quæque interna sunt rei, ab ijs quæ extra rẽ sunt, separare: quod & plurimum in omni controuersia dijudicanda habet momenti, ad perspiciendum quid propriè ad rei naturã pertineat, & quid extra rem dicatur. Ideoq; plures earum prędicationum modos annotasse profuerit.

Et in primis tres sunt modi prædicationis per accidens.

PRIMVS MODVS.

*Prædicationis per accidens est.*

*Quando differentia vna, verè prædicatur de altera differentia, vel de accidente.*

Vt, corporeum est animatum, quãuis alij hãc reuocent ad prędicationẽ primę vocis, flebile est rationale, album est inanimatum. Aduertẽdũ est hanc differentiæ de differentia prædicationẽ falsam esse, Corporeum est incorporeum, quia hæc est falsa, Corpus est spiritus.

SECVNDVS.

*Quando proprium verè prædicatur de proprio, vel de differentia, vel de accidente.*

Vt, risibile est flebile: rationale est flebile: iniustum est risibile.

TERTIVS.

*Quando vnum accidẽs prædicatur de altero accidente, vel de differentia, vel de proprio.*

Vt, album est dulce: corporeum est nigrũ: risibile est iniustum.

Neq;

Neque ita accipiendum est, quòd omnes quæ secundum iam commemoratos modos fiunt prędicationes, sint per accidens, nisi hæc seruetur regula.

*Nunquam prædicatio concretorum de se mutuo est per accidens, nisi concreta illa sese ita habeãt, vt neutrum eorum mutari possit in abstractum, vt nihilominus vera maneat prædicatio.*

Hæc igitur non sunt per accidens: album est coloratum, videre est sentire, cùm hæ verę sint, albedo est color, visus est sensus, vtroq; concreto in abstractum mutato.

Rursum nec hæ per accidens sunt: Superficiatũ est album, Coloratum videtur, cùm verę sint hæ, subiecto in abstractum mutato. Superficies est alba, Color videtur.

## MODI PRAEDICAtionis externæ.

Nunc tempestiuum fuerit, & vtile ad exactiùs de vocum connexionibus iudicandum, meliusq; externa ab internis, sicut oportet, dirimendum: modos etiam aliquot prædicationis, quam peculiariter & propriè externam Scholæ vocant, addidisse.

## PRIMVS MODVS PRAEdicationis externæ est.

*Termini concreti, significationes operationem facultatis naturalis, prædicantur de obiectis, seu in concreto, seu in abstracto assignatis, prædicatione externa.*

Vt coloratum videtur, color videtur, canorum auditur, sonus auditur.

SECVNDVS.

*Omnis propositio, in qua prædicatur aut subijcitur vocabulũ secundæ intẽtionis, est prædicatio externa.*

Vt animal est prædicatum, subiectum est homo, homo subijcitur, corpus est genus, canis est ὁμώνυμον.

Quæ autem à Dialecticis dicantur secundæ intentionis vocabula, in edito nuper libello Prodidagmatum de Dialecticis vocum proprietatibus videre licet, apertè declaratum, vt minimè opus sit hîc quidquam repetere.

TERTIVS.

*Omnis deniq; externa illa prædicatio est, in qua adiectiua à proprijs nominibus (siue vrbium, siue regionum, siue hominum, etc.) deducta prædicantur.*

Vt, Plato est Atheniẽsis, Cicero est Arpinas, Cicero est Italus, Porphyrius est Platonicus, Christophorus Longolius est Machlinianus, Perionius est Ciceronianus.

APPENDIX AD
*prædicationes.*

Omnibus prædicationibus iam dictis & tabella expressis, non inutiliter aliæ quædam prædicationum species, quas nonnulli sub figurata prædicatione comprehendunt, addi consueuerunt.

Nimirum prædicatio { Caussalis. / Per concomitantiam.

Caussa-

*Caussalis prædicatio est propositio, quæ secundum sermonis proprietatem est falsa, sed vera admittitur eo sensu, quòd alterum alterius causa sit.*

Vt hæc, Ira est feruor sanguinis circa cor. Non enim ira (quæ est affectio animi) est feruor seu ebullitio, seu motus localis: sed admittitur ea prædicatio hoc sensu: Ira est affectio animi, quæ producitur ex vehementi concursu sanguinis ad cor.

*Prædicationem per concomitantiam vocant propositionem, quæ secundùm proprietatem sermonis est falsa, admittitur tamen vera, quia alterum semper alterum consequitur eique connexum est.*

Vt, sanitas est proportio quatuor humorum, id est, sanitas cōsequitur semper debitam rationem, proportionem, harmoniam, seu vnionem quatuor humorum in animali. Similis prædicatio est in diuersis locis Aristotelis, & aliorum auctorum insignium.

Addunt præter hæc, aliam postremò prædicationem, quam vocant, excedentis de excesso: vt, corpus inanimatum est corpus mistum. Item, bestia est animal bipes.

Dicuntur autē voces se mutuò excedere, quando vna de aliquo verè affirmari potest, de quo non alia: & rursus posterior hæc de aliquo, de quo non prior: denique, de aliquo eodem simul verè prædicantur. Exempli gratia: datur corpus inanimatum nō mistum, vt corpora simplicia, cœlum, ignis, aer, etc.

Datur corpus mistum non inanimatum, vt, animalia & plantæ.

Postremò

Postremò datur inanimatum & mistum, vt lapis, ferrum, etc.

Similiter datur bestia, quæ non est animal bipes, vt asinus: datur animal bipes, quod bestia nō est, vt homo: datur deniq; animal bipes & bestia, vt anser, olor, philomela, etc.

Hæc de prædicationum discrimine ideo recensentur diligentius, vt vsus vniuersalium magis conspiciatur. Et passim hæ diuisiones in Logica repetuntur.

Reliqua, si quæ exacta illa scholarum de prædicationibus disputatio desiderare possit, docentis viua vox his cognitis, facilè addiderit.

*Nunc ad Categorias siue Prædicamenta accedemus.*

# LOGICES

## LIBER SECVNDVS, QVO CATEGORIAE ARISTOTELIS *explicantur.*

INitiò videtur obseruandum, quid agatur in categorijs seu prædicamentis Aristotelis.

Hinc quæ sit causa inscriptionis.

Postremò, in quot tractatus liber diuidatur, dicendum.

*Quam doctrinam potissimùm promittit iste categoriarum liber?*

Agitur hîc de ſimplicibus vocibus, res ſimplices ſignificantibus, per medias cogitationes: Res igitur, verba, & cogitationes habentur in prædicamentis.

*Quæ eſt huius libri apud Ariſtotelem inſcriptio?*

Ἀριστοτέλους κατηγορίαι, id eſt, Prædicamēta Ariſtotelis.

*Quæ eſt huius inſcriptionis ratio?*

Nomen κατηγορίας, (vt ſuperiùs dictum eſt) vel in genere eſt commemoratio, vel (vt in foro vſurpatur accuſatio, & quẽadmodum pleraq; alia, ita quoq; hoc nomen à foro ad ſcholas trāſlatum eſt, idque ideo eſt factum, quod ſicut in foro neceſſe eſt diſertè nominari crimē, vt, Verres eſt fur? ita ſtudioſi rectè dicturi, propoſitiones planas & perſpicuas (vt veritas cōſpiciatur, & proprijs verbis efferatur, ac vitentur præſtigiæ, & ludi ſophiſmatum) conſtituere diſcerent, & viderent, quæ vocabula quibus aptè, quibus inepte iungantur, atque adeo, quæ de quibus prædicari poſsint aut non poſsint.

Itaque nomen κατηγορία hîc accipiēdum eſt, quaſi dicas, Prædicatio, vel vt vulgò dicunt, Prædicamentum.

Suprà in quinque vocibus, ſpeciem cum genere & differentia cohærere fuit declaratum: hîc in categorijs, generum, ſpecierum, ac differētiarum varia producuntur exēpla. Velut ſi quis generum multitudinē quærat in categorijs reperientur: animal, ardor, flos, metallum, gemma, atque id genus ſexcenta.

Si ſpe-

Si ſpecierum, Homo, equus, leo: Pyrus, fagus, quercus: Roſa, lilium, viola: Aurum, argentum, plumbum: Adamas, ſapphyrus, ſmaragdus, & aliæ innumerabiles.

Si differẽtiarum, corporeum, animatum, inanimatum, ſentiens, & cæteræ rerum differentiæ.

Ex quibus omnibus intelligitur, quæ vocabula de quibus prædicentur, & quæ cum quibus rectè aut ſecùs cohęreant.

Vetus autem inſcriptio libri pręd icamẽtorum fuiſſe dicitur, περὶ τῶν καθόλικῶν λόγων, hoc eſt, de vniuerſalibus, ſeu generalibus capitibus, ex quibus ſumitur oratio de qualibet materia: indicatque ea appellatio, veteres intellexiſſe, in categorijs proponi diſtributionem rerum pręcipuam, in quam intueri neceſſe ſit, quacunque de re dicatur.

Et vt paulò altiùs repetamus rationem categoriarum, quidam cenſent prædicamenta eſſe nomina locorum Rhetoricorum, hoc eſt, quædam ſigna, adeoque filum quoddam, quo digeratur omnis artificioſa oratio. Sentiunt enim per omnes categorias, quæcunque res propoſita fuerit, eundum eſſe, vt ſi de virtute dicẽdum ſit, dic primùm quid ſit, poſteà partire, deinde qualis res ſit, ſitne facultas naturalis, affectus an habitus, etc. Et in hac ſententia Quintilianus eſt, cap. 7. lib 3. Quam etſi non improbamus, tamen quia ſic omnes voces ſine diſcrimine per omnes categorias errabũt, ſequi hîc nõ lubet. Sed iuxta communem ſcholarum conſuetudinem ſingulis categorijs, ſingulos ordines vocum aſsignabimus, & tanquam certum domicilium cuique voci trademus, vt indè ſumi vera definitio poſsit.

Quam

*Quam affert vtilitatem catego-riarum cognitio?*

Colligi id poteſt ex his quæ diximus. Nam prę-terquam quòd non modò omnia vocabula, ſed omnium totius vniuerſitatis rerum naturas diſ-cernere, ſubſtantiaſque ab accidentibus, acciden-tiaque abſoluta à relatis diuellere doceamur, ex-hibetur etiam ſuppellex definitionum. Cuiuſque enim vocis, de cuius natura dubitatur, definitio ex ſuo ordine, tanquam ex ſua ciuitate petēda eſt. Conſtat autē in omni explicatione, primùm con-ſtituēdas eſſe definitiones, & totam definitionum doctrinam maximè neceſſariam eſſe.

*In quot partes diuiditur categoria-rum liber?*

In tres partes ſeu tra-ctatus.

- Εἰς τὰ πρὸ τῶν κατηγοριῶν. In ea quæ vulgo anteprædicamenta vocantur.
- Εἰς τὰς κατηγορίας. In prædicamenta.
- Εἰς τὰ μετὰ τὰς κατηγορίας. In ea quæ appellant poſtprædi-camenta.

## PRIMA PARS.


*Quid antepradicamentorum nomi-ne intelligis?*

Ante-

Antepraedicamenta ſunt veluti præludia quædam quæ ad eorum,quæ de prędicamentis dicuntur,apertiorem intelligentiam plurimum conducant.Similis eſt ratio poſtprædicamentorum.

Horum autem ſingulorum vſus, ſuis locis diligenter commonſtrabitur.

*Quot ſunt antepradicamenta?*




*Recita homonymorum finitionem.*

Ex cap.1. * Homonyma dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt,definitio autem naturę nomini congruens,alia atque alia.

Hęc licet poſsit & vocibus homonymôs ambiguè ſignificantibus, & rebus ſic ſignificatis, citra abſurditatem ſuo modo accommodari, commodiùs tamen de rebus ὁμώνυμος ſignificatis,intelligitur hunc in modum.Homonyma, hoc eſt,res homonymæ,dicuntur, de quibus aliquod nomen ſeu dictio ſimplex,manens eadē, verè affirmatur, ſed definitiones eſſentiales quæ dantur de illo nomine,ſunt diuerſæ. Iſtas res homonymas nominant æquiuoca æquiuocata. Nomē autem ambiguum,

guum, quo res illę homonymæ & diuersę, diuersis rationibus pluribusq; notionibus significantur, æquiuocum æquiuocans appellari consueuit.

Huiusmodi nomen est canis: significata eius sunt, animal latrabile, sydus cœleste, & piscis marinus, quę non significari secundum communem aliquam rationem aut conceptum vocabuli canis, in nobis experiri licet, dum aliam cogitationem seu conceptum nominis canis in mente formamus, quando audimus Lyciscam esse canem, quàm cùm Sirium aut piscem.

At verò siue Platonem audierimus esse hominem, siue Socratem, eadem manet significatio vocis homo (quamuis diuersæ res sint significatæ) quia vna eademq; notione res illæ concipiuntur. Quare (canis) homonymum nomen est: Canis verò latrās, & cœlestis, & piscis, eius sunt significata: sed nō sic homo homonymum nomen est ad Socratem atq; Platonem cōparatum, verùm omninò synonymum: sicut & canis ad Lyciscam & Melampodem. Neque enim absurdum est, sed vsitatissimum, eandem vocem diuersorum comparatione, homonymum & synonymum esse.

Ex his quæ dicta sunt colligere licet, Aristotelis definitionem rebus quidē aptissimè tribui, sed quatenus ad ambiguam vocem referuntur. Nam res per se (vt inquit Boetius) nec homonymæ sunt, nec synonymæ, sed tantum quatenus voce ambigua significantur.

Prætereà, ex interpretatione definitionis intelligitur, dictionem, populus, (quę dum nunc arborem, nunc hominum collectionē designat, quantitatem primæ variat syllabæ) nō esse nomen homonymum: sicut nec vocabulū hara, pro diuersis

ſignificationibus mutans ſpiritum,ita enim vocabulum mutatur nec manet idē. Vnde nec captionem ex hara,populo,aut huiuſmodi factam, Ariſtoteles in Elēchis ſophiſticis vocat homonymię, ſed accentus.

*Recita finitionem ſynonymorum ſeu vniuocorum.*

* Synonyma dicũtur, quorum & nomen commune eſt,& eadē nomini attributa naturæ definitio.

Hoc eſt, Res ſynonymæ dicuntur quæ & in eodem nomine conueniunt & in eadem definitione eſſentiali illius nominis.Huiuſmodi ſunt, homo & brutum,de quibus verè affirmatur nomen animal,ſimiliter & definitio animalis,corpus animatum ſentiens.

Rurſus Petrus, Paulus, Cicero, Demoſthenes, Virgilius,Homerus, etc. ſynonyma dicuntur ad hominem,communicant enim in nomine hominis,& etiam in eius definitione eſſentiali,quæ eſt animal rationale.

Ad eundem modum Lyciſca,Pamphagus,Oribaſus,Dorceus,Melampus,Ichnobates,Hylactor, Lelaps,Asbolus,Leucō & id genus alia(de quibus tertio Metamorphoſeos Ouidius in fabula Actęonis)ſynonyma ſunt ad canē comparata, quia præter communem illam appellationem canis,etiam definitionem eius nominis eandem habent:Sunt enim ex æquo animalia latrantia.

At homonymorũ alia ratio eſt. Etenim de maſculo,qui inter oues ad generandam ſobolē tenetur,de machina bellica,de ſigno cœleſti quod primum

mum est in Zodiaco ; vox quidem aries prędicatur, verùm quatenus in ea voce conueniunt non est eadem aliqua omnibus illis essentialis definitio aut naturę cognatio? siue enim dixeris propterea dici arietes, quòd sint substātię corporeę; siue quod animalia rationis expertia, siue quam aliam commentus fueris naturę definitionem, erraueris. Neque enim dabitur secundum nomen (aries) vlla eius definitio, neq; item omnibus & solis ipsis, quæ dictæ sunt definitiones, conueniunt. Nam sydus cæleste non est animal, neque igitur animal ratione carēs. Machina autem bellica nec animal, nec omnino substantia est.

*Quomodo definitur paronymum in genere sumptum?*

***Paronymorū seu denominatiuū generatim sumptū, nihil aliud est q̄ concretū accidentale, hoc est, quod accidentariam seu aduentitiam significat formam.***

Vt album, sedens, studiosum, currere, etc.

*Quotuplex est paronymum ita generatim sumptum?*

Triplex, videlicet:
- Paronymum voce tantùm.
- Paronymum significatione tantùm.
- Paronymū voce & significatiōe simul.

*Quomodo definiuntur paronyma voce tantùm?*

Paronyma voce tantū, sunt concreta quę etiāsi cum abstracto quopiā initio quidem conueniunt, & in fine differunt, tamē cum abstracto significationē habent eandē. Cuiusmodi sunt somnolētus, somnolēta, somnolentū respectu somni: nō enim sunt hæc eiusdē significationis, cùm somnolen-

tus vitiũ, somnus verò naturalẽ significet quietẽ.

*Quomodo definiuntur paronyma significatione tantum?*

Paronyma significatione tantum, sunt cõcreta quæ cum aliquo abstracto in significatione quidẽ conueniunt, non tamen cum eodẽ aut initio conueniunt, aut fine discrepãt, cuiusmodi sunt albus, alba, albũ, respectu candoris: itẽ, grammatica, adiectiuum, si cum grammaticâ substantiuo comparetur, quamuis videatur alijs satis esse si in alio genere hoc vsu veniat.

*Quomodo definiuntur paronyma voce & significatione simul?*

Paronyma voce & significatione simul, sunt cõcreta, quæ ab astracto quidẽ fine discrepant, cum eodem tamẽ initio & significatione consentiunt, vt albus, alba, album, respectu albedinis. Cuiusmodi ab Aristotele tantummodo sunt definita.

*Recita igitur paronymorum ex Aristotele definitionem.*

* Paronyma dicũtur, quæ cùm ab aliquo, solo casu differant, eam quæ secundum nomen est, habent appellationem.

Hoc est, Paronyma voce & significatione simul, sunt concreta accidentaria, quæ ab aliquo abstracto differunt solo fine, ita vt non principio, & secundum nomen, hoc est à forma quæ per nomen abstractum designatur, habẽt fortuitam prædicationem, quia illa scilicet fortuitò subiectis inest. Sic adiectiua illa fortis & forte, sunt denominatiua & paronyma eiusdẽ substantiui denominantis

tis seu abstracti, fortitudo: & differunt ab eo sola terminatione, & ratione qualitatis per fortitudinem significatæ prædicantur de subiectis suis, idque fortuita & denominatiua prædicatione, cùm dicimus: Hercules fortis est, Sampson est fortior.

*Quem habent vsum tres iam ex Aristotele recitatæ definitiones?*

Aristoteles eas proposuit cõsilio, vt ex illis cognoscatur diuersitas vocabulorum simplicium. Nec obstat, quod duæ priores de rebus accipi soleant. Non enim dantur de rebus in se cõsideratis, sed vt prius ex Boetio diximus, quatenus comparantur ad vocem aliquam homonymam, aut synonymam.

*Quotuplicia innuit hic Aristoteles esse nomina significantia?*

Aliæ enim sunt voces Triplicia.

- *Homonymæ*,
  - vt
    - homo
      - ad pictum
      - ad viuum
      - q̃ sunt hominis significata.
    - canis
      - ad latrantem
      - ad syd. cœleste.
      - q̃ sũt canis significata
- *Synonymæ*,
  - vt
    - homo
      - ad Ioannem
      - ad Petrũ, etc.
      - quæ sunt hominis significata
    - canis
      - ad Lyciscam
      - ad Melãpodẽ
      - quæ sunt canis significata.
- *Paronymæ*,

vt { fortis / forte } quorū { Denominās & abstractum est fortitudo. / Denominatū et subiectū Hercules, Sāpson, & alij fortes.

Hæc autem vocabulorum significātium diuersitas vtiliter cognoscitur, vt intelligamus homonyma ambiguè accepta, non à categorijs modò, verum etiam ab arte tota excludi.

Cuius ratio est, quia æquiuocè accepta vox nō vna quadā ac determinata contenta est significatione. Quocirca oblato nobis quocūq; vocabulo, cuius categoriā desideramus, in primis propriū & gramaticā illius significationem inuestigemus: & secundum eam, tali vocabulo suam categoriam tribuemus.

Hinc quoque intelligitur trita illa & communis dialecticorum doctrina, synonymorum significata vnà cum vocibus suis synonymis, eiusdem esse categoriæ, & sola synonyma synonymôs accepta in categorijs poni.

Prætereà paronyma in eadem esse classe, cum suis abstractis & formis denominantibus.

Itaque si noris ad quam categoriam eruditio pertinet, noueris etiam ad quam eruditus, sitque tibi in cæteris idem iudicium.

Habet paronymorum definitio & aliam vtilitatem. Nam docemur, accidentia concretè, non abstractè de suis predicari subiectis, vt albedo, non abstractè, sed concretè de cygno dicitur: quia cygnus albus, non albedo esse enunciatur.

Præter hæc autem, trium iam expositarum definitionum vsus est, atque vtilitas non parua, ad pleraque nimirum obscuriora loca per vniuersam Logicam, vbi homonymorum, synonymorum,

rum,paronymorum incidit mentio, facilè intelligenda.

*Quotuplex ex his quæ iam dicta sunt, nascitur prædicatio?*

Triplex, videlicet:
- *Homonyma*, in qua vox ambigua, de aliquo suorum significatorum prædicatur, vt, pictura est homo. Quæ prædicatio reijcitur à disciplinis.
- *Synonyma*, in qua synonymôs accepta vox prædicatur de aliquo suorum significatorum, vt Socrates est homo, homo est animal, homo est rationalis.
- *Paronyma*, in qua denominatiuum prædicatur de re denominata, vt, homo est risibilis, homo est albus, color videtur.

## DE DIVISIONE.

*Recita priorem diuisionem.*

*Eorum quæ dicuntur,*
- *Partim coniuncta sunt,*
- *Partim simplicia.*

*Quæ vocas coniuncta?*

Orationem seu plures voces grammaticè connexas, cuiusmodi est hæc oratio, homo est mortalis.

*Quid simplex appellas?*

Vnicam dictionem seu verbum simplex: cuiusmodi est simplex dictio homo.

*Quis est vsus huius diuisionis?*

In eum finem atq; vsum adducitur diuisio hęc, in quem homonymorum & synonymorum definitiones paulò antè sunt adductæ. Nā monet nos orationem seu verba coniuncta à categorijs procul abercenda esse: Simplicia verò tantummodo in has classes esse recipiēda, illorumque duntaxat habendam in hoc categoriarum tractatu considerationem.

*Recita diuisionem posteriorem.*

*Eorum quæ sunt* *

*Alia de subiecto aliquo dicuntur, nec in subiecto insunt vllo:*
Vt homo, animal, corpus, etc.

*Alia in subiecto sunt illa quidem, sed de subiecto nullo dicuntur:*
Vt hæc albedo, hæc grammatica, etc.

*Alia, & de subiecto dicuntur, & sunt in subiecto:*
Vt albedo, grammatica, etc.

*Alia verò, nec in subiecto sita sunt, nec de subiecto dicuntur vllo:*
Vt Socrates, hic homo, hoc animal, hoc corpus.

*Quid est dici de subiecto?*

Dici de subiecto, est prędicari de eo, ad cuius naturam pertinet. Sic homo de Ioanne, Petro, etc. albedo de hac & illa dicitur tanquam de subiecto.

*Quid est esse in subiecto?*

Esse in subiecto, est inhærere fortuitò.

Reci-

*Recita verba Aristotelis, quibus explicat, esse in subiecto.*

* In subiecto id esse dico, quod in re aliqua inest, non tanquam pars, nec ab eo cui inest, seiungi separarique potest.

Hoc est, fieri nō potest, vt sit sine subiecto Proponitur enim postrema hac parte, propria quędā accidentis conditio, quæ est, separatim à subiecto consistere non posse: sed eidem perpetuo quodā nexu penitissimè inhærere, quadiu in rerū exstiterit natura.

Quod etiam tertiæ definitionis accidentis pars vltima indicabat. Sic in homine, velut in subiecto, est cādor. Non enim pars est hominis, & impossibile est ipsum sine homine esse. Itidem color in corpore est vt in subiecto.

*Quis est vsus posterioris istius diuisionis?*

Hinc docemur, tum quę in eadem, tum quæ in diuersis collocanda veniant categorijs. Ea enim quæ de subiecto quidem dicuntur aliquo, in subiecto autem nullo sunt, & quę neque de subiecto dicuntur, neque in subiecto sunt, omnia ad eandē categoriam pertinent, nimirum substantiæ.

Eorū verò quæ in subiecto sunt, & de subiecto nullo dicuntur, & itē, quæ non modò in subiecto sunt, sed de subiecto quoq; aliquo dicuntur, aliqua quidem eiusdem sunt categorię, vt quæ inter se sunt genera, species, & indiuidua, vt color, albedo, hæc albedo, Plurima vero ad diuersa referuntur. Siquidem substantiæ vnica categoria est, & proinde omnes substantię quotquot sunt in ea

vna reponuntur. At quia accidentium ordines ſunt nouem, ideo accidentia pleraq; omnia ad diuerſas categorias pertinere dicimus.

Hîc igitur eſt primarius huius diuiſionis vſus, Porrò & obiter hũc diſcere liceat, quæ ſubſtãtię, quæ accidentia exiſtant. Nam quę in ſubiecto ſunt, accidentia ſunt reliqua omnia ſubſtãtiæ iuxta illã diuiſionem entis, qua dicimus: Quidquid eſt in tota rerum vniuerſitatẽ, aut ſubſtantiam eſſe, aut accidens.

## REGVLÆ DVÆ.

*Recita priorem regulam.*

* Cùm alterum de altero tãquam de ſubiecto dicitur, quidquid de prędicato dicitur, id omne de ſubiecto quoque dicetur.

Cuius ſententia à veteribus ſic declaratur: Si duarum rerum vna prædicetur de altera, tãquam de ſubiecto ſeu eſſentiali prædicatione, quidquid de eo quod prædicatur dicitur vt de ſubiecto, id etiam ita de primo dicetur ſubiecto.

Alij ita reddũt: Quidquid eſt ſuperius ſuperiore, etiam eſt inferiore ſuperius, vt ſi homo eſſentia & natura ſua eſt animal, & animal natura ſua eſt corpus, erit & homo natura & eſſentia ſua corpus. Similiter ſeſe habent ternarius, numerus, & quantitas: Rurſus, Grammatica, ſcientia, & habitus, atq; ita in alijs categorijs.

Ex interpretatione patet, clauſulam illam (tãquam de ſubiecto) neceſſariò repetendam eſſe ſecũdo loco, vbi dicitur in regula (quidquid de prędicato dicitur.) Alioqui enim falſa erit regula, dabi-

dabiturque facilè exceptio in hisce tribus, homo, animal, & quadrupes: Item, homo, animal, genus.

*Quis est vsus prioris regulæ?*

Habet certè maximum vsum, potissimum autem ad categorias conducit: Rationē enim ac viā quandam monstrat, qua deprehendamus, quid quo superius sit: & quod in definitionibus & diuisionibus præcedentibus discere cœpimus de vocibus ad eandem categoriam deducendis, id hac regula absoluimus. Monemur enim ea, quæ ita de se prædicantur, vt regula probè intellecta præscribit, ad eūdem ordinē pertinere. Proinde non solum eiusdem ordinis sunt substantiæ omnes, sed & quæcunq; sub hanc regulam cadunt accidentia vnius atq; eiusdem inter se sunt categoriæ.

Indiuidua igitur cum sua specie, generibus & differentijs eiusdem sunt classis.

*Recita regulam posteriorem.*

* Quando genera diuersa sunt, nec vnū ab altero continetur, eorum etiam differentiæ speciē differunt.

* Eorum autem generum, quorum vnum ab altero continetur, nihil prohibet easdem esse differentias.

Hoc est, omnium generum diuersorum, quę categorijs diuersis continentur, omnes differentiæ sunt specie diuersæ: Aliquorum verò generum, quæ eiusdem cetegoriæ nihil prohibet easdē esse differentias.

Exposuimus prius mēbrum vtrinq; vniuersè, nam alioqui non constabit membrorum opposi-

tio,

tio,quam postulat aduersantium propositionum natura.

Lectio regulę varia est,dum alij legũt τῶ εἰδῶ alij in nominatiuo τὰ εἴδη,vt legatur: diuersæ sunt species & differentiæ, sed eôdem recidit.

Diuersa genera sunt, quorum vnnm non est aliud.

Genera quorum vnum sub altero non continetur,seu vt antiqua trãslatio habet,nõ subalternatim posita (est enim Gręcis ὑπάλληλα) sunt quorum neutrum ponitur sub altero, nec ambo sub eodẽ tertio.Huiusmodi sunt omnia quę diuersarum categoriarum.

Hinc intelligitur, quæ hîc genera subalterna, seu subalternatè posita,Gręce ὑπάλληλα dicuntur,quæ videlicet ad vnum genus & quasi caput referuntur,aut vnũ ab altero cõtinetur:cuiusmodi sunt omnia eiusdem categorię genera.

Differentiæ eadem,quæ idem genus diuidunt vel eandem constituunt speciem.

Hinc etiam intelligitur,quę hoc loco differentiæ diuersæ habeantur.Exemplũ prioris partis regulæ: Animalis & scientiæ, oẽs differẽtiæ species sunt diuersę,similiter & species,& ita de alijs diuersarum categoriarũ generibus omnibus. Posterioris partis exẽplum: Corporis & animalis,rationale & irrationale diuidẽtes differentiæ sunt: iuxta hanc regulam,Quæcunque differentia diuidens est inferioris,eadem quoq; superius diuidit. Eorundem autem,corporeum est constituens differentia,secundũ alteram regulam: Quæcunq; cõstituens est superioris,eadẽ quoq; cõstituit inferius,

rius,licet non proxime: sic corporeum, animal constituit interuentu corporis & corporis animati.

*Monitio.*

Aduertendum est, quędam esse genera subalternaté posita,seu eiusdem categoriæ, quæ nullá differentiá aut speciem eandem habeant:vt, corpus & spiritus,animal & spiritus, habitus & figura.Et proinde posterior pars à nobis sensum reddentibus,speciatim intelligebatur.

*Quis est vsus regulæ posterioris?*

Hæc regula videtur ab Aristotele adhibita, vt ostenderetur affectio mutua tam eorum,quę sunt in diuersis categorijs,quā quæ sunt in eadé.Prior enim pars regulæ exhibet affectionem rerum in diuersis categorijs collocatarum. Posterior,rerũ eiusdé categoriæ. Deinde per eam docet Aristoteles categoriarum naturas non esse permistas, summaque rerum genera inter se diuersa esse diuersasque illorum species & differentias omnes. Ambigué autem accipitur corpus, vt species est quantitatis & substãtiæ. Similiter & rationale, vt differentia diuidens est animalis, & vt scientiam diuidit.Quod facile fuerit declarare.

## TRANSITIO.

His,quæ anteprædicamenta vocantur, ad hũc modum vtcunq; enarratis,ad ipsa iam prædicamenta & categorias cum Aristotele accedamus.

# PARS SECVNDA

*Recita ex Aristotele generalem categoriarum diuisionem.*

Quę

QVæ ſimplicia ſunt, ea vel ſubſtantiam ſignificant, vel quantitatem. vel qualitatem, vel quę cum aliquo conferuntur, vel locum, vel tempus, vel ſitũ, vel habere vel facere vel pati.

*Explica latiùs, quæ ſimplicia dicuntur.*

Simplicia dicuntur, voces ſimplices, rem vnã definitæ naturæ ſignificantes. Neq; enim omnibus vocibus etiam ſi ſint ſimplices, in categorijs locus eſt.

*Quis eſt vſus huius diuiſionis?*

Explicatur per eam numerus categoriarum.

Numerus categoriarum.

| | |
|---|---|
| Subſtantia, | vt homo, equus. |
| Quantitas, | vt bicubitum, tricubitum. |
| Qualitas, | vt albedo. |
| Ad aliquid, ſeu relata, vt duplum, maius. | |
| Agere, | vt ſecare, vrere. |
| Pati, | vt ſecari, vri, |
| Vbi, | vt in foro, in Lycio. |
| Quando, | vt heri. |
| Situm eſſe, | vt ſedere, iacêre. |
| Habere, | vt calceatum eſſe. |

Aduertendum eſt, prædicamentorum nomine aliquando quidẽ ipſius ordines ſeu claſſes rerum intelligi, vt cum vocem aut rem aliquam huius aut illius prædicamenti & categoriæ eſſe affirmamus.

Hic verò ipſa ſumma rerum genera intelligũtur. Nõ enim ſeries cuiuſque categoriæ, ſed omnium ordinum cápita recenſemus.

Quo-

*Quo pacto categoriæ generatim à se mutuò distinguuntur?*

Hoc pacto, quod vnica sit substantiarum, reliqua accidentium. Rursum, accidentium quædam absoluta sunt, cætera relata, de quibus ordine nunc est agendum.

## DE CATEGORIA substantiæ.

*Quid est substantia?*

*Substantia est res per se cohærens, accidentibus subiecta.*

Est enim substantia omnium perfectissima, & basis atq; fundamentum cæterorum. Vnde etiam rectè ab ea, propositis accidentibus, orditur categoriarum tractationem Aristoteles, secutus naturæ ordinem, quo, teste Boetio, substantia cætera antecedit. Per se subsistere opponitur illi, quod est esse per aliud, quomodo accidentia in suis existũt subiectis.

*Recita substantiæ diuisionem.*

* Substantiarũ alia est { Prima substantia. / Secunda substantia.

*Quid est prima substantia?*

*Prima substantia est, substantia singularis,*

Ioannes, Paulus, Socrates, Plato.

*Quid est secunda substantia?*

*Secunda substantia est, substantia vniuersalis,*

Vt homo, animal, corpus animatum, corpus, etc.

*Recita*

*Recita ex Aristotele primæ substantiæ descriptionem.*

* Substantia, quæ & propriè, & primùm, & maximè appellatur, ea est, quæ nec de subiecto vllo dicitur, nec in subiecto vllo inest.

In qua definitione totum hoc, substantia quæ proprié, primū, etc. περίφασις est definiti, hoc est, primæ substantię. Vbi tria illa, proprié, primū & maximé, pro ijsdem & se mutuo interpretantibus Faber habet, licét alij acutè distinguere nitantur.

*Cur istæ substantiæ primæ appellantur?*

Quia non solùm accidentibus, sed etiam secūdis substantijs subiacent, ipsis autem nihil. Eadē est ratio, quare dicantur & maximè, & p̄cipuè substātiæ, vt pulchrè Aristoteles explicat his verbis:
„ Prætereà primæ substātiæ, quia cæteris omni-
„ bus subiectæ sunt, reliquaq; omnia aut de eis di
„ cuntur, aut in eis sunt, idcirco maximè substā-
„ tiæ primæq; naturæ dicuntur. Et paulò post:
„ Primæ substantiæ, quia omnibus alijs subiectæ
„ sunt, etc. principales substantiæ dicuntur.

*Recita secundarum substantiarum ex Aristotele descriptionem.*


* Secūdæ substantię vocantur species eæ, in quibus illę, quę primùm nominantur naturæ insunt, itemque earum formarum genera.

Hoc

Hoc eſt, Secundæ ſubſtantiæ ſunt, quarũ vnaquæq; eſt ſpecies aut genus, in quo principales ſubſtãtiæ inſunt. Inſunt, inquã, eo modo, quo inferiora ſuis inſunt ſuperioribus, vel ſubſunt potiùs. ſic in homine & animali, inſunt Demoſthenes, Cicero, & alij ſingulorum hominum: ſunt enim hæc illorum inferiora.

*Recita ſeriem prædicamenti ſubſtantiæ.*






Hic eſt ordo ſubſtantiarum,vnde,cûm inciderit aliqua de ſubſtantia diſputatio,definitio colligenda eſt:& præcipuè genera in definitionibus ſumuntur ex hac tabella.

Ab hoc ordine excluſas non vult in ſuo contextu Ariſtoteles ſubſtãtiarũ partes integrales, vt ſunt pedes,manus,pectus,caput,etc.

## *Admonitio.*

A recitata modò ſubſtantiarum tabula priuſquam digrediamur,tempeſtiuè admonẽdos putauimus ſtudioſos,vt qui perfecte vocũ ac rerũ naturales cognoſcere mutuas affectiones,ipſarumq́; vt oportet,diſcernere cõnexiones ſeu prędicationes(de quibus in fine libri primi diximus)velint, omnes omnium categoriarũ & præſertim categoriæ qualitatis,ſeries ad verbum ediſcere ſtudeat.

*Quot*

*Quot sunt substantiæ (vt vocant) proprietates?*

*Sex.*

*Recita primam substantiæ proprietatem.*

* Commune est omni substantię non inesse in subiecto.

Omni substantiæ conuenit, esse, non autem in subiecto aliquo, cui velut fulcro niteretur, sicut accidentia, quæ tantum habent (esse) in subiecto.
„ Sed non est substantiæ hoc proprium (inquit
„ Aristoteles) quin etiam sunt in ijs quæ non in-
„ sunt in subiecto, differentiæ.

*Recita secundam substantiæ proprietatem.*

* Hoc essentijs ipsis & differentijs tributũ est, vt de quibus ipsa dicuntur, συνονύμως dicantur omnia.

*Quid est prædicari συνονύμως?*

Prædicari συνονύμός seu vniuoce, est nomine & ratione dici. Neq; rursus hoc substantię proprium est. Nam non competit substantiæ omni, non enim primæ. Neq; itẽm soli, quia etiam differentijs tribuitur. Ob hoc namq; vnà cum substantijs, differentiarum simul mensionem ingessit Aristoteles.

*Recita tertiam substantiæ proprietatem.*

* Omnis substantia quiddam hoc vel illud significare videtur.

*Quid est significare quiddam hoc vel illud?*

Est significare indiuiduam & singularem substantiam.

Sic autem non videntur tantum, sed etiā verè & sine dubitatione (inquit Aristoteles) quiddam hoc vel illud significant nomina primarum substantiarum. Reliqua autem (vt secundæ substantię differētię, cōcrēta accidentium) videntur solum quiddam hoc, aut illud significare, idque τῷ σχήματα τῆς προσηγορίας, figura appellationis seu nominationis. Hoc est: causa, quàobrē videantur singularem substantiā significare, est, quia substantia singularis, vt suo nomine, ita etiā nominibus secundarum substantiarū, differentiarum, & accidentium concretorum appellatur, Vt, hic homo non solùm Socrates appellatur, sed homo, animal, corpus, etc. Prætereà, rationis particeps, sensibilis, corporeus. Deniq; deformis, caluus, patiens, sapientissimus, &c.

Constat ex his, proprietatem omnibus substātiarum vocibus tributam esse, neq; solis tamen substantijs cōuenire, sed in vniuersum vocabulis omnibus, quæcunque verè affirmantur de prima substantia.

*Recita quartam substantiæ proprietatem.*

* Hoc etiam substantijs insitum est, vt ipsis nihil sit contrarium.

Hoc est, Nullæ substantię ratione propriæ naturę contrarię sunt inter se, vt, ignis aquę nō est contrarius, si essentiam consideras: quòd autem esse contraria aliquādo dicantur, fit propter qualitates cōtrarias, quæ in ipsis insunt. Porrò nihil esse contrarium (teste Aristotele) non est substātiæ proprium. In plerisq; enim alijs rebus hoc cernitur, veluti in quātitate. Nihil enim lōgo duos

trésue

tréſve cubitos contrarium eſt neq; decẽ, nec cuiquam generis eiuſdem. Vſitatũ eſt Logicis, cõtrariam appoſitionem propriè qualitatibus inter ſe pugnantibus tribuere, vt dicetur in ijs quę categorias ſequuntur.

*Recita quintam ſubſtantiæ proprietatem.*

* Illud prætereà ſubſtantijs conuenit, vt nec elationem, nec ſummiſsionem ſuſcipere poſsint.

Hoc eſt, Nulla ſubſtantia cum aduerbijs magis & minus prædicari poteſt.

Quod quomodo intelligẽdum ſit, ipſe ſatis declarat Ariſtoteles his verbis:

Quod non ita dictum velim, quaſi ſubſtantia alia alia, nec magis nec minùs ſubſtantiæ nomen obtineat, hoc enim conceſſum eſt: ſed hoc volo, nullam ſubſtantiam, idipſum quod ſuapte natura eſt, nec magis nec minus ſibi vendicare.

Veluti ſi homo ſubſtantia eſt, nec ipſe ſeipſo magis aut minus eſt, nec alter altero magis eſt aut minus homo.

Neq; enim alter altero nomen hominis magis obtinet, ſicuti res alba alia alia albior eſt, & minus alba: & honeſtum aliud alio honeſtius eſt, & minus honeſtum.

Quin etiam idem ſeipſum magnitudine aliquà & exiguitate ſuperare dicitur, vt corpus cũ candidum ſit, hoc tempore quam antea albius vocatur: & quod calidum eſt, magis minuſq; calidum.

At verò eſſentia, nec magis, nec minus eſſentia nominatur.

Neq; enim homo nunc magis, quàm antea no

men hominis obtinet, nec quidquam eorũ quæ ſubſtantia appellantur.

Quare non patitur ſubſtantia illud magis aut minùs ſibi tribui.

*Recita ſextam ſubſtantiæ proprietatem.*

* Hoc ſubſtantiæ proprium eſt maximè, vna eadẽq; cùm ſit numero, vim habere accipiendi contraria.

*Cur maximè proprium ſubſtantiæ eſſe dicitur, quod vna eademq; numero, vim habeat accipiendi contraria?*

Ob hanc cauſam(ſi Fabro Stapulẽſi creditur) quòd inter reliqua propria ſubſtantiæ attributa, vnicum iſtud ſoli competat ſubſtantiæ, etſi non omni: cæterarum proprietatum nulla in ſolam ſubſtantiam cadat, vt ex ijs quę dicta ſunt eſt manifeſtum. Quod autem alijs conuenit, non tã proprium, quàm commune eſt dicendũ. Sic ille. Alij aliter ſentiunt, verum quum hæc ſententia nobis probetur, nihil opus eſt ſubtiles aliorum ſententias hoc loco commemorare.

Sola igitur ſubſtantia viciſsim contraria ſuſcipere poteſt, tãquam eorum ſubiectum vltimum, quod videlicet vlterius in alio non eſt. Cuiuſmodi ſubiectum non eſt ſuperficies. Eſt enim in ſubſtantia,

Homo autem ſubiectum vltimum eſt candoris & nigroris, caloris & frigoris, eaque ſecũdum ſui mutationem viciſsim ſuſcipit, vnus idemque manens. Similiter aqua, quę licet vna eademq; maneat,

neat,tamen nunc calorem,nunc frigus,nũc dulcedinem,nunc amaritudinem, nunc ſpiſsitudinem,nunc tenuitatem,contrarias inter ſe qualites, recipit.

Oratio autem & opinio ( teſte Ariſtotele)non accipiunt contraria, quemadmodum ſubſtantiæ. Nam ſubſtantiæ permutantur ex eo, quòd contraria recipiant,vt cum quis ex ſano fit valetudinarius:Oratio autem & opinio,tametſi videantur quoque ſuſcipere contraria, non tamen ſui,ſed alterius mutatione. Res enim mutantur, non oratio aut opinio ipſa, quæ nunc vera nunc falſa dicitur.

*Monitio.*

In his acutè excutiendis mirum quam ſudarint quorundam plus ſatis curioſa ingenia,ſed vitanda nimia ſubtilitas. Video enim artem hanc, dum ſcriptores nimium ſtudent argutijs,& ad viuum omnia reſecant,obſcuratam eſſe,vt verè dictum ſit:

Crede mihi,ſapere eſt,non nimium ſapere.

Et apud Terentium:

Faciunt nę intelligendo,vt nihil intelligant.

Quapropter nos ad vſum potiùs tranſeamus.

*Quis eſt vſus proprietatum ſubſtantiæ?*

Vt exactiùs diſtinctiuſq́; ſubſtantiæ naturam doceret,proprietates has adduxit Ariſtoteles,quæ certiorem plenioremq́; ipſius cognitionem facerent, quandoquidem per veram definitionem, qua ſumma genera omnia carent,ſubſtantiæ notitiam aſſequi nequimus.

# DE QVANTITATE.

Consilium Aristotelis diligenter considerandum est, qui post substantiam statim mentionem fecerit numerorum & magnitudinum. Magnitudo enim in substantia corporea ita hæret, vt nunquã prorsus eam substãtia corporea exuat at multæ qualitates admittuntur. Numerus quoque substãtias mox cõsequitur: & res quaslibet, primum discernimus ac ordinamus numeris. Et nisi numerorum notitia mentibus humanis esset insita, horribiles tenebrę essent. Verùm nulla eloquentia vtilitatẽ numerorum satis exponere potest, Sed à descriptione quantitatis hunc tractatũ ordiamur.

*Quid est quantitas?*

*Quantitas est, secundum quã aliquid dicitur quãtum, vel aliqua dicuntur aliquot.*

Secundũ quantitatem coniunctã, de qua postea, aliquid dicitur quantum: secũdum numerũ aliqua dicuntur aliquot. Neque enim à numero solemus dicere res quãtas Nam eum, qui tres minores digitos hodie amiserit, fatemur tantos seruasse digitos, quantos perdidit, hoc est, tam magnos, nimirum referentes significationem adiectiui (quantus) ad solam continuam quantitatem. Verùm hanc disputationem Grammaticis relinquamus, & quia quantitati proprie conuenit mẽsurare & diuidi, poterit his quoq; modis quãtitas apte describi.

*Quantitas est substantiæ mensura.*

In quantitatem enim quadrat, per se metiri substan-

ſubſtantiam, ſecundũ extenſionem, durationem, & multitudinem.

Rurſus.

*Quãtitas eſt res per ſe in partes diuidua vel extẽſas vel duratione ſuccedẽtes, vel diſcretas, ſiue multas.*

Ea igitur quæ à quantitate aliena ſunt, aut omninò diuidi nequeunt, vt ſubſtantiæ incorporeæ, etc. aut per accidens, ſed ratione quantitatis ſecantur, vt corpora omnia categoriæ ſubſtantiæ.

Sunt & alia duo quæ quantitàti propriè conueniunt, vt eſſe æquale vel inæquale, eſſe finitum vel infinitum, à quibus etiam facilè ſimiles formantur ipſius deſcriptiones.

*Recita priorem quantitatis diuiſionem iuxta Ariſtotelis doctrinam?*

Ex cap. 3.

* Quantorum { aliud deiunctum eſt / aliud coniunctum.

Hoc eſt, Quantitas diuiditur in quantitatem coniunctam ſeu cõtinuam, & deiunctam quantitatem ſeu diſcretam.

*Cuiuſmodi eſt iſta diuiſio?*

Sic intellecta, diuiſio generis eſt in ſpecies.

*Quid eſt quantitas coniuncta?*

*Quantitas coniuncta eſt quantitas, cuius partes integrales termino communi copulantur.*

*Quæ ſunt ſpecies quantitatis coniunctæ?*

Species quantitatis cõiunctæ ſunt { Linea / Superficies / Corpus / Tempus.

*Quid est linea?*

Linea est longitudo sine latitudine, cuius partes puncto copulantur.

*Annotatio.*

Sciant autem iuniores hæc nō dici de linea picta, sed de linea mente cogitanda, quę tantummodo lōgitudo est ab omni corpore abstracta, vt Mathematicus considerat quantitates sine materia. Huius vt specimē aliquod exhibeamus, finge animo rem atomam longè illis puluisculis, quos in solaribus radijs volitare cernimus, subtiliorem, in longitudinem ex alto in decliue tendi, vel è contrario, & quod relinquitur, erit linea, sola videlicet longitudine sectilis. Similiter imaginare superficies & corpora huius categoriæ.

*Quid est superficies?*

SVPERFICIES est longitudo & latitudo sine profunditate, cuius partes linea copulantur.

*Quid est corpus?*

CORPVS est longitudo, latitudo, & altitudo sine profunditate, cuius partes superficie copulantur.

*Explica discrimen quod est inter corpus categoriæ substantiæ, & corpus quod est huius categoriæ quantitatis.*

CORPVS vt substantia est significat rem, quę habet materiam, vt cælum, elemēta, aut mista ex elementis. Sed in quantitate, corpus significat magnitudinem, secundum quam materia longa est, lata & profunda.

Quid

*Quid est Tempus?*

TEMPVS est mensura durationis rerum, cuius partes momento copulantur. Et à Philosopho in quarto de natura libro ita describitur:

*Tempus est numerus motus superioris & consequentis.* Ex ca.11.

Cuius explicatio illo loco est requirenda, sicut & huius ambiguitatis: An tempus sit species infima, an genus.

Illud satis constat, hæc verba, hora, dies, mẽsis, annus, olympias seu lustrum, seculum, etc. certam temporis durationem designantia, esse inter se, & cum tempore, quantum ad præcipuam attinet significationem, synonyma, & quadam minùs prin cipali notione inter se differre. Neque enim essentiale speciei discrimen habent hora & dies, vt nec vnius pedis linea, & duorum, cũ ex illis hæc componatur, sicut ex multis guttis integra aqua. Reliquas autem quantitatis continuę species, lineam, superficiẽ, atq; corpus, certũ est species imas esse.

*Quid est quantitas deiuncta?*

*Quantitas deiuncta seu discreta est, cuius nullæ partes integrales termino communi copulantur.*

*Quot species tribuit Aristoteles quantitati discretæ?*

Duas, { Numerum & Orationem.

Nos tamen recentiorum secuti sentẽtiam orationem in sonis potiùs collocandam censemus, in categoria videlicet qualitatis, id enim est magis perspicuum.

Quid

*Quid est numerus?*

*Numerus est multitudo ex vnitatibus collecta.*
Vt,duo,tria,quatuor.

*Recita posteriorem quantitatis diuisionem ex Aristotele.*

* *Quantitatum alia cōstat ex partibus,quæ situm quendam inter se habent:alia ex ijs quæ non habēt.*

*Qualis est ista diuisio?*

Hæc diuisio,esse subiecti dicitur in accidens, & huius negationem.Est enim situs accidens quantitatis.

*Quarum quantitatum partes inter se situm habent?*

Lineæ } Superficiei } Corporis } Partes habent situm.

Sunt enim sitæ alicubi,vt Aristoteles habet.

*Quarū quantitatū nullæ partes habēt inter se sitū?*

Temporis & Numeri } Nullæ partes habent situm.

„Quia non sunt sitæ alicubi,vt in contextu Ari-
„stotelis latiùs declaratur.

*Recita quantitatis seriem.*

Quantitas { Coniuncta { Linea, Superficies } hęc,illa; { Corpus, Tempus } hoc,illud } ; Deiuncta.

Nume-

Numerus { Binarius, Ternarius, Cētenarius, Milienarius } hic, ille.

*Quot sunt quantitatis proprietates?*

*Tres.*

*Recita primam quantitatis proprietatem.*

* Quantitati nihil est contrarium.

Hoc est, nulla quantitas alteri cōtraria est. Omni enim quantitati hoc competit, licèt non soli.

*Recita secundam quantitatis proprietatem.*

* In quantitate magis aut minus non reperitur.

Vt, bicubitum vnum non magis alio bicubitum dicitur.

Rursus omni competit quantitati, non autem soli, quia etiam substantijs, quemadmodū & prior proprietas. Vnde contrarium esse & suscipere magis & minus hìc ita accipiēda sunt, vt in substantia est indicatum.

*Recita tertiam quantitatis proprietatem.*

* Quantitati maximè proprium est par vel impar, nominari.

Id ob hoc maximè proprium quantitati censetur, quòd omni, soli, & sempér accidat.

*Quæ quantitates pares sunt seu æquales?*

Quantitates pares sunt, quarum neutra alteram superat in eadem ratione mensuræ, vt lineæ duorum pedum. Item duo ternarij.

Quæ

*Quæ quantitates ſunt impares ſeu inæquales?*

Impares quantitates ſunt, quarum altera alteram in eadem menſuræ ratione ſuperat. Sic linea duos pedes longa, à linea trium pedum vincitur longitudine, quæ eſt propria dimenſio lineę. Item ſenarius multitudine vnitatum vincit binarium.

*Quæ eſt propria dimetiendi ratio ſingularum quantitatum?*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Propria mẽſurã-di ratio | Liniæ | eſt | Longitudo. |
| | Superficiei | | Latitudo. |
| | Corporis | | Profũditas ſeu craſſities. |
| | Temporis | | Duratio. |
| | Numeri | | Multitudo. |

Omnes igitur numeri eodem modo ſunt menſurę, metiuntur enim ſecundum multitudinem: ac proinde omnes quicunque dabuntur numeri, ſũnt vel æquales, vel inęquales. Sed non ita ſe habet in quantitatibus continuis. Nam quæcunque ibi dicuntur æquales, vel inæquales, eiuſdem debent eſſe ſpeciei.

*De quantitates nec pares, nec impares.*

Eiuſmodi ſunt linea & ſuperficies, aut alię quæuis coniunctæ diuerſarum ſpecierum. Præterea etiam vna continua quantitas cum numero.

*Quis eſt vſus proprietatum quantitatis?*

Vtilitas qnantitatis proprietatum, ad eum monſtratur modum, quo proprietatum ſubſtantiæ vſus fuit declaratus. Atqui hactenus breuiter de quantitate & ſpeciebus eius dictum ſit, ne in categorijs, quibus rerum vniuerſitas proponitur, tam inſignia accidentia, magnitudo & numerus prætereantur. Sed copioſior de eis doctrina in Arithme-

Arithmetica & Geometria traditur, ad quas artes ea quæ diximus,licèt pauca, magnū habēt vsum.

## DE RELATIS.

Facta est ab Aristotele relatorum mētio in tractatione proprietatum quantitatis, mox ea igitur ille aggreditur duas innuēs eorum descriptiones.

### *Recita priorem relatorum descriptionem ex verbis Aristotelis.*

* Relata ea esse dicūtur,quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur. Ex ca.4

Dici aliorum, est referri ad aliud in genitiuo casu.

Exempla igitur prioris partis sunt: dominus & seruus,pater & filius,etc.Posterioris, vt magnum & paruum,maius & minus,quę referuntur non in genitiuo.

Porrò descripta sunt hac priori definitione,tam relata quæ secundum dici, quàm quæ secundum esse vocantur, hoc est, siue impropria, siue propria.

### *Quid est relatum improprium?*

Relatum improprium,est quod primò rem absolutam,secundariò verò relationem ad aliud significat:vt manus & manuatum : locus locatum: scientia & scibile.

### *Quid est relatum proprium?*

Relatum proprium est, cuius primaria significatio est relatio,vt,pater,simile.

Recita

*Recita posteriorem relatorum descriptionem ex verbis Aristotelis.*

* Relata sunt, quorum vis omnis & natura in eo posita est, vt ad aliquid affecta sint.

Hoc est, sunt, quorum essentia & natura est habitudo aut respectus ad aliud, vt pater & filius, dominus & seruus.

*Quæ relata hac descriptione continentur?*

Tantummodo relata propria, non autem relata impropria.

*An etiam sex postremas categorias hæc descriptio complectitur?*

Certum est complecti, licet propria series prædicaméto τοῦ πρός τι tribui soleat. A quo (si placet) ita sex posteriora distinguamus, quòd ea quæ in hac tertia categoria collocantur, nomen habeant à re interna, vt pater aliquis dicitur à paternitate, similis à similitudine, etc. Quæ autem sex posterioribus comprehenduntur, inhæreant quidem ijs quibus conueniunt, nomen tamē habeant à rebus externis desumptum: veluti calefacere dicitur ignis, cùm tamen motus in eo non sit. Sic dicimur esse in tempore, cùm tamen tempus in nobis non sit. Atque ita de alijs.

Verùm quod perpessionis categoria inter eas numeretur, idcirco factum est, quod inter illas actio collocata esset, quæ eius correlatiuum est: tum etiam quod perpessio à motu nomen habeat, qui medium esse videtur inter actionem & perpessionem.

Recita

*Recita ſeriem categoriæ relatorum.*




*Quot ſunt proprietates relatorum?*

*Quinque.*

*Recita primam proprietatem.*

* Reperitur in ijs, quę cum aliquo conferuntur, repugnantia.

Nihil quidem ipſi reſpectui contrarium eſt, ſed abſolutis quibuſdam, quibus reſpectus adhærent, eaque prius relata impropria vocauimus. Virtus

namque vitio contraria est,inquit Aristoteles, & scientia ignorantiæ, cùm vtrunque in ijs sit quæ cum aliquo comparantur.

*Anne hæc conditio relatorum cum sequenti sit appellanda communitas potius?*

Ita sanè:eò quòd nec omnibus relatis conueniat,nec solis:nullis enim relatis proprijs, & multis qualitatibus:vt nigredini & albedini, etc. quæ nullam relationem significant,competit.

*Recita secundam proprietatem relatorum.*

* Magis & minus in ijs reperitur,quę cum aliquo conferuntur.

Sic simile magis & minus dicitur simile. Sed non solis relatis hoc conuenit,Nam etiam albo & nigro & dulci, etc. Neq; etiam omnibus:Duplum enim non magis aut minus duplum quàm aliud habetur.

*Recita tertiam proprietatem.*

* Omnia quę in hoc relatorũ genere sunt, reciprocantur.

Vt,omnis pater dicitur filij pater, & omnis filius dicitur patris filius:Et conuenit hoc omnibus relatis & solis.

*Recita quartam proprietatem relatorum.*

* Relata sunt simul naturæ ordine.

Vt pater & filius.

*Quomodo definit Aristoteles ea quæ sunt simul ordine naturæ?*

Ea definit in postprædicamentis hoc modo.

* Natura simul sunt ea,quæ reciprocãtur, illa

illa quidem in argumẽtatione, qua si vnum sit, alterum esse concluditur: sed neutiquam alterum causa est ortus alteri.

Quæ definitio rectè intellecta, correlatiuis solis congruit.

*An omnia relata sunt simul natura?*

*„Non in omnibus ijs, quæ cum aliquo conferuntur „(inquit Aristoteles) id verè dicitur, ea simul esse „ordine natura.*

*„Nam res ea, quæ sciẽtiæ subiecta est, prior est na-„turæ ordine sciẽtia: & postea addit: sublata re quæ „sub scientiam cadit, scientia quoque tollitur: at „sublata scientia, id quod cadit sub scientiam, non tollitur.*

Itaq; proprietas hæc soli & non omni cõuenit.

*Quam nunc adijciunt quintam proprietatem?*

Si quis certò sciat aliquid eorum quæ in hoc genere sunt, etiam illud cum quo confertur probè intelliget.

Hoc est, qui nouit naturam vnius relatorum, cognoscet etiam naturam correlatiui eius. Nam per se mutuò definiuntur. Atque hæc proprietas omnibus & solis proprijs relatis tribuitur.

*Commemora illa documenta, quæ ad doctri-nam relatorum rectè intelligendam hoc loco tradi solent.*

PRIMVM DOCVMENTVM EST.

Omnis relatio versatur inter duo, quorum al-

terũm vocatur fundamentum,alterum terminus.

*Quid eſt fundamentum?*

FVNDAMENTVM, eſt res à qua oritur relatio.

*Quid eſt Terminus?*

TERMINVS, eſt res ad quam ordinata eſt relatio.

*Quid eſt Relatio?*

Inter hæc,Relatio eſt ipſa applicatio, ſeu ordo fundamenti ad terminum,vt cùm de patre loquimur,fundamentum eſt perſona,quæ genuit: terminus,perſona genita: ordo à patre ad filium, dicitur paternitas.

Limitis fundamentum lapis eſt: Terminus is ager qui limitatur: Relatio eſt ipſa ordinatio lapidis ad agrum limitatum. Eſt ergo limes,lapis ordinatus ad limitandos agros.

SECVNDVM DOCVMENTVM.

Cuilibet relatiuo reſpondet ſuũ correlatiuum, vt cum dicis: Cambyſes eſt filius, nihil intelligi poteſt, niſi addas cuius ſit filius, vt,Cambyſes eſt filius Cyri. Ideo Ariſtoteles relatiua λέγεσθαι πρὸς ἀντιστρέφοντα,hoc eſt, ad conuertẽtia ſeu correlatiua dici,quod eſt,eſſe mutuas collationes,vt,magiſtratus eſt; qui certo iure ciuitatem regit:ciuitas eſt, quæ certo iure regitur à magiſtratu.

Et hæc mutua collatio facilè agnoſci poteſt, vbi cõſuetudo loquẽdi ſuppeditat vocabula mutua:relatiua (inquam) & correlatiua, qualia hæc ſunt:Pater & filius:dominus & ſeruus:ſed cùm deſunt vocabula, minus cõſpicitur hęc viciſsitudo, attamẽ mente cogitãda eſt. Nam in qualibet relatione

tione ſunt duæ mutuæ collationes.

*Quid maximè obſeruatione dignum eſt in hoc documento?*

Relata non poſſe definiri, niſi facta mentione correlatiuorum: vt, pater eſt, qui habet filium.

TERTIVM DOCVMENTVM.

Fundamentum vocatur materia relationum.

Forma dicitur ipſamet relatio, ſeu ordo ad terminum, vt, materia limitis eſt lapis: forma, eſt ordinatio ſeu reſpectus ad agrum limitatum.

Sæpe autem manent fundamenta extinctis relationibus, vt lapis in agro relinqui poteſt, etiam ſi non amplius, vt antea, fungitur limitis officio: ideo neceſſe eſt diſcerni materiam & formam in relatis, aut quod materiæ vim obtinet.

TRANSITIO.

Hactenus de relatis, quæ Græci τὰ πρός τι vocant, diximus: nunc ſecundum Ariſtotelis ordinem, de qualitate agamus.

## DE CATEGORIA qualitatis.

Hvic parti Ariſtoteles titulum præfixit: περὶ ποιοῦ καὶ ποιότητας (vt meminerũt Alexander, Diuus Auguſtinus, Boetius, & poſteriores) ποιὰ dicens concreta, ποιότητας abſtracta. Et prius deſcribit qualitatem per quale, poſtea, quale per qualitatem.

*Recita iuxta Ariſtotelem qualitatis deſcriptionem.*

* Qualitatem voco, ex qua quales aliqui nominantur.

Reduc hanc qualitatis descriptionem ad aliam cauillationibus minùs expositam.

*Qualitas est forma, ex qua aliquid dicitur quale.*

Vt ab albedine, lac dicitur album: & ex dulcedine, dulce.

*Quomodo diuiditur qualitas?*

* Qualitatis genera sunt plura, seu in multas species diuiditur, quæ sunt
- ἕξις καὶ διάθεσις. Habitus & affectio seu dispositio.
- φυσικὴ δύναμις ἢ ἀδυναμία. Naturalis vis, vel imbecillitas.
- παθητικὴ ποιότης καὶ πάθος. Patibilis qualitas, & perturbatio.
- Σχῆμα καὶ μορφή. Figura & forma.

## DE PRIMA SPECIE qualitatis.

*Quid est habitus?*

*Habitus est qualitas sensum omnẽ fugiẽs à Deo infusa, vel industria & exercitio comparata, nõ facilè mobilis à subiecto, qua aliquid redditur promptum ad aliquid operandum facile, & cum delectatione.*

Vt, scientia & virtus in angelis. Item scientia & artes labore & studio hominis acquisitę.

*Quid est dispositio & affectio?*

*Dispositio est habitus inchoatus, seu via ad habitũ.*

Licebit etiam dispositionem definire, quemadmodum

modum habitum prius definiuimus, sublata negatione ante τὸ (facile)& loco(prōptum)ponēdo (dispositum.)

Illa enim discrimen faciunt inter habitum & dispositionem, ex Aristotelis sententia.

*Quid in definitione habitus excludit particula sensum omnem fugiens?*

Excludit qualitates quartæ speciei & obiecta sensibilia, quæ sunt tertiæ speciei.

*Quid excludit particula industria & exercitio comparata?*

Separari aiunt qualitates secundæ speciei, quæ sunt innatæ. Et item tertiæ speciei, quæ nullo sensu percipiuntur: cuiusmodi sunt affectiones animi, & perturbationes.

*Recita seriem primæ speciei qualitatis.*




Vitium

Vitium
- Superabundantia
  - Temeritas.
  - Prodigalitas.
- Defectus
  - Timiditas.
  - Auaritia etc.

DE SECVNDA qualitatis ſpecie.

*Quid eſt vis naturalis?*

Naturalis vis & potentia, eſt qualitas innata ſenſum omnem fugiens, qua ſubiectum aptum redditur ad aliquid efficiẽdum, aut alicui reſiſtẽdum, aut aliquid ſuſficiendum, quod recipienti perfectionem aliquam afferat.

*Quotuplex eſt naturalis vis?*

Triplex ea eſt videlicet.
- Ad efficiendum & operandum, vt, ignis poteſt calefacere, atq; refrigerare, etc
- Ad facilè & fortiter reſiſtẽdum illis, quæ aduerſantur naturę ſubiecti ipſius, vt, ſalubritas in animalis corpore: & durities in eo quod durum eſt.
- Ad recipiendum, perfectionem: huiuſmodi ſunt ſenſus exteriores, per quos obiecta cognoſcimus.

*Quid eſt naturalis imbecillitas?*

Naturalis imbecillitas, eſt qualitas innata ſenſum fugiens, qua ſubiectum ineptũ redditur ad aliquid efficiendum, aut alicui reſiſtendum, aut aliquid ſuſcipiendum, quod ad ipſius recipientis perfectionem pertinet.

*Recita seriem secundæ speciei qualitatis.*




Natu-

Appetitus rationalis seu volũtas cui conuenit.
- Velle
- Imperare
- Liberũesse
- Eligere
- Frui,&similes

Facultas progrediendi.
- Ambulãdi
- Volandi
- Natandi,etc.

(enumeratæ (pri⁹ pasiões

Naturalis ĩbecillitas.
- Mollities
- Imbecillitas
- Insalubritas

- Currendi
- Gignendi
- Scribendi,etc.

ADMONITIO.

Potentijs animi,quas scemate secundæ speciei expresimus,non inutiliter addiderimus earum operationes,licet istius non sint speciei:Nam eas, alius ad tertiam speciem qualitatis, alius ad primam referendas esse contendit. Nonnulli à categoriarum serie quasdam submouent, quasdã,recipiunt. Sed suum cuiq; liberum esto iudicium. Nam hac in re & alijs eiusmodi, rectisime quadrare,locũq; habere videtur illud ab Aristotele in τῶν πρός τι prædicamentó dictum :difficile est aliquam qui in his non sit multum diuque versatus,de his talibus certum aliquid affirmare.

Quàm paucisimos enim,imò veriùs nullos nobis licuit inuenire,qui de harum qualitatum diuersitate atq; natura, exactè tractauerint vnanimi cõsensu.Plures inuenias,qui à seipsis in diuersis editionibus dissentiant.

*Quid de operationibus animi dicis?*

Operationes respondent facultatibus suis.Nã sensus opatio est sentire,intellect⁹ intelligere,atq; ita

ita de alijs quemadmodum in antegressa tabula est expressum. Si tamen sensus communis operationes requiras, eæ sunt, distinguere inter obiecta diuersorū sensuū, & percipere cuiusq; exterioris sensus operationes. Si phantasiæ, eius est colligere species rerum sensu non perceptarum, ex alijs speciebus rerum sensu perceptarum. Itē species componere & à se mutuo diuidere. Si memoriæ operationes quæras, eæ sunt meminisse, recordari.

DE TERTIA
qualitatis specie.

*Quid est patibilis qualitas?*

Patibilis qualitas, est qualitas quæ vnico sensu exteriori percipi potest, vel, affectus animi non facilè à subiecto mobilis.

*Quid est passio seu perturbatio?*

Perturbatio, est qualitas quæ vnico sensu exteriori percipi valet: vel affectus animi facilè subiecto mobilis.

*Quid est affectus animi?*

Affectus animi dicitur cordis commotio, appetentis vel fugientis proposita obiecta.

*Quotuplices sunt animi affectus?*

Sunt duplices: Alij diuturni, vt amor, odium, inuidentia, etc. hos si quis etiam habitus esse contenderit, nō valdè aberrabit, sunt enim habitibus similes. Alij sunt subiti mot⁹, vt ira subita in Aiace audiente sibi eripi arma Achillis: quæ est tanquam verberatio, qua cor fugiens illud malum & depellere studens, excruciatur.

*Da exemplum perturbationis.*

Vt, rubor repentinus, ex verecundia: pallor ex timore. Item, ira subita.

Da

*Da exemplum patibilis qualitatis.*

Vt,nigredo in æthiope,albedo, in niue:Odiũ, quod eſt ira inueterata,hærens in animo tãquam nota cauterio corpori iniuſta.

*Cur dicuntur iſtæ qualitates?*


Dictas vult Ariſtoteles iſtas qualitates patibiles Græcè παθητικάς,nõ quod ipſæ aut earum ſubiecta affecta ſint aliqua ex parte,ſed quod vel à pturbatione factæ ſint, vt pallor infantis ex metu matris,dum eũ vtero geſtaret. Vel quia in nobis motum quendam & affectionem efficiant,vt,dulcedo mellis,delectationem:amaritudo fellis, triſtitiam & horrorem parit.

*Recita ſeriem terræ ſpeciei qualitatis.*

PATIBILIS QVALITAS ET PERTVRBATIO.

- Obiectum ſenſus
  - Color
    - Albedo
    - Rubor,etc.
    - Lux
    - Lumen.
  - Sonus
    - Vox
    - Fragor,
  - Odor
    - Dulcis
    - Auſterus
    - Ponticus.
  - Sapor
    - Dulcedo
    - Amaritudo
    - Auſteritas.

Affectus




## ADMONITIO.

De affectibus animi(quos ad hanc pertinere speciem diximus(quædam hic addidisse non fuerit inutile.

Sunt 4. genera affectionum animi.

- Lętitia est suauis motus cordis,qui excitatur,cū cor obiecto expetitio fruitur.
- Spes,est suauis mot⁹ cordis,qui excitatur,cùm cor bonum futurum prosequitur,prælucente has cogitatione,quòd potituri simus eo obiecto.
- Tristitia,est cruciatus cordis compressi,tanquam fugitantis præsens malum.
- Metus,est cruciatus cordis cōpressi,tanquā fugitantis futurum malum.Et his motibus cordis seruiūt humorum motus in reliquo corpore,vt Physici docent.

HIS SVBIICIVNT

Delectationem, inuidiam, æmulationem, misericordiam, solicitudinem, desperationem, iram, excandescentiam, odium, desiderium, amorem, pudorem, horrorem, examinationem, aliaque id genus, de quibus Philosophorum, præsertim moralium, est tractare. In ijs enim coercendis, sudatur à viris bonis, & virtutum studio deditis.

## *De quarta qualitatis specie.*

Figura est quantitatis protractio: vt lineæ aut superficiei lineæ, vt figura plana: superficiei, vt, figura corporea, quam solidam vocant.

Geometræ figuram dicunt esse, quæ termino vel terminis clauditur. Termino vno, orbicularis clauditur figura, puta linea orbiculari. Item sphęrica figura, vna supficie circũdãte clauditur. Terminis continentur omnes aliæ, tam planę quàm solidæ: Planę quidem angulatę, lineis: vt, triangulus, quadratum, altera parte longius, pentagonũ, etc Superficiebus autem figuræ solidæ, vt pyramis, tessera, etc.

## *Quod est discrimen inter figuram & formam?*

Figuram & formam plurimi idem significare volunt. Aliqui sic distingunt, vt figura inanimatorum sit: forma animatorum. Alij formã rebus naturalibus præsertim animatis tribuunt: figurã artificiosis. Iuxta versiculum:

Formam viuentis picti dic esse figuram.

Alij aliter hæc discernunt: sed nihil incommodi attulerit huiũsmodi neglexisse, in quibus tanta est varietas.

Reci-

*Recita seriem quartæ speciei qualitatis.*




*Recita qualiũ descriptionem ex Aristotele.*

* Qualia sunt ea, quæ ab eis sunt cognominata, aut quoquo modo deducta.

*Quænam sunt quæ hic definiuntur?*

Definiuntur concreta huius categoriæ, vel res per huiusmodi concreta significatę.

Et vt hoc obiter dicam, pluribus in locis apud Aristotelem de signo & re signata idẽ prorsus habendum est iudicium, adeò vt ridiculas esse existimemus altercationes, quibus an de rebus, an de vocibus Aristoteles intelligendus sit, frequenter cõtenditur, cùm vterq; sensus in eandem prorsus recidat sententiam, licet interdum vnus dicendi modus paulò mollius sonare videatur, quod tamen

men tanti non est faciendum, vt alter modus dicendi explodatur, si fortè facilior sit, aut vtilior.

*Pro quibus sumitur pronomē (eis) in ista definitione positum?*

Sumitur pro qualitatibus enumeratis atq; similibus: & sub plurali numero intelligendus est singularis, maximè si de vocibus agatur, quia ab eadem qualitate possunt plura cognominari, vt ab albedine, albus, alba, album.

*Quid est ab eis esse cognominatum?*

Est esse paronymum voce & significatione simul, alicuius qualitatis vel appellari huiusmodi paronymo, vt à Grammatica Grammaticus, à fortitudine fortis: siue de voce, siue de re per vocem significata agatur.

*Quid est aut quoquomodo deductum?*

Est esse paronymum significatione tantum, comparatione alicuius dictarum qualitatum vel huiusmodi paronymo appellari, vt probus à virtute.

*Si quis roget, an homo, equus, lapis, & similia contineantur sub definitione qualium, quomodo esset respondendum?*

Si voces spectes, non continentur, neque enim qualitatum sunt paronyma. Si de rebus agas respondendum est, definitione cōtineri, quatenus alba dicuntur aut nigra, vel alio quopiam qualitatis concreto appellantur.

*In quem vsum atq; finem de qualibus agit Aristoteles?*

Ostendere vult qualitatem nō tantum abstra-

cto, verùm etiam concreto significari, simul innuens, de alijs quoq; accidentibus idem esse sentiendum.

*Recita tres ex Aristotele qualitatis proprietates.*

PRIMA EST.

* Est qualitatibus inter ipsas repugnantia.

Vt, iustitiæ cõtraria est iniustitia, & nigrori cãdor. Itemq; cætera eiusdem generis, Similiter cõtrariè certant, quæ ex ijs qualia nominantur, vt, iustũ cum iniusto, cãdidũ cum atro. Non autem in omnibus id contigit. Rubro enim aut pallido, aut alijs intermedijs, nihil contrarium est.

SECVNDA EST.

* Recipiunt intentionem & remissionem qualia.

Hoc est, Sola qualia prædicãtur cum aduerbijs magis & minus, ratione suæ intentionis aut remissionis: non omnia tamen. Nam hæc proprietas nõ pertinet ad figuras, vt Aristoteles declarat.

Intendi, est augeri per similem qualitatem in eadem parte subiecti. Gratia talis intentionis calidum aliud alio magis minúsve calidum dicitur. Caloris enim vis in alio augetur, in alio minuitur vt manifestè sensus iudicat. Quinetiam in eodem corpore, calor, alias maior, alias minor inest.

Ita sunt lucis, colorum, & pene omnium qualitatũ gradus, etiam notitiarum, virtutum, affectuum. In eodem homine amor eiusdem rei alias ardentior, aliàs frigidior est, vt dicitur:

Intrat amor mentes vsu, dediscitur vsu.

Eiusdem propositionis notitia illustrior est seni Ptolemæo, quàm iuueni.

TER-

TERTIA EST.

* Similia aut dissimilia aliqua in solis qualitatibus reperiuntur.

*Quæ est horum Aristotelis verborum sententia?*

Vult Aristoteles subiecta similia dici aut dissimilia, secundum solas qualitates, quod illæ immediatū sint fundamentum, primumq; ac proprium subiectū similitudinis dissimilitudinisve. Reliquis interueniente qualitate, similitudo tribuitur & dissimilitudo.

*Quid est similitudo?*

Similitudo (teste Boëtio) est rerum diuersarum eadem qualitas.

*Quid est dissimilitudo?*

Dissimilitudo est diuersa rerum qualitas.

Quæ descriptiones veræ sunt, secundū prædicationem caussalem, de qua in fine primi libri diximus: Ita enim sunt exponēdę: Similitudo, est relatio, nascens inter plures qualitates eiusdē speciei, in diuersis subiectis positas: Dissimilitudo verò, inter diuersas secūdū speciē, vt, duo cygni, similes sunt ratione suarum albedinum, siue hæ albedines æqualiter fuerint intensæ siue nō. Neque enim hic de tā exacta absolutaq; similitudine agitur, quàm in libro de ortu, vbi negatur simile posse agere in simile. Coruus autē & cygnus homo auarus, & alter prodigus, dissimiles sunt, atque ita de alijs.

*Quid postulat similitudo & quid dissimilitudo?*

Ad similitudinem igitur sufficit eadem qualitas secundū speciē: Ad dissimilitudinē sufficit secundū speciē diuersitas: plurib, erat opus, vt quāti

Reduc hanc qualitatis deſcriptionem ad aliam cauillationibus minùs expoſitam.

*Qualitas eſt forma, ex qua aliquid dicitur quale.*

Vt ab albedine, lac dicitur album: & ex dulcedine, dulce.

*Quomodo diuiditur qualitas?*

* Qualitatis genera ſunt plura, ſeu in multas ſpecies diuiditur, quę ſunt:

- ἕξις καὶ διάθεσις. Habitus & affectio ſeu diſpoſitio.
- φυσικὴ δύναμις ἢ ἀδυναμία. Naturalis vis, vel imbecillitas.
- παθητικὴ ποιότης καὶ πάθος. Patibilis qualitas, & perturbatio.
- Σχῆμα καὶ μορφή. Figura & forma.

## DE PRIMA SPECIE qualitatis.

*Quid eſt habitus?*

*Habitus eſt qualitas ſenſum omnẽ fugiẽs à Deo infuſa, vel induſtria & exercitio comparata, nõ facilè mobilis à ſubiecto, qua aliquid redditur promptum ad aliquid operandum facile, & cum delectatione.*

Vt, ſcientia & virtus in angelis. Item ſcientia & artes labore & ſtudio hominis acquiſitę.

*Quid eſt diſpoſitio & affectio?*

*Diſpoſitio eſt habitus inchoatus, ſeu via ad habitũ.*

Licebit etiam diſpoſitionem definire, quemadmodum

modum habitum prius definiuimus, sublata negatione ante τὸ (facile) & loco (prõptum) ponẽdo (dispositum.)

Illa enim discrimen faciunt inter habitum & dispositionem, ex Aristotelis sententia.

*Quid in definitione habitus excludit particula sensum omnem fugiens?*

Excludit qualitates quartæ speciei & obiecta sensibilia, quæ sunt tertiæ speciei.

*Quid excludit particula industria & exercitio comparata?*

Separari aiunt qualitates secundæ speciei, quæ sunt innatæ. Et item tertiæ speciei, quæ nullo sensu percipiuntur: cuiusmodi sunt affectiones animi, & perturbationes.

*Recita seriem primæ speciei qualitatis.*




Vitium

- Vitium
  - Superabundantia
    - Temeritas.
    - Prodigalitas.
  - Defectus
    - Timiditas.
    - Auaritia etc.

## DE SECVNDA qualitatis ſpecie.

*Quid eſt vis naturalis?*

Naturalis vis & potentia, eſt qualitas innata ſenſum omnem fugiens, qua ſubiectum aptum redditur ad aliquid efficiẽdum, aut alicui reſiſtẽdum, aut aliquid ſufficiendum, quod recipienti perfectionem aliquam afferat.


*Quotuplex eſt naturalis vis?*

Triplex ea eſt videlicet.
- Ad efficiendum & operandum, vt, ignis poteſt calefacere, atq; refrigerare, etc
- Ad facilè & fortiter reſiſtẽdum illis, quæ aduerſantur naturę ſubiecti ipſius, vt, ſalubritas in animalis corpore: & durities in eo quod durum eſt.
- Ad recipiendum, perfectionem: huiuſmodi ſunt ſenſus exteriores, per quos obiecta cognoſcimus.

*Quid eſt naturalis imbecillitas?*

Naturalis imbecillitas, eſt qualitas innata ſenſum fugiens, qua ſubiectum ineptũ redditur ad aliquid efficiendum, aut alicui reſiſtendum, aut aliquid ſuſcipiendum, quod ad ipſius recipientis perfectionem pertinet.

*Recita seriem secundæ speciei qualitatis.*




Natu-

| | | | |
|---|---|---|---|
| | Appetitus rationalis seu volūtas cui conuenit. | Velle<br>Imperare<br>Liberūesse<br>Eligere<br>Frui,&similes | |
| | Facultas progrediendi. | Ambulādi<br>Volandi<br>Natandi,etc. | (enumeratæ (pri⁹ passiōes |
| Naturalis ībecillitas. | Mollities<br>Imbecillitas<br>Insalubritas | Currendi<br>Gignendi<br>Scribendi,etc. | |

ADMONITIO.

Potentijs animi, quas scemate secundæ speciei expressimus, non inutiliter addiderimus earum operationes, licet istius non sint speciei: Nam eas, alius ad tertiam speciem qualitatis, alius ad primam referendas esse contendit. Nonnulli à categoriarum serie quasdam submouent, quasdā, recipiunt. Sed suum cuiq; liberum esto iudicium. Nam hac in re & alijs eiusmodi, rectissimè quadrare, locūq; habere videtur illud ab Aristotele in τῶν πρός τι prædicamentó dictum: difficile est aliquam qui in his non sit multum diuque versatus, de his talibus certum aliquid affirmare.

Quàm paucissimos enim, imò veriùs nullos nobis licuit inuenire, qui de harum qualitatum diuersitate atq; natura, exactè tractauerint (vnanimi cōsensu. Plures inuenias, qui à seipsis in diuersis editionibus dissentiant.

*Quid de operationibus animi dicis?*

Operationes respondent facultatibus suis. Nā sensus opatio est sentire, intellect⁹ intelligere, atq; ita

*Da exemplum patibilis qualitatis.*

Vt, nigredo in æthiope, albedo, in niue: Odiū, quod eſt ira inueterata, hærens in animo tāquam nota cauterio corpori iniuſta.

*Cur dicuntur iſtæ qualitates?*


Dictas vult Ariſtoteles iſtas qualitates patibiles Græcè παθητικὰς, nō quod ipſæ aut earum ſubiecta affecta ſint aliqua ex parte, ſed quod vel à pturbatione factæ ſint, vt pallor infantis ex metu matris, dum eū vtero geſtaret. Vel quia in nobis motum quendam & affectionem efficiant, vt, dulcedo mellis, delectationem: amaritudo fellis, triſtitiam & horrorem parit.

PATIBILIS QVALITAS ET PERTVRBATIO.

*Recita ſeriem terræ ſpeciei qualitatis.*

- Obiectum ſenſus
  - Color
    - Albedo
    - Rubor, etc.
    - Lux
    - Lumen.
  - Sonus
    - Vox
    - Fragor,
  - Odor
    - Dulcis
    - Auſterus
    - Ponticus.
  - Sapor
    - Dulcedo
    - Amaritudo
    - Auſteritas.

Affectus




## ADMONITIO.

De affectibus animi(quos ad hanc pertinere speciem diximus(quædam hîc addidisse non fuerit inutile.

Sunt 4. genera affectionum animi.

- Lętitia est suauis motus cordis,qui excitatur,cū cor obiecto expetitio fruitur.
- Spes,est suauis mot⁹ cordis,qui excitatur,cùm cor bonum futurum prosequitur,prælucente has cogitatione,quòd potituri simus eo obiecto.
- Tristitia,est cruciatus cordis compressi,tanquam fugitantis præsens malum.
- Metus,est cruciatus cordis cōpressi,tanquā fugitantis futurum malum.Et his motibus cordis seruiūt humorum motus in reliquo corpore,vt Physici docent.

HIS

HIS SVBIICIVNT

Delectationem, inuidiam, æmulationem, misericordiam, solicitudinem, desperationem, iram, excandescentiam, odium, desiderium, amorem, pudorem, horrorem, examinationem, aliaque id genus, de quibus Philosophorum, præsertim moralium, est tractare. In ijs enim coercendis, sudatur à viris bonis, & virtutum studio deditis.

## *De quarta qualitatis specie.*

Figura est quantitatis protractio: vt lineæ aut superficiei lineæ, vt figura plana: superficiei, vt, figura corporea, quam solidam vocant.

Geometræ figuram dicunt esse, quæ termino vel terminis clauditur. Termino vno, orbicularis clauditur figura, puta linea orbiculari. Item sphęrica figura, vna supficie circũdāte clauditur. Terminis continentur omnes aliæ, tam planę quàm solidæ: Planę quidem angulatę, lineis: vt, triangulus, quadratum, altera parte longius, pentagonũ, etc Superficiebus autem figuræ solidæ, vt pyramis, tessera, etc.

## *Quod est discrimen inter figuram & formam?*

Figuram & formam plurimi idem significare volunt. Aliqui sic distingunt, vt figura inanimatorum sit: forma animatorum. Alij formã rebus naturalibus præsertim animatis tribuunt: figurã artificiosis. Iuxta versiculum:

Formam viuentis picti dic esse figuram.

Alij aliter hæc discernunt: sed nihil incommodi attulerit huiusmodi neglexisse, in quibus tanta est varietas.

*Recita seriem quartæ speciei qualitatis.*




*Recita qualiũ descriptionem ex Aristotele.*

* Qualia sunt ea,quæ ab eis sunt cognominata,aut quoquo modo deducta.

*Quænam sunt quæ hic definiuntur?*

Definiuntur concreta huius categoriæ, vel res per huiusmodi concreta significatę.

Et vt hoc obiter dicam, pluribus in locis apud Aristotelem de signo & re signata idẽ prorsus habendum est iudicium,adeò vt ridiculas esse existimemus altercationes,quibus an de rebus,an de vocibus Aristoteles intelligendus sit, frequenter cõtenditur,cùm vterq; sensus in eandem prorsus recidat sententiam,licet interdum vnus dicendi modus paulò mollius sonare videatur, quod ta-

men

men tanti non eſt faciendum, vt alter modus dicendi explodatur, ſi fortè facilior ſit, aut vtilior.

*Pro quibus ſumitur pronomē (eis) in iſta definitione poſitum?*

Sumitur pro qualitatibus enumeratis atq; ſimilibus: & ſub plurali numero intelligendus eſt ſingularis, maximè ſi de vocibus agatur, quia ab eadem qualitate poſſunt plura cognominari, vt ab albedine, albus, alba, album.

*Quid eſt ab eis eſſe cognominatum?*

Eſt eſſe paronymum voce & ſignificatione ſimul, alicuius qualitatis vel appellari huiuſmodi paronymo, vt à Grammatica Grammaticus, à fortitudine fortis: ſiue de voce, ſiue de re per vocem ſignificata agatur.

*Quid eſt aut quoquomodo deductum?*

Eſt eſſe paronymum ſignificatione tantum, comparatione alicuius dictarum qualitatum vel huiuſmodi paronymo appellari, vt probus à virtute.

*Si quis roget, an homo, equus, lapis, & ſimilia contineantur ſub definitione qualium, quomodo eſſet reſpondendum?*

Si voces ſpectes, non continentur, neque enim qualitatum ſunt paronyma. Si de rebus agas reſpondendum eſt, definitione cōtineri, quatenus alba dicuntur aut nigra, vel alio quopiam qualitatis concreto appellantur.

*In quem vſum atq; finem de qualibus agit Ariſtoteles?*

Oſtendere vult qualitatem nō tantum abſtra-

TERTIA EST.

* Similia aut dissimilia aliqua in solis qualitatibus reperiuntur.

*Quæ est horum Aristotelis verborum sententia?*

Vult Aristoteles subiecta similia dici aut dissimilia, secundum solas qualitates, quod illæ immediatũ sint fundamentum, primumq́; ac proprium subiectũ similitudinis dissimilitudinisve. Reliquis interueniente qualitate, similitudo tribuitur & dissimilitudo.

*Quid est similitudo?*

Similitudo (teste Boëtio) est rerum diuersarum eadem qualitas.

*Quid est dissimilitudo?*

Dissimilitudo est diuersa rerum qualitas.

Quæ descriptiones veræ sunt, secundũ prædicationem caussalem, de qua in fine primi libri diximus: Ita enim sunt exponẽdę: Similitudo, est relatio, nascens inter plures qualitates eiusdẽ speciei, in diuersis subiectis positas: Dissimilitudo verò, inter diuersas secũdũ speciẽ, vt, duo cygni, similes sunt ratione suarum albedinum, siue hæ albedines æqualiter fuerint intensæ siue nõ. Neque enim hic de tã exacta absolutaq́; similitudine agitur, quàm in libro de ortu, vbi negatur simile posse agere in simile. Coruus autẽ & cygnus homo auarus, & alter prodigus, dissimiles sunt, atque ita de alijs.

*Quid postulat similitudo & quid dissimilitudo?*

Ad similitudinem igitur sufficit eadem qualitas secundũ speciẽ: Ad dissimilitudinẽ sufficit secundũ speciẽ diuersitas: plurib, erat opus, vt quãti

TRANSITIO.

Hactenus de qualitate & qualibus ſit dictum, Nunc reliquas ſex categorias breuiter cum Ariſtotele perſtringamus.

## DE CÆTERIS SEX categorijs.

POterant reliquæ categoriæ, quas paucisſimis abſoluit Ariſtoteles, ſub relatis cōprehēdi, ſed quia placuit veteribus decē categorias, numerare, ſequemur illorum auctoritatem & nos. Videntur autem docendi cauſa, à categoria relatorum, has quæ ſequuntur, ſeparaſſe. Nam quum penè infinita multitudo ſit relationum, maluerūt plures claſſes facere, ne ſi omnia talia nomina in vnam includerent, multitudine perturbarentur diſcentes.

*Quid eſt actio?*

*Actio eſt relatio agentis ad patiens.*

*Quid eſt perpeſſio?*

*Paſſio eſt relatio patientis ad agens.*

*In quo differt actio à productione actiua: & item perpeſſio à paſſiua productione?*

Conſtat inter ea multū intereſſe, licet ferè ſint cōnexa. Nā actio reſpicit ipſum patiēs. Productio verò actiua, effectum in patiēte productum: verbi gratia, dum ignis aquam calfacit, relatio ignis ad aquam, eſt quædam actio, nempe calfactio actiua: & contra, relatio aquæ calfactæ ad ignem eſt paſsio, quæ dicitur paſsiua calfactio. Comparatio verò ignis ad calorem in aquam productū

*Recita ſeriem categoriæ actionis.*




## *Quomodo diuiditur perpeſsio?*

Diuidenda eſt ad eundem modum, quo iam diuiſa eſt actio.

Quare ex prædicta actionum ſerie, facilè habebitur ſeries perpeſsionum: nimirũ, paſsiuè acceptis vocabulis, quæ ibi actiuam obtinebãt ſignificationem Nam in abſtractis nominibus cõſentiunt ferè hæ duæ categoriæ: Differunt autẽ cõcretis apertiſsimè.

## *Explica multiplicem ſignificationem verbalium quæ in io deſinunt.*

Abſtracta verbalia in io, quæ nunc actiuè, nũc paſsiuè ſignificant, tertiam frequenter ſignificationem poſsident, nec actiuã, nec paſsiuam, ſed neutrã, vt, exempli gratia: Intellectio præter acti-

uam intellectionem atq; passiuam, quæ sunt relationes, etiam significat nonnunquam ipsius intellectus actum seu operationem, ipsamq; cogitationem mentis, estq; res absoluta categoriæ qualitatis.

Similiter sensatio præter actionis passionisq; relationes etiam actum ipsum sentiendi, qui qualitas est, designat.

Sunt quæ pro tertia illa significatione designent, non qualitatē, sed motum. Cuiusmodi sunt calfactio, frigefactio: dealbatio, denigratio, generatio, & huius formæ alia.

*Explica quoque latius propriam concretorū categoriæ actionis, & perpessionis significandi rationem.*

Concreta harum categoriarū, fere verba sunt, aut participia: Sed aduertendum, non semper eorum significationem grammatico generi respōdere.

Quædā enim actiui generis, ad perpessionem spectant, vt,
- Video
- Audio
- Olfacio
- Gusto
- Tango
- Intelligo.

Nam quod videt, audit intelligit, etc. patitur, dum aliquid recipit.

Quædam passiui generis, pertinent ad actionē vt iam dictorum passiua Quod enim videtur, auditur, intelligitur, agit in facultatem cognoscēdi, sui imprimens imaginem & speciem.

Quæ

Quædā neutrius generis, perpeſsionem deſignant, vt { Vapulo / Væneo / Fio, etc.

Deponētaliū { Quędam deſignant actionem, { Loquor / Veſtor / Ordior, etc. / Quædam perpeſsionem, vt patior.

Verba communia ὁμώνυμα ſunt, actionem, perpeſsionemq́ue ambiguè ſignificantia, vt oſculor, veneror, etc.

*Vtrum omnia verba ad alteram harum categoriarum pertinent?*

Nequaquam. Quædam enim ſunt aliarum categoriarum, vt iaceo, ſedeo, ſto, etc. quæ ſunt categoriæ ſitus. Item caleo, frigeo, tepeo, palleo, etc. quæ ſunt tertiæ ſpeciei qualitatis.

*Recita ex Ariſtotele duas actionis perpeſsioniſq́ communitates.*

PRIOR EST.

* Agere & pati repugnantiam recipiunt. Ex cap. 6

Hoc eſt, Actiones inter ſe ſunt contrarię, & perpeſsiones inter ſe. Neque enim vult Ariſtoteles actionibus perpeſsiones cōtrarias eſſe, hoc namq; falſum eſt, cùm actioni perpeſsio vt relatum non autem contrariè, opponatur. Et hanc ſententiam declarant exempla textus, qui habet: Calfacere & refrigerare, calfieri & refrigerari eſſe contraria nimirum per accidens, ratione formarum cōtrariarum, per agens in diuerſa ſubiecta productarum. Et quia nō omnes formę ab agente productę, contrarię ſunt, vt, pallor, rubor, etc. idcirco nō omnibus actionibus perpeſsionibúſve conuenit ea re-

pugnantia. Neq; etiam solis, cùm & substātijs cōueniat per accidens cōtrarium habere, vt elemētis. Item Ioanni albo, & Petro nigro & alijs.

POSTERIOR EST.

* Recipiunt etiam magis aut minùs.

Nam dum concretis exprimuntur vocabulis, cum aduerbijs magis & minùs prædicari queunt: vt calfacere magis ac minus dicitur similiter & calescere. Sed nec omnibus hoc conuenit, nec solis.

*Recita duas actionis perpeßionisq; proprietates ex Porretani doctrina.*

PRIOR EST HAEC.

Actio & perpeſsio perpetuò aliquem motum consequuntur.

POSTERIOR ISTA.

Actio infert perpeſsionem, & perpeſsio actionē.

Sequitur enim, verberans est, ergo verberatum est: & vice versa, verberatum est, ergo verberans est: Rursus verberatio actiua est, ergo paſsiua verberatio est, etc.

## DE CATEGORIA, Vbi & Quando.

*Quid est Vbi?*

*Vbi, est relatio rei loco cōpresensæ ad locum, vel loci ad rem loco comprehensam.*

*Quid est quando?*

*Quādo, est relatio rei, quæ tempore mensuratur ad tempus ipsum, vel temporis ad rē tempore mensuratam.*

*Quomodo diuiditur Vbi & Quando?*

Diui-

Diuiditur vtrunque in actiuum & passiuum, prout hę relationes nunc actiuo verbo, cōtinere, mensurare, nunc passiuo, cōtineri, mensurari, exprimuntur. Vt relatio Socratis ad locum quo cōtinetur, est vbi passiuum: & contrà, relatio loci ad Socratem quem continet, est vbi actiuum.

Ad eundem modum relatio Socratis ad tēpus quo mensuratur, est quando passiuum: & ediuerso, temporis, quod Socratis durationem metitur, relatio ad Socratem, est quando actiuum.

*Diuide vlterius vbi actiuum, & vbi passiuum.*

Vtrunq; vbi, tam actiuum quā passiuum diuiditur in cōpositū & simplex seu indiuisibile.

*Quid est vbi compositum.*

Vbi compositum est, quod consistit inter locū & loco circundatū corpus. Sunt enim corpora ita in loco, vt ab eo ambiantur & circunscribantur. Corpus enim ita loco cōtinetur, vt vna eius pars in vna parte loci sit, & altera pars in altera parte loci, ita vt partes corporis cōtenti faciant latera loci cōtinentis à se mutuò distare atque seiungi. Hoc modo quantitates corporeę & substantię his indutæ sunt in loco.

*Quid est vbi simplex?*


Vbi simplex est, secundum quod rē diuisionis expertem à loco indiuiduo dicimus cōtineri, vel certe hunc illam continere: vt relatio secundum quam angelus, vel animus dicitur esse in loco.

*Explica similiter quid sit quando simplex, et quando compositum.*


Simile de quando simplici & composito iudicium

cium eſt.Nam quãdo ſimplex, eſt relatio rei quæ in tempore eſt ad tempus indiuiduum: quomodo dicitur angelus eſſe in momento. Quando compoſitum,& relatio rei quæ eſt in tempore ad tempus diuiduum:vt,eſſe hominem in anno.

*Recita ſeriem categoriæ Vbi.*




*Recita ſeriem prædicamenti Quando.*




DE CA-

# DE CATEGORIA Situs.

*Quid est situs?*

*Situs est ordo quidam partium in toto vel loco.*

*Quotuplex est situs?*

Duplex est { Quidam naturalis / Alter fortuitus.

*Quid est situs naturalis?*

Situs naturalis, est ordo partium in toto, nulla habita consideratione loci, conueniens illis ex naturali depositione. Vt situs, secundum quem naturaliter caput dicitur esse sursum, in ordine ad alia membra, etiam si fortè homo capite deorsum steterit, pedibus in cœlum erectis. Situs brachiorum in vtroque latere, aurium circa tempora, & ita de similibus.

*Quid est situs fortuitus?*

Est ordo quidam partium inter se, quatenus sunt in loco, non necessariò conueniens eis à natura, vt statio, sessio, accubitus, positio manuum super caput, etc.

*Quæ subiecta potissimum denominantur ab eiusmodi situs?*

Huiusmodi situs, licèt proximè conueniat partibus inter se collatis, frequentius tamen tota ipsa denominare solet. Potiùs enim dicimus hominẽ sedere, stare, iacere, quàm has aut illas partes.

Si homo erectus stet, caput ipsius ad reliquas partes

partes habet ſitum ſurſum , tam fortuitum , qui ſpectatur ex loco, quàm naturalem, qui ex naturali diſpoſitione.

*Recita ſeriem prædicamenti ſitus.*

Situs
- Naturalis
  - Capitis ſurſum
  - Ventris in medio
  - Pedũ deorſum, etc.
  - → Hic, ille.
- Accidentalis
  - Seſsio
  - Statio
  - Accubitus
  - Situs pedum ſurſum.

## DE CATEGORIA habitus.

*Quid eſt habitus?*

*Habitus eſt relatio corporis & potiſsimum humani, ad ea, quibus indutum eſt aut ornatum: vel ediuerso horum ad illud.*

*Quare addis in deſcriptione (& potiſſimum humani?)*

Nam

Nam natura cęteris animātibus quantū ad vestes & arma pertinet, prouidit.

- Quibusdam sunt pro vestibus pili, hirsutique villi.
- Alijs duram cutem, alijs testas, alijs squamas, alijs alia vestimentorum loco concessit natura.
- Taurorum impetus cornibus armauit, leonum rabiem vnguibus.
- Apris fulmineos dedit dentes.
- Elephātes præter cutem & molem, promuscide quoque tutata est.
- Delphinis teli vice pinnas addidit.
- Histricem spinis.
- Raiam aculeis defendit.
- Gallis calcar affixit.
- Columbis pernicitate prospexit.
- Quibusdam venenum teli vice tribuit.
- Alia aliter communiuit.

Solum hominem nudum produxit, imbecillē, tenerum, inermem, mollissima carne, læui cute, Nihil vsquam in membris, quod pro vestitu vel armis ad pugnam & violentiam datur videri possit: Sed pro omnibus huiusmodi (quod multo prę stantius est) donatus est ingenio, intellectu, & manibus, quibus sibi parare queat, quæcunque corporis sui tuendæ saluti necessaria sunt munimenta, à quibus præsentis categoriæ relationes proueniunt Nihilominus bruta quoq; animantia, nonnunquam ab hominibus, eiusmodi vel ornantur, vel armantur indumentis. Vt equi phaleris: simię tunicellis, canes torquibus, etc.

*Quotuplex est habitus?*


Ex descriptione constat duplicem esse.

Vide-

Videlicet { Indumenti, quo habetur aliquod indumentum domesticum aut militare.
Ornamenti, quo aliquid ad ornatum habetur. }

Quo modo plurima habent mulierculæ.
Quæ sua caudato vestigia syrmate verrunt.

*Recita seriem categoriæ habitus.*




Sic de posterioribus quatuor categorijs scholæ docent.

Non ignoramus hæc multò aliter nonnullos tractasse, vt videlicet vbi, quando, etc. ad circunstantias Rhetoricas referantur.

Sed quia hæc tractandi ratio non modò crassior est, minusque exacta quàm Dialecticæ ferat subtilitas (ne dicam falsam: quod categoriarum inducere videatur confusionem absoluta cum relatis permiscent) verùm intempestiua quoque est hoc loco, consultò eam tanquam Rhetoricę propriam prætermisimus.

Licèt enim Rhetorica & Dialectica inter se arctissi-

ctissimo deuinctæ sint vinculo, adeò vt vna sine altera prorsus manca sit & imperfecta, vt nos docent plurima excellentium virorum exempla, qui tametsi acutissimè doctissimeque cogitare possint: tamen subtracto dicendi artificio & exercitatione, minimè sunt ad scribēdum, aut declamandum, aut in cœtu eruditorum perorādum idonei: sunt nihilominus his artibus sua cuiq; præcepta & documenta, quorum tractatio nequaquam est confundenda.

## PARS TERTIA.

### De ijs quæ categorias sequuntur, siue postprædicamentis.

Vincimur hîc scholarum cōsuetudine, quemadmodum aliàs sæpius, vt vocabulo postprædicamenti vtamur inerudite excogitato. Nec obscura est doctrina huius partis, cùm sit, vt quidam volunt, prorsus grammatica vocabulorum aliquot ambiguorum enarratio, ob hoc ab Aristotele, postquā absoluit doctrinam categoriarū, adiecta, vt moneret in categorijs ἀμφιβολογίας diligenter & fugiendas & explicandas esse.

*Explica igitur quid postprædicamentorum nomine intelligant dialectici.*

Nominant dialectici postprædicamenta interpretationem quorundam nominū ambiguorum.

*Quotuplicia sunt postprædicamenta?*

Postprædicamēta sunt quintuplicia, videlicet:
- Opposita.
- Prius.
- Simul.
- Motus.
- Habere.

*Liceretne his postprædicamentis alia addere?*

Plura addere, nullum fuerit nefas: sed huius nõ est instituti, aliorum præter hæc, quæ ab Aristotele sunt posita, tractationem persequi.

## DE OPPOSITIS.

*De qua oppositione agit hoc loco Aristoteles?*

Hic non agitur de oppositione propositionum, de qua in sequenti libro περὶ ἑρμηνείας dicetur, sed tantum de oppositione simplicium, siue vocum, siue rerum: qualis est inter patrem & filium: candorem atque nigredinem, & alia huiusmodi.

*Quomodo definiuntur repugnantia, quæ comparatione oppositorum, rationem generis aut magis communis obtinent?*

*Repugnantia sunt, quæ de eodem indiuiduè verè affirmari non possunt.*

Vt, homo & asinus, album & nigrum.

*Repugnantia vulgò diuiduntur in* { *Opposita* & *Disparata.* }

*Quæ dicuntur opponi?*

*Opponi ea duntaxat volunt, quæ sic repugnant, vt neutrum eorum alicui tertio, eodem modo repugnet.*

*Quo nomine appellat Cicero ea, quæ vulgo nominantur opposita?*

Quæ nos opposita vocamus, Ciceronem in Topicis contraria dixisse in confesso est. Boetius autem quarto Commentariorum libro, quos scripsit in Topica Ciceronis, veriùs & cõmodiùs opposita putauit dici: quoniã, quę Græcis τὰ ἐναντία,

Ciceroni aduersa vocãtur, ea meliùs & aptiùs cõtrariorũ nomẽ susceptura viderentur. Vtcũq; vocẽtur, haud multũ intererit. Nos Boetiũ, quando vsus magis hunc in morẽ triuit ea nomina, sequimur. Opposita igitur sunt, albũ & nigrũ, pater & filius, visus & cæcitas, bonum & nõ bonũ. Album enim, licèt nõ albo opponatur, cum nullo tamen eodem modo seu eodem repugnantiæ genere pugnare inuenietur, sicut nigro, nec ediuersò, nigrũ alij, sicut albo, repugnabit, nulli enim alteri contrariè repugnat, & ita de cęteris. Vnde planum est, idem pluribus oppositum esse posse, secundum diuersa oppositionis genera.

*Quot sunt oppositorum genera?*

* Quatuor:
- ὡς τὰ πρός τι,
  Relata, vt, duplum, simplum.
- ὡς τὰ ἐναντία,
  Contraria, vt bonum malum.
- ὡς στέρησις καὶ ἕξις,
  Priuantia, vt, cæcitas visus.
- ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις.
  Cõtradicẽtib⁹, vt, sedet, nõ sedet.

*Quomodo definit Aristoteles relatiuè opposita?*

* Opposita relata sunt, quæ quidquid ipsa sunt, opposita esse dicuntur, aut quoquo modo aliter ad ea affecta sunt.

Vt duplum simpli quidquid ipsum est, alterius esse dicitur: est enim alicuius duplũ. Sciẽtia etiam & res quæ sub scientiam cadit, vt ea quæ cum aliquo conferuntur, inter se opponuntur: Item, pater filio, dominus seruo vt relatum opponitur.

Definitio ſatis manifeſta eſt ex priore definitione relatorum, cum qua prorſus eadem eſt, niſi quòd loco (aliorum) dicitur hîc (oppoſiti.)

*In quo conſiſtit relatorum oppoſitio?*

Conſiſtit ſecundum Boetium in hoc, quòd non dicâtur de eodem, comparatione eiuſdem, ſecundum idem & eadem râtione.

*An iam recitata Ariſtotelis definitio explicet, in quo propriè conſiſtat relatorum oppoſitio?*

Non explicat: ſed eſt potius regula quædam vtilis ad cognoſcendum, quæ nam ſint eo modo oppoſita, docens ea ſemper eſſe correlatiua. Omnia enim & ſola correlatiua, ſunt oppoſita relata.

*Recita contrariorum definitionem.*

* Contraria (alio nomine aduerſa) ſunt oppoſita, quæ ſub eodem genere poſita, maximè à ſe mutuo diſtant, eidem ſubiecto capaci viciſsim inſunt, à quo ſe mutuò expellunt, niſi alterum inſit à natura.

Vt calor & frigus, ſpecies ſunt eiuſdem generis. vtpote, qualitatis tractabilis: & ita ſecundū ſuam naturam repugnant, vt nulla alia ſub eodem genere poſita magis repugnent: & inſunt cuilibet eidem ſubiecto capaci viciſsim, ſic vt vno expulſo, alterū ſuſcipiatur, quemadmodum patet in aqua. Igni tamen viciſsim ineſſe non poſſunt, quòd calor illi inſit à natura, hoc eſt, naturaliter, atque ita vt ſeparari non poſsit.

Diſtri-

*Distribue contraria in suas species.*

| | |
|---|---|
| *Contrariorũ | Alia sunt cõtraria τὰ ἄμεσα, id est, medio carentia, vt, ægritudo, & sanitas. |
| | Alia sunt cõtraria τὰ ἔμμεσα, id est, mediũ habentia, vt album & nigrum. |

*Recita definitionem contrariorum medio carentiũ*

* Contraria medio carentia sunt eiusmodi vt necesse sit alterum inesse in ijs, in quibus natura insunt, aut de quibus dicuntur.

Hoc est, sunt contraria, quorum cuilibet subiecto capaci est necesse alterum inesse, quandiu subiectum est: vt cuiq; animali necesse est sanitatem vel ægritudinem inesse, quandiu animal in rerum natura cohæret.

*Recita finitionem cõtrariorum medium habentiũ.*

* Contraria medium habentia sunt, quorum non est necesse alterum inesse, in quibus natura insunt, aut de quibus dicuntur.

Neq; enim cuilibet subiecto ad albedinem aut nigredinem suscipiendam apto, necesse est albedinem inesse, aut nigredinẽ, sed potest ei inesse pallor, flauus color, etc. Alicui igitur subiecto capaci potest neutrum inesse: vt corpori flauo, rufo aut etiam plenè rubro, neutrum contrariorum inest.

Et huiusmodi corpus Aristoteli medium vocatur, cùm ita loquitur.

„ Nonnullis quidem medijs rebus imposita sunt

„ nomina:vt fuſcus & pallidus,inter album & ni-
„ grum,medij ſunt colores, & cæteri eiuſdem ge-
„ neris. In alijs non eſt facilè id quod medium
„ eſt nomine vno appellare & exprimere: defini-
„ tur autem vtriuſque extremi negatione, velut
„ quod nec bonum eſt nec malum, quod nec iu-
„ ſtum eſt nec iniuſtum.

Medium itaque in contrarijs medium habentibus eſt,ſubiectum capax, de quo neutrum contrariorum verè poteſt affirmari.Porrò neque bonum,neque malum,vocatur ſubiectum capax boni aut mali,cui neutrum tamen ineſt.Hinc planũ eſt,non ob hoc contraria dicta eſſe mediata, quaſi omnia huiuſmodi formam habeant mediam: id enim de iuſtitia & iniuſtitia falſum eſt.Non eſt tamen negandum,multa eſſe quę habeant formas medias,vt ſunt vitia extrema,& idẽ extremæ qualitates contrariæ,tertiæ ſpeciei.

*Recita finitionem priuantium.*

* Priuantia ſunt oppoſita,quæ in eodẽ ſubiecto aliquo verſantur tẽpore à natura definito,eoq; ordine, qui viciſsim retro commeare non poteſt:vt viſus & cæcitas.

*Quænam priuantia hic definis?*

Quę propriè & propriè dicta priuantia, hoc eſt, quæ ſic ſe habent,vt ex forma in priuationẽ mutatio quidem fiat,non autem cõtrà:vt cùm priuatio tollit naturalem aliquam facultatem:quo modo viſus & cæcitas ſunt hoc loco. Priuantia, quia

in eodem ſubiecto verſantur, putà in oculo ordine non reciproco, etc.

*Explica latius & clarius iam propoſitam definitionem.*

Priuantia ſunt oppoſita, quæ verſantur circa quoduis idem numero ſubiectum, tali ordine, vt ab vno procedatur in aliud, nô contrà, idque tempore à natura conſtituto, & niſi alterum inſit à natura.

*Quamobrem ponitur in definitione, iſta pars, (tempore à natura definito?)*

Ponitur ad declarandum non ſemper ſubiecto capaci alterum ineſſe: catulo enim ante nonum diem neque ineſt viſus, neque cæcitas.

*Cur iſta pars ponitur (niſi alterum inſit à natura?)*

Nam tactus & eius priuatio, item, intellectus & priuatio intellectus, circa nullũ idem verſantur, quia alterum ineſt omni ſubiecto capaci à natura: vt, tactus omni animali naturaliter, & ita vt ſeparari nequeat, ineſt, & intellectus ſic omni ineſt homini.

*Quid eſt, verſari circa quoduis idem numero ſubiectum?*

Eſt cuilibet ineſſe, ſeu prędicari de quolibet eodem ſubiecto, ita vt de nullo poſsit dici vnum, de quo eodem numero non ſit reliquum dici aptum: Sic nulli viſus ineſſe poteſt, quin eidem cæcitas queat ineſſe, & contrà.

Omnibus oppositis commune est, non habere medium affirmationis, saltem cõparatione eiusdem: sed solis contradicẽtibus proprium est, ex se nullum omninò, nec affirmationis, nec negationis pati medium. Nam aliquid est, quod neque album est, neq; nigrũ: Aliquid etiam, quod neq; sanum sit, neque ægrum. Non enim dicuntur cõtraria medio carentia, quasi nullum penitus medium habeant, sed quia nullum medium quod alterius eorum capax est, patiuntur.

Rursus quippiam inuenias, quod nec pater sit, nec filius: nec cæcum, nec visu præditũ. Sed nihil prorsus existit, quod neq; currat, neq; non curr at: aut quod neque sit homo, neque non homo, & ita de cęteris contradicentibus, siue verbo, siue nomine exprimantur.

*Cur adijcitur definitioni ista particula, quod verè sit medium?*

Hanc adiectam volunt ad excludendum hominem, & non rationale: substantiã & accidens: creatorem & creaturam, aliaque eius generis, quę aut opposita non sunt, sed disparata tantũ, aut si sint opposita, quòd non habeant medium non contingit illis ex se, hoc est, ratione propriæ oppositionis, sed ex peculiari aliqua caussa.

*De proprietatibus contrariorum.*

*Cur potius contrariorum siue aduersarũ quã aliorum oppositorum proprietates commemorantur ab Aristotele?*

Inter quadruplicia opposita prius enumerata, frequentissimus est vsus cõtrariorũ: ideo Aristo-

teles eorum tradit proprietates, seu conditiones, vt magis innotescant.

*Quot sunt proprietates contrariorum iuxta Aristotelis doctrinam? Quinque.*

*Quot sunt primæ proprietatis partes? Duæ.*

*Recita priorem partem.*

* Bono malum contrarium est necessariò.

Cuius sensus est: Necessariò si alicui bono quippiam contrarium fuerit, illud erit malum. Vel (vt apertiùs dicatur) quidquid contrarium est bono, illud est malum: vt, temperantia bona est, & conueniens secundum naturam, eiq; contraria est intemperantia, quæ mala est, & à natura aliena.

*An omni bono aliquid est contrarium?*

Non omni bono aliquid est contrarium, vt visus & videre ad bonum oculi pertinēt, eiusq; perfectionem, quibus tamen nihil est contrarium. Intellectus quoq;, & intelligibiles species, & intelligendi actus, bona quædam sunt animi : nullum penitus contrarium habētia, idq; in pluribus alijs licet reperire. Non igitur omni bono aliquod est contrarium malum, sed tantum oportet omne id quod bóno contrarium fuerit, esse ex genere malorum. Et quemadmodū non omni bono aliquid est contrarium, sic nec omne malum contrarium habet. Priuationes enim bonorum malę sunt, quibus tamen nihil contrarium est.

*Recita posteriorem partem.*

* Malo aliàs bonum, aliàs malum contrarium est.

Hoc est, non omne id quod malo est contrariū est

est bonum Sed eidem malo aliquando contrariũ est vnum,quod bonum est,& alterũ quod est malum:vt,timiditati cõtrariè opponitur non solum fortitudo,sed etiam temeritas:auaritiæ nõ solùm liberalitas,sed & prodigalitas contraria est.

*Recita secundam proprietatem.*

* Contrariorum si alterum sit in rerum natura,non est necesse esse alterum.

Hoc est,nõ est necessarium,si vna qualitas cõtraria sit in rerũ natura alterã esse.Nam si omnes sint sani,sanitas quidem erit,lãguor verò nõ erit.Similiter,si omnia sint alba , albedo quidem erit,non autem nigredo.

*Quorsum conducit huius proprietatis cognitio?*

Distinguit hæc proprietas,ea quæ appellantur contraria:cuiusmodi sunt sanitas & ægritudo,albedo & nigredo:ab ijs quæ vt relata dicuntur opponi,vt sunt pater & filius,dominus & seruus,quę simul esse naturæ ordine dictum est prius.

*Recita tertiam proprietatem.*

* Non possunt cõtraria simul ambo eidem inesse.

Vt,si Pantaleon est sanus,non languet.

*An hæc proprietas solis conuenit contrarijs?*

Nequaquam.Nam illis est cũ reliquis oppositorum generibus communis.

*Quomodo limitari solet ista proprietas?*

Adiectione harum particularum , secundũm eandem partem,ac in gradibus intensioribus.

*Recita quartam contrariorum proprietatem.*

Con-

* Contraria in ijs, quæ ſunt eiuſdē aut ſpeciei, aut generis, ſolent exiſtere.

Hoc eſt, Omnia cōtraria, aut tantùm verſantur circa ſubiecta vnius eiuſdēq; ſpeciei, aut tantùm circa eiuſdem generis ſubiecta

*Quid eſt exiſtere in ijs quæ ſunt eiuſdem ſpeciei?*

Eſt inhærere ſubiectis eiuſdē ſpeciei, ita vt non diuerſarum ſpecierum: intelligendo de ſubiectis eiuſdem ordinis, hoc eſt, proximis, aut ſaltem æquè diſtantibus: Sic iuſtitia & iniuſtitia verſantur circa homines, qui omnes eiuſdem ſunt ſpeciei.

*Quid eſt exiſtere in ijs, quæ ſunt eiuſdem generis?*

Eſt ineſſe ſubiectis diuerſarum ſpecierū, & non tantùm eiuſdem ſpeciei ſubiectis; conferendo rurſus ſubiecta proxima proximis, aut remotiora alijs ęquè remotis: Vnde accidit eadem contraria ſub vtroq; membro contineri, diuerſorum ſubiectorum comparatione. Nam albedo & nigredo verſantur circa eadem ſpecie; ſi conferantur ad proxima ſubiecta, quæ ſunt ſuperficies. Omnes nanque ſuperficies eiuſdem ſunt ſpeciei; Si verò ad vltima ſubiecta referantur, verſantur, circa eadem genere. Nam circa corpora categorię ſubſtantiæ Omnis enim color proximè in ſuperficie cohæret, huius verò interuentu in corpore categoriæ ſubſtantiæ, cuius varias eſſe ſpecies, eſt notum.

*Cur omiſit Ariſtoteles tertiā partem, videlicet aut quæ ſunt numero eadem?*

Nam nulla contraria eidem numero ſubiecto, ſunt addicta.

Recita

*Recita quintam contrariorum proprietatem.*

* Omnia contraria, vel in eodem genere, vel in contrarijs generibus sita sunt, vel ipsa sunt genera necessariò.

Vt, album & nigrum in eodem genere sunt, vtpote colore: Iustitia verò & iniustitia in contrarijs generibus, quę sunt virtus & vitium. At bonũ & malum non sunt vllius generis, sed aliquorum ipsa sunt genera.

*Explica latius distinctionem membrorum istius proprietatis.*

Membra iam dictæ proprietatis, si tantùm ratione distinguantur, omnia vera sunt, neq; vlla opus est anxietate ad ea acute distinguenda: Sin verò reipsa distinguere velis, vt ex Aristotelis declaratione apparet faciendum, vltimum falsum est: adiectum tamen ex recepta, Aristoteles tempore, Pytagoricorum sententia, qui tantũ ponebãt duas entium series seu coordinationes, vnam bonorum, alteram malorum, in quibus summa genera erant bonum & malum. Dicentur autem ea sita esse in eodem genere, quæ proxime sub eodẽ genere continentur: Ea verò in contrarijs sunt generibus, quæ talibus proxime substernũtur. Prius membrum contrarijs naturalibus: posterius, moralibus tribuere solent.

*Quid est vsus oppositorum?*

Prodest oppositorum distinctio, vt rectiùs intelligantur eæ proprietates, in quibus contrariorum facta est mentio, dum in categorijs dictũ est: Substantiæ quidem & quantitati nihil: qualitati verò aliquid cõtrarium esse. Nam quum vox con-

trariũ ſæpè impropriè ſumi ſoleat, & extendi nõnunquam ad formam & priuationem, ſitque ſecundum hanc acceptionem quantitati aliquid contrarium, atque etiam ſubſtantiæ: iuxta illud ipſius Ariſtotelis dictũ in Phyſicis: In omni genere ſummo eſt quædam prima repugnantia, poſſet quis tanquam falſa dicentem reprehendere Ariſtotelem.

Quamobrem monemur diſtinctione oppoſitorum, contraria quibuſdam categoriarum ordinibus tribuenda: alijs verò adimenda eſſe. Ita enim quæ hìc contraria ſunt definita (propriè dicta nimirum) ſolum qualitatibus attribuuntur, & non alijs: late verò accepta etiam alijs categorijs conueniunt.

Valet & eius cognitio ad Topica. Nam ſuppeditabit nobis argumentandi materiam, quòd cuiuis eum locum inſpicienti eſt manifeſtum.

## DE MODIS Prioris.

*Quot ſunt modi Prioris?*

Significationes ſeu modi prioris ſunt quinque: quatuor quidem, quos ante Ariſtotelẽ alij tradidère, quintus verò quem ipſe adiecit.

*Recita primum modum prioris?*

Ex ca. 8. * Primum genus eſt & aptiſsimum, tẽpore Sic Socrates tempore prior fuit Ariſtotele.

*Recita ſecundum modum prioris.*

* Secundo prius dicitur, à quo nõ retro cõmeat conſecutio, cùm rei ſtatus exquiritur. Vt vnum, prius eſt duobus. Nam ſi duo ſint, cõtinuo

tinuo ſequitur vnum eſſe. Vnum autem ſi ſit, non neceſſe eſt duo eſſe.

*Quæ eſt conſecutio cùm rei ſtatus exquiritur?*

Eſt, in qua eo quod vnum cohæret in rerum natura, infertur etiam alterum cohærere, vt cùm dico, duo ſunt, ergo etiā vnus eſt: Itē, homo eſt: ergo animal eſt. Et hæ cōſecutiones non ſunt reciprocæ, quia non ſequitur viciſsim, animal eſt, ergo homo eſt: vnus eſt, ergo etiam duo ſunt, & item de ſimilibus

*Quæ dicuntur conſequentiæ reciprocæ?*

Conſequentiæ reciprocæ dicuntur, in quibus ſicut ex antecedente cōſequens, ſic ex conſequente antecedens ſequitur, vt pater eſt, ergo filius eſt: & ediuersò, filius eſt, ergo pater eſt: Sic, numerus eſt, ergo binarius eſt: & rurſum, binarius eſt, ergo numerus eſt.

Vnde conſtat exceptionem admittere quòd hic dicere ſolent: Secundo modo prioris omnia genera priora eſſe ſuis ſpeciebus, & ſpecies omnes indiuiduis ſuis. Neque ſola genera ad ſuas ſpecies, aut ſpecies ad indiuidua ſecundum hunc modum habent prioris rationem, verùm alijs quoq; id conuenit, vt Deus ſic prior eſt homine, fundamentū domo, vanitas numero, & omnis numerus minor maiore: tactus viſu, &c.

*Recita tertium modum prioris.*

Tertiò prius quodam ordine appellatur.

Vt in Grammatica, elementa priora ſunt ſyllabis: In Rhetorica, exordium, prius dicitur narratione.

*Recita quartum modum prioris.*

Quar-

* Quartò prius dicitur, quod melius eſt & in maiore pretio.

Hoc eſt, quod prius eſt dignitate. Sic Imperator Rege prior eſt, Rex duce, Dux milite, Conſul ſenatore, Homo bruto animali.

*Recita quintum modum prioris.*

* Eorum quæ viciſsim retrocommeant in argumentatione exiſtendi, id prius eſſe dicitur, quod cauſſa eſt quomodocunq;, cur ſit alterum.

Vt, lux lumine dicitur prior Nam data luce, lumen quoq; datur, & vice verſa, dato lumine, datur lux: lux autem luminis eſt cauſſa, vt in Phyſicis docetur.

*Quot ſunt modi poſterioris?*

His quinque modis prioris, totidem reſpōdent modi poſterioris, iuxta regulam:

Tot modis dicitur vnum oppoſitorum, quot modis reliquum.

*Num datur aliquid quod ſit prius & poſterius etiam eiuſdem comparatione?*

Quinto modo nouiſsime expoſito, accidit idē prius eſſe & poſterius, non tantum comparatione diuerſorum, ſed etiam eiuſdem, diuerſis tamē rationibus, vt facile fuerit declarare in ambulatione & ſanitate, quę ſibi mutuò cauſæ ſunt & effectus in diuerſis cauſarum generibus.

*Recita verſiculos, quibus ad memoriam iuuandā, modorum prioris ordo comprehenſus eſt.*

Tempore, natura, prius ordine, dic & honore,
Cauſſam cauſſato dicimus eſſe prius.

Quis

*Quis est vsus modorum prioris?*

Vt rectius intelligamus id quod dictum est, relata esse simul naturæ ordine, quandoquidem ea quę priora seu posteriora sunt, simul esse nequeūt & relatum vnum altero non est prius nisi quarto modo, qui planè improprius est, & omnium modorum teste Aristotele alienissimus:

## DE MODIS SIMVL.

*Quot enumerantur apud Aristotelem modi seu significationes simul?*

*Tres.*

*Recita primum modum simul.*

* Omninò & propriè ea simul esse dicuncuntur, quorum ortus in eodem est tépore.

Sic gemelli sunt simul.

*Recita secundum modum simul.*

* Secundus modus est, quo simul esse dicūtur ea, quæ reciprocantur illa quidem in argumentatione, qua si vnum sit, alterum esse concluditur: sed neutiquam alterum causa est ortus alteri.

Vt, duplum & simplum, sic reciprocātur, Nam si duplum sit, simplum est: & si simplum sit, est duplum: & neutrum causam alteri ortus affert. Rursus appellatio domini postulat poni seruū: amisso seruo, extincta est relatio domini, quia semper relatio extinguitur extincto altero correlatiuorum.

*Recita tertium modum simul.*

* Dicuntur etiam simul ea esse, quę ex eo-

dem genere quasi ex altera parte diuidēdo respondent.

*Quæ dicuntur ex altera parte diuidi?*

Ex altera parte diuidi dicuntur, quæ ex eadem sunt diuisione, hoc est, eiusdem diuisionis membra: vt, homo & brutū in quæ animal diuiditur: Item quantitas continua, & quantitas deiuncta, quæ tanquam destincta membra sumuntur in eadem diuisione, explicante immediatè quantitatis potestatem atq; amplitudinem.

*Recense versiculos ad horum modorum memoriam iuuandam, à dialecticis olim excogitatos.*

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est,
Quæ conuertuntur dicimus esse simul.

*Ostende tres modos simul ad duos commodè posse reuocari.*

Si secundum rursus partiaris in hunc modum:

- *Simul*
  - *Tempore*
  - *Natura*
    - Quæ reciprocātur, cū demōstratur ex cōsecutione, si vnū sit alterum esse: neutrumque caussa est, cur alterum sit.
    - Quæ ex eodem genere deducta, in eadem sunt distributione, vt species idem genus diuidentes.

*Quis est vsus modorum simul?*

Conferunt hi modi simul ad ea, quæ prius dicta sunt, perfectius cognoscenda. tertius quidem, ad omnem diuisionem generis in suas species sub se pro-

ſe proximè comprehenſas. Secundus, ad quartam proprietatem relatorum. Hic enim explicatur quæ proprie ſint ſimul ordine naturæ. Primus ad cognoſcendum, quòd ea quæ multa ſunt atq; diuerſa, non ita repugnant, quin poſsint ſimul eſſe temopre, ſiue eiuſdẽ ſint categoriæ, ſiue diuerſarum.

## DE MOTVS GENERIBVS

*Cur in poſtprædicamentorum numero recenſuit Ariſtoteles motum?*

HAud abſurdé ſuſpicantur quidam, Ariſtotelẽ idcirco motũ ad poſtprędicamenta reieciſſe, vt indicaret nullius generis ſummi ipſum eſſe ſpeciẽ: Quanquam non deſunt, qui ad actionis perpeſsionisq; ordinem, verba & nomina verbalia motus ſignificantia pertinere volunt, quod quàm ſit conſentaneum vero, relinquo alijs diſcutiendum. Nã curioſa de eiuſmodi argutijs diſputatio non eſt præſentis inſtituti.

*Quot ſunt motuum ſpecies?*

* Sex vſitatè numerantur ſpecies motus.
- Ortus.
- Interitus.
- Acceſsio.
- Deceſsio.
- Commutatio.
- Loci mutatio.

*Explica quid ſit ortus.*

Nomine ortus & interitus vtimur, cùm de ſubſtantiali mutatione loquimur.

Eſt autem ortus, motus à non eſſe ad eſſe.

*Quid est interitus?*

Interitus, est motus ab esse ad non esse.

*Expone quid sit accessio, & decessio.*

Nomine accessionis & decessionis vtimur in mutatione quantitatum.

Est autem accessio, mutatio, qua acquiritur maior quantitas:

Decessio siue decretio, est mutatio, qua minor quantitas acquiritur.

*Explica quid sit commutatio?*

Nomine commutationis siue alterationis in qualitatibus vtimur.

Est autem commutatio motus, quo alia qualitas acquiritur, vt, calfactio, frigefactio, dealbatio etc.

*Quid est loci mutatio?*

Loci mutatio, est motus, quo ab vno loco in alium tendimus.

*Quis est vsus huius motuum distinctionis?*

Ponitur nostro iudicio hæc motuum seu mutationum distinctio, propter substantiæ vltimam suprà recitatam proprietatem, qua dictũ est, Substantiam vim habere accipiendi contraria immutatione suijpsius, hoc enim accidit illi per commutationem, quintam motus speciem.

## DE MODIS HABENDI.

VErbum habere, in omnibus linguis latè vagatur. Aliter enim habentur partes substantiarum, vt membra corporis, aliter accidentia: aliter ea quæ continentur: aliter vestitus, etc.

*Quot*

*Quot igitur modi habendi ab Aristotele numerantur?*

Octo:
- *Qualitatem*, vt scientiam, & virtutes.
- *Quantitatem*, vt magnitudinem septem pedum.
- *Ea quæ corpus velut vestiunt*, vt, tunicam vel gladium.
- *Aliquid in corporis parte*, vt, in manu annulum aureum.
- *Partem*, vt, pedem, vel manum.
- *Tanquam in vase*, vt, modius habet & cõtinet triticum, aut vinum amphora.
- *Possessionem*, vt, domum, vel agrum.
- *Vxorem aut virum.* Quæ significatio vna ex omnib' alienissima videtur Aristoteli. Qui hoc modo habet, etiam habetur, quod alijs modis non contingit.

*Recita versiculos qui ordine continent istos habendi modos.*

Affectum, quantum, vestitum, dic, velut aurum.
Membrum, contentum, possessio, vir mulierẽ.

*Quis est vsus modorum habendi?*

Prodest distinctio modorũ τοῦ ἔχειν seu habendi, ad categorias perfectiùs intelligendas, & præsertim ad categoriam habere: quò solúm modus tertius & quartus spectant. Nam ab illius categoriæ relatione dicimur habere, tum ea quæ velut corpus vestiunt, vt, vestem vel gladium: tum

ea quæ in corporis parte ſunt, vt in digito annulum.

*Ad quam categoriam referuntur reliqua habendi genera?*

Reliqua habendi genera alius aliò, pleriq́ue εἰς τὴν κατηγορίαν τῶν πρός τι, ſed ad relata referunt, alij cõtra diſputãt. Sed fugienda eſt otioſa ſubtilitas. Quare ſuperſedendum videtur anxia inquiſitione, vtrum in eandem aliquam communem rationem omnes habẽdi ſignificationes, cõcurrant, nec ne? & ad quas categoriarum claſſes, ſinguli pertineant modi. Satis ſit tertiũ & quartum citra controuerſiam in eodem genere conuenire.

## Omnium quæ in categorijs hactenus tradita ſunt (ad iuuandam puerorum memoriam) tabula.

IN ARISTOLIS CATEGORIARVM OPE-

- Antepraedicamenta
  - Finitio
    - Homonymorum / Synonymorũ / Paronymorũ — Hinc difcitur vocũ fimpliciũ varietas & triplex p̃dicatio. — Homonyma à difciplinis reijciẽda, Synonyma Phi- / aronyma (Philofophicę)
  - Diuifio
    - Vocum / Rerum — Hinc nofcitur à categorijs arcenda coniuncta: Item quæ in eadem, quæ in diuerfis fint categorijs, etc.
  - Regula
    - Cùm altèrum etc. / Quãdo genera di. etc. — Hæ docẽt categorias non debere permifceri, & quomodo fe ad inuicem habeant res eiufdem prædicamenti.
- quæ generatim diuiduntur in Categoriæ
  - Subftantia — Quæ in primam & fecundam diuifa, fex proprietatibus explicatur, enucleato vfu: vt in fequentibus quoque fit.
  - Accidens
    - Abfolutum
      - Diuifionis capax, vt eft quantitas, quę bipartitò diuifa, tribus proprietatibus explicatur.
      - Diuifionis expers, vt eft qualitas, quæ fpecies 4. proprietates tres habet cum vfu.
    - Accidens. — Græcè τὸ πρός τι, vulgò ad aliquid, quod Ariftoteles duabus definitionibus, cõmunitatibus duabus, & totidem proprietatibus explicat. Sub relatorum categoria reliquas relationes (quas breuifsimè Ariftoteles perftrinxit) comprehendere licet.

RE TRACTANTVR.

Postprædicamenta.

Opposita.
- Relata
- Cōtraria
  - Medio carentia
  - Mediū habentia
- Priuātia
- Contradicentia.

quæ quinq; proprietatib explicantur. Cognita oppositorum natura quædam proprietates substantiæ. Quantitatis qualitatis, etc. melius intelliguntur.

Prius
- Tempore. Natura
- Ordine. Dignitate
- Causa.

Horum vsus facit ad 2. proprietatem relatorum, etc.

Simul
- Tempore.
- Natura
  - quæ reciprocantur.
  - quæ idem genus diuidunt.

Motus, cuius explicatis quinque speciebus, inteligitur substātiā sui mutatione, hoc est, alteratione recipere contraria
Habere, cuius explicatis octo modis, noscitur tertius & quartus ad categoriam habere pertinere.

COM-

# COMPENDIARIA DEfiniendi, diuidendiq; ratio.



TSI apud Aristotelem nihil hîc de definiendi, diuidendíve ratione sequitur. (Nam categorijs liber περὶ ἑρμηνείας cõiunctus est) nos tamen, postquam hactenus de vocum simpliciũ discrimine & classibus dictum est, rectè addiderimus doctrinam definitionum, & diuisionum, quarum membra pręcipua sumuntur ex simplicibus illis, & propter quas superior omnis doctrina traditur: Neq; vlla est Dialectices pars in qua magis laborandum esse arbitrantur omnes eruditi: propterea quòd error quamlibet in definiendo exiguus, breui fit ingens procedente disceptatione. Quod si rectè sit in initio facta definitio, omnia certiora existũt, & multo facillima.

Proximum est, vt quum rectè quid sit, vnumquodque dixeris, deinde quotuplex sit, ostendas: id conducet ad rei quæ tractatur naturam clariùs demonstrandam: Præcipuè verò ad orationis copiam, dum vnum aliquid, quod multa ambitu suo complectitur in partes spargis. Hęc de vsu definitionum & diuisionum præfati, à definiendi ratione auspicemur.

Principiò autem, quid definitio sit, hinc quotuplex & quæ definiendi sint leges dicemus.

*Quid est definitio?*

Definitio est nominis vel rei explicatio.

*Quotuplex est definitio?*

Duplex est definitio { Nominis & Rei.

*Quid est nominis definitio?*

Nominis definitio est qualiscunque non falsa nominis, seu linguæ, seu figuræ, seu phrasis interpretatio.

Sumit Dialecticus à Grammatica sermonẽ proprium, purum, perspicuum, sine ambiguitate aliquid certi significantem.

Quapropter tota nominis definitio, nihil aliud est, quàm sermonis, figurarum, & phrasis, Grammatica vera & concinna interpretatio.

Nec angustè intelligenda est definitio nominis de puerili ἐτυμολογία: qualis est hæc: Solstitium est solis statio: Sed de erudita enarratione phrasis, in ijs linguis & materijs, de quibus dicendum est.

*Quis est vsus definitionis nominis?*

In hunc vsum præceperunt de definitione nominis, ne sermonis vitio disputatio obscuretur. Ad hanc rem vtilis est cognitio phrasis earũ linguarum, ex quibus cõtrouersię nascuntur, & tanquam pacisci inter se hi, qui de serijs rebus dissentiunt, antè debent, quomodo verbis vti velint. At sæpe fit in grauissimis negotijs, vt alterum alter ludificet amphibolia verbi. Sic Pelagius Catholicis imponere studebat, teste B. Augustino, cùm variè vtebatur verbo, gratiæ. Rectè quoque Cicero Epicurum tanquam Protea, aut Vertumnum insimulat, quòd vocabulo voluptatis, nunc hoc, nunc illud intelligens, sine distinctione vteretur.

*Quid nominis vocabulo, hoc loco accipiendum est?*

Per, nomen, hîc quælibet verba, vel singula, vel coniuncta capiuntur quæ Græcis sunt λέξεις. Latinis autem, aut verba, aut nomina.

## QVOTVPLEX EST finitio nominis?

Est multiplex finitio nominis. Decem autem genera constituunt multi. Primum est quod Græci κατὰ λέξιν dicunt: quando videlicet vocem ignotam alia notiore interpretamur, vt Ἀρετὴ Grecè, Latinè est virtus. Ἄνθρωπος est animal sursum spectans. Antichristus est, qui est cõtra Christum. Amen Hebraicè, Græce γένοιτο, vel τετελεσμένον ἔστω, Latine est firmum fit, vel fiat.

Quod finitionum genus apud Gramaticos docentes frequentissimum est.

*Secundum dicunt.*

Κατὰ διαφορὰν, hoc est, per differẽtiã, quãdo in vocabulis differentia quæritur, vt, odium ab ira differt, quod ira breuis est, odiũ inueteratum. Item, Tyrannus à rege, quòd hic religioni studeat moribusq; syncerioribus subditorum, & tranquillitati Reipub. Tyrannus verò nõ subditorum commodis, sed sibi vnice studet.

*Tertium.*

Tertium genus est metaphorica nominis definitio, Græce κατὰ μεταφορὰν, quando scilicet alicuius vocabuli tropus quæritur, vt homo bulla est. Adolescentia est flos ætatis: Senectus est occasus ætatis. Cicero, Iustitia est domina & regina virtutum. Huc referuntur quæcunque per

μετω-

μετωνυμίαν, μετάληψιν, συνεκδοχὴν, κατάχρησιν,& alios tropos deſcribũtur. Tractatur hoc definitionum genus vt vituperet,aut laudet, aut moueat,etc.

*Quartum.*

Κατ᾽ ἀφαίρεσιν,τοῦ ἐναντίου,hoc eſt, per ablationem contrarij, quando videlicet per contrarium aut priuationem definimus, vt cæcitas eſt viſus priuatio. Item virtus eſt fuga vitiorum, canente Horatio:

*Virtus eſt,vitium fugere,& ſapientia prima,*
*Stultitia caruiſſe.*

Hoc genere definitionis vtimur, cùm notũ eſt contrarium, vt, bonum eſt quod malum non eſt.

*Quintum.*

Κατὰ περίφρασιν, hoc eſt, per circumlocutionem quæ admittitur vel decoris, vel neceſſitatis cauſſa,vt,cùm dicimus,Euerſorem Carthaginis & Numantiæ, pro Scipione Africano: & cùm, Troiani belli ſcriptorem dixit Homerum, Horatius.

*Sextum.*

Ὡς ἐν τύπῳ,vel ὡς τύπος, & eſt exemplaris finitio nominis. Eiuſmodi definitio eſt, ſi quæratur quid ſit animal? & reſpondeatur, vt homo. Nomen inde habet hæc finiẽdi ratio,quod Græci, vbi hoc genere finitionũ vtũtur, inſerere ſoleant clauſulã ὡς τύπῳ λαβεῖν,ἢ,ὡς ἐν τύπῳ εἰπεῖν.

Vt Ariſtoteles in categorijs,Ἐστὶ δὲ οὐσία μὲν ὡς τύπῳ εἰπεῖν,οἷον ἄνθρωπος,ἵππος.

Quod noſter interpres ſic reddit. Eſt autem ſubſtan-

ſubſtantia, vt populariter dicam, vt homo, vt equus. Vſus igitur huius ad categorias Ariſtotelis intelligendas, præter alia, ſeruit

*Septimum.*

Κατ' ἔνδειαν πλήρους ἐκ τοῦ ὁμογενοῦς, hoc eſt, per indigentiã pleni ex eodem genere, vt enthymema eſt ratiocinatio imperfecta, cui nimirum, eiuſdem generis propoſitio, cũm ea quam in antecedẽte habet, puta vel maior, vel minor deeſt, vt ſit integer ſyllogiſmus: Item, quadrans eſt, cui dodrans deeſt, vt ſit as. Similiter, deunx eſt, cui deeſt vnica vncia. vt ſit quoque integer as. Et ſic partes aſsis definiuntur

*Octauum.*

Κατ' ἔπαινον, hoc eſt, per laudem: quando laudamus aliquid, vel epitheto illuſtramus, vt Lex eſt mẽs, & anim⁹, & cõſiliũ, & diſciplina ciuitatis.

Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis. Dialectica eſt ars artium, ſcientia ſcientiarum. Laudatio hęc videtur ridicula, ſed veriſsima eſt bene intellecta. Sic autem intelligenda eſt: Dialectica eſt ars artium, & ſcientia ſcientiarum, hoc eſt, non dignitate antecedens, ſed vſu præſtantiſsima, ſeruiens omnibus artibus & ſcientijs.

Huc quoque referuntur deſcriptiones à vituperio ſumptæ, vt apud Platonem: Voluptas, eſt eſca malorum.

*Nonum.*

Κατ' ἀναλογίαν, hoc eſt, per proportionem quando aliquid ſimilitudine ſeu proportione ſignifica-

nificam⁹:vt,Homo eſt μικρόκοσμος,minor mũdus:Mens eſt in homine,quod in mũdo Deus:Sol eſt mũdi oculus: Magiſtratus eſt lex loquens.Lex eſt anima ciuitatis:Caput eſt arx corporis. Cæterùm in hac finiendi forma fere fit, vt totum toti,partes partibus conferantur,& ſingulis ſingula tribuantur,tanquam ſimilia: veluti ſi quis corpus humanum ad Remp.retulerit,mox ex capite magiſtratum,ex humeris & pectore homines militares:ex manibus & pedibus, homines artifices: ex gula & ventre,locupletes & otioſos, vtiles tamen ciuitati propter ſumptum & victum faciet, ſed ἀναλογικῶς.

*Decimum.*

Κατ' ἐτυμολογίαν.Hoc finiendi genus apud Ariſtotelem σύμβολον,apud Ciceronem nota & notatio, apud Quintilianum originatio dicitur. Ouidius in Faſtis: locus, quòd foueat omnia, dictus.Iuſtitium eſt iuris ſtatio. Hæreticus eſt dogmatum,quæ à vera pietate abhorrẽt,elector.Nam αἵρεσις eſt ſecta & electio ſingularis doctrinę.Huiuſmodi Athenis quatuor erant, Academica,Peripathetica,Epicurea & Stoica,ex quibus alię promanarunt.Sic in Eccleſia impiorum dogmatum auctores ſunt hæretici,qui ſe ſuis placitis à catholicis & orthodoxis dirimunt.

Sed harum definitionum doctrina ad Grammaticum potius quàm Dialecticum pertinet.

## QVID EST DEFINITIO REI?

Definitio rei,eſt oratio, quæ eſſentiam aut cauſas,aut partes,aut accidentia rei explicat. Nam

quod

quod definitur, eſt quoddam velut complicatum & concluſum, quod fere tantum vna voce cōſtat, & dicitur Grçce ὁριζόμενον, Latine nunc finitum, nunc definitum: Oratio autem quæ quid res ſit, explicat, Græce ὁρισμὸς dicitur, Latine finitio aut definitio.

*Quot ſunt conditiones bonæ definitionis?*

Tres bonæ definitionis conditiones recenſent.

PRIMA EST.

*Ne definitio ſit anguſtior definito.*

Debet enim iuſta definitio omnibus conuenire, quæ ſub definito continentur. Quare non valent id genus finitiones: Homo eſt animal literatum, brutum eſt animal quadrupes.

SECVNDA.

*Ne latius vagetur definitio quàm definitum*

Debet enim ſoli rei definiendę cōpetere. Quare non valet definitio: Fortitudo eſt periculorum & laborum contemptus. Qua finitione piratæ, fures, & latrones eſſent fortes, itaque adde, pro pietate, qua nota, mox iſti ſecludentur,

TERTIA.

*Vt ſit ſermo definitionis proprius, perſpicuus, & ſine ambiguitate, rei naturam explicans.*

Ex quo conſequitur, abeſſe debere ambigua, & è longinquo petita. Oportet enim ſemper definitionem eſſe notiorem quàm definitum.

Quartam addunt nonnulli, ſed quæ ex duabus prioribus intelligitur, videlicet hanc:

*Definitio & finitum debent reciprocari.*

Hæc enim ἀντιστροφὴ ſeu reciprocatio indicat, num iuſta ſit definitio. Tunc autem reciprocantur,

tur, quando vtrunque de altero vniuersè dicitur, ad hunc modum, omnis homo est animal rationale, & item, omne animal rationale est homo.

### *Cur tam accuratè hoc loco de conditionibus in definiendo seruandis præcipitur?*

Licet de his conditionibus admonere puerile videatur, tamen non est prætermittendum. Sæpe enim offeruntur definitiones mendosæ. Notum est ex Laertio in vita Diogenis, quid Platoni acciderit, qui, quum diligenter hominis definitionem reddere videretur, & definiret hominem esse animal bipes implume, Diogenes Cynicus gallum gallinaceum, cui dempserat plumas, in auditorium illius proijciés, Ecce (inquit) hominem Platonicum.

### *Modus definiendi quis est?*

Modus definiendi est, si inuento genere, seu communiore vocabulo, tot loco veræ differentiæ vocabula congeras, quot rei definiendæ suffecerint, ad eius naturã totam aptè concludendam, suisque ita circunscribendam limitibus, vt & toti, & soli definitio conueniat.

### *Definiatur exempli gratia quid sit ciuitas?*

Ciuitas est multitudo: adest genus. Sed nondum definitio valet: Si enim vaga sit multitudo, palàm est, non esse ciuitatem: Adstringimus igitur arctiùs. Ciuitas est multitudo collecta. Sed nondum valet Si enim decem aut cẽtum fuerint, non erit ciuitas. Iterum arctius adstringamus. Ciuitas est multitudo collecta ad statum rerum suarum tuẽdum per se sufficiens. Sed necdum completa definitio est: vt sint enim quantumuis mul-

ti,

ti,ſed diſsideant animis, non conſulant in commune, non vitę genere conueniant, nõ video cur ciuitas dicatur. Addamus itaq; poſtremam clauſulam, conſenſu legum vitæque coniuncta. Iam collige à capite omnia, videbis definitionem iuxta conditiones & leges præſcriptas abſolutam.

*Ciuitas eſt multitudo collecta, ad ſtatum rerum ſuarum tuendum per ſe ſufficiens, conſenſu legum vitæq; coniuncta.*

Ad conſimilem modum res plurimæ definiri poterunt: ſed ſufficit viam ad quiduis facilè definiendum dilucide demonſtraſſe.

*Quot ſunt formæ definitionis rei?*

Sex:
- Eſſentialis, Ουσιώδης.
- Cauſſalis, Αἰτιώδης.
- Relatorum, πρός τι.
- Ex effectis & officijs.
- Collecta ex coaceruatione partium Κατὰ μέρη.
- Collecta ex accidentium coaceruatione. Ὑπογραφή.

Etſi autem alij plures motus recitāt, tamen hi in præſentia ſufficere poſſunt, quos meminiſſe facile eſt. Ac modi alij fere in his includuntur.

*Quid eſt Ουσιώδης definitio?*

Ουσιώδης, quam eſſentialem definitionem nominant, eſt, quæ conſtat ex genere & vera differentia, quæ ſpeciei eſt efficiens, vt, homo eſt animal rationale.

ADMONITIO.

**Boetius vtile eſſe admonet, dum definitio in-**

quiritur,aliquando eam à summo genere ducere: vt homo est substātia corporea, animata sentiēs, rationalis. Cùm hoc modo à summo genere progredimur, videmus nos intra categoriarum metas versari,& res fit illustrior.

Nec difficile est in substantijs intelligere, cur hoc genus definitionum vocetur essentiale, quia partes essentiæ significantur, vt in homine animal & rationale.

Animal significatur,cùm dicimus: Homo est substātia corporea,animata,sentiēs: deinde quod rationalis sit,exprimitur.

Nec tamen solæ substantiæ habent essentiales definitiones, sed etiam accidentia, videlicet vbicunque disertè genus & vera differentia nominari potest,vt, Virtus est habitus moralis,bonus.

Nam habitus genus est virtutis: Differētię sunt morale & bonum,quorum illud ab artibus, hoc à vitijs virtutem discernit.

Et hic generatim nomine essentiæ vtimur,pro rei natura,siue sit in categoria substantiæ,siue sit accidens.

In exemplis definitionum essentialium, vsus vniuersalium clarè conspicitur. Sed nimis rarum est hoc definiendi genus,longè alioqui illustrissimum,propter differentiarum inopiam, & essentiarum obscuritatem: Et tamen hæ vel solæ definitiones dici merētur. Reliquæ magis declarationes seu expositiones sunt,aut,vt vulgo in scholis vocātur,descriptiones: quanquam nolumus adeò anxiè descriptionem à definitione separare, cùm differentia frequentissimè confundatur.

*Quid est Αἰτιώδης definitio?*

Αἰτιώδης vulgò caussalis definitio vocatur,est-

tur, estque oratio quæ disertè caussas vel omnes, vel aliquas recenset, vt rei naturam vel vsum declaret. Est autem affinis superiori. Nam duæ caussæ internæ, materia & forma, reuera sunt essentia rei. Sed efficiens & finis dicuntur externæ caussæ, quarum tamen sæpe mentio fit in definitionibus caussalibus.

*Quot modis reddi solet caussalis definitio?*
*Duobus.*

VNO MODO.

Vt caussa in recto de suo effecto prædicetur, vt, dum dicitur: Lunæ eclipsis, est directa interpositio terræ inter Solem & Lunam, in capite aut cauda draconis positam.

ALTERO MODO.

Vt caussa in obliquo casu designata de effectu dicatur, vt eclipsis Lunæ est priuatio luminis in Luna prouenienis ex interpositione terræ, etc.

*Quomodo diuiditur caussalis definitio?*

Hæc caussalis definitio, iuxta quatuor caussarum genera, quadrifariàm est diuidenda.

*Caussarum genera sunt*
- *Materia*
- *Forma*
- *Efficiens*
- *Finis.*

*Quid est materia?*

Materia propriè est, ex qua aliquid fit, vt pannus est materia vestis: lana materia panni: ligna & lapides, materia domus.

Aliquando materia dicitur, circa quam res versatur, aut in qua res cōsistit, sic color materia est, circa quam oculus versatur: paries autem est materia, in qua color consistit.

*Quid est forma?*

Forma est ipsa figura, effigies seu qualitas, quam induit materia, ex qua nomen accipit, vt figura illa quam habet vestis, sine qua non diceretur vestis.

*Quid est efficiens caussa?*

Caussa efficiens est, quæ in re efficienda operam ponit, vt vestiarius.

*Quid est finis?*

Finis est vsus rei: siue cuius gratia fit aliquid, vt corpora exercentur valetudinis gratia. Bellum fit publicæ pacis, & concordiæ caussa. Literarum fines sunt, vt nostra vita instituatur sapienter: vt in promptu sit copia & facultas dicendi: vt animus reficiatur, omni tempore, loco, & ætate, vt habet Cicero pro Archia Poeta.

Ex hisce causis aut singulis, aut pluribus, aut etiam omnibus, fiunt definitiones caussales.

*Profer exempla omnium generum definitionis caussalis.*

EX MATERIA.

Cereuisia, Græcè ζυθὸς, est potus ex aqua, hordeo, & lupulo confectus.

Anima, est actus corporis naturalis, potestate vitam habentis. Sed hîc ponitur materia, in qua, quæ impropriè caussa materialis dicitur, Illic materia ex qua.

EX FORMA.

Homo

Homo est animal ex anima rationali constans.

Animal, est corpus animatum anima sensitiua consistens, etc. Et ad hunc modum attinent, quæcunq; definitiones de concretis pertinent per sua abstracta, vt qualium definitio per qualitatem: albi per albedinem, & ita in reliquis. Sunt enim qualitas atque albedo formales caussæ albi & qualis, ipsis natura potiores, atque notiores.

Hicq; definiendi modus natura quidem notior est, nobis autem ignotior, qui compositiora & posteriora facilius cognoscimus.

EX EFFICIENTE.

Eclipsis est interpositio, etc.

Ira est (vt inquit Damascenus) efferuescentia sanguinis circa cor, ex euaporatione exuscitatione've bilis proueniens.

Dies, est latio solis supra terram.

Nox, est latio solis sub terram, etc.

EX FINE.

Domus, est tegumentum, quod prohibere, propulsareque potest incommoditates eas, quæ tum à ventis, tum ab imbribus, tum ab æstu fieri, euenireque solent.

Ira est appetitio doloris vicissim aduersario inferendi. Aut, ira est desiderium appetitusque vindictæ.

Homo, animal est ad perceptionem summi boni destinatum.

*Pluribus ex caussis vel omnibus constantur istæ.*

Homo, est animal ex corpore & animo cõstãs, à Deo creatum ad perpetuam felicitatem.

Eclipsis Lunæ, est luminis lunaris priuatio, ex interpositione terræ, etc. proueniens.

Ira eſt appetitus vindictæ, ex ebullitione ſanguinis circa cor procedens.

Eſt & hæc cauſſalis definitio apud Demoſthenem ex pluribus cauſsis.

„ *Lex eſt Dei inuentum atque donum, decretum*
„ *virorum ſapientum, correctio delictorũ conſultò,*
„ *vel inconſultò admiſſorum, vrbis cõmune pactum,*
„ *ſecundum quod omnibus ciuibus conuenit viuere.*

*Legis cauſſa efficiens.*

Nam cauſſa efficiens legis, eſt (Deus) qui inſculpſit rationi noſtræ ſententias certas de moribus, ſeu quod vocant ius naturæ, vnde leges omnes naſcuntur. Proinde primùm ait, (legem eſſe Dei inuentum atque donum) neque legis vim habere debet, ſi quid conſtituitur, quod à naturali iure diſſentit, qualia ſunt: Patrem ſenem mactare apud Triballos: Item, Ne vxor marito defuncto ſuperſtes ſit, quæ apud Barbaros fiunt. Item alia Mileſiorum lex, Nemo noſtrûm frugi eſto.

*Legis materia in qua, & rurſus efficiens quoque cauſſa.*

Deinde in quo ſubiecto ſint leges, aut quibus inſcripſerit Deus, adijcit, cùm ait, (decretum virorum ſapientum.) Sunt igitur in hominibus prudentibus leges, horumque decretum, cauſſa eſt efficiens imperans.

Cauſſa verò efficiens obſequẽs, eſt (vrbis commune pactum.) Nam non ſtatim omnis ſententia de moribus lex eſt, ſed illa, ad quam ſe populus adſtrinxit, nec ipſæ leges, alia nos cauſſa tenent, quàm quòd iudicio populi receptæ ſint.

Sunt autem ſuæ cuique genti leges & inſtituta

viuendi,hinc prouerbium est,νόμος καὶ χώρα.

Apud Athenienses publicis detestantur execrationibus eos,qui viatorem de via interrogantem fefellissent:præclara & honesta lex fuit, sed nobis non est lex , quia ad eam se nostra ciuitas non adstrinxit.

Apud Persas, capitalis fuit ingratitudo : apud nos non est capitalis,quia Magistratus nostri non constituerunt certam pœnam aduersus ingratos.

## *Caussa finalis legis.*

Adijcit finem legis,qui est(lege corrigi delicta) hoc legis officium est,& verus vsus , vt coërceantur quælibet delicta , ne vllo modo rumpatur societas,sed vt cuiq; suum maneat , vt nemo lædatur,vt nocentes puniantur, vt innocentes defendantur & honorentur.

Additur præterea caussæ finalis particula,cùm dicitur,(*secundum quam omnes viuere conuenit.*) Nisi enim legibus ex æquo teneantur omnes,& potentes,& illi qui propter exiguas opes inimijs obnoxij sunt, magni motus existent in Rebuspublicis,vt Romæ bellum ciuile exarsit,ex eo quod Iulius contra leges petebat Consulatum . Sit igitur legum vis,vt omnes iuxtà teneant.

Hactenus legis naturam ex caussis scrutati sumus cum Demosthene,cuius etiam definitionem iurisconsulti receperunt, & in libris suis repetere dignati sunt.

## *Quid est finitio relatorum,siue πρός τι?*

Est oratio ,cur quid res sit,per collectionem relatiui & correlatiui exponit , vt patronus est qui habet clientem:Discipulus,qui præceptorem:Pa-

ter, qui filium; Dominus, qui seruum. Haud absurdè enim correlatiua per se mutuò definias.

Est autem hoc definiendi genus facillimum. Itaque diutiùs in eo non est immorandum.

*Quid est effectis & officijs definitio?*

*Est oratio quæ rei naturam eius effecta & officia explicando declarata, vt,*

Sol, est auctor diurnæ lucis.

Luna, sydus est, cuius vi fluũt ac refluũt maria.

Hæmatites, lapis est, qui sanguinem sistit.

Smaragdus, lapis est viridis, impudicitiæ impatiens.

Iustitia, est virtus tribuens vnicuique quod suum est.

Miles, est persona, Dei voluntate ad hoc opus ordinata, vt in defensione iusta, vel pœna legitima, armis & quocunque labore militari, iuxta vocationem pugnet pro Ecclesia Dei & Republica.

Huc referuntur omnes fere omnium virtutum ac vitiorum, item, scientiarum ac artium finitiones.

*Quid est finitio* Κατὰ μέρη*?*

Κατὰ μέρη, hoc est, per partitionẽ seu partiũ enumerationem collecta definitio, est oratio recitans alicuius totius partes peculiares, vel oẽs, vel præcipuas: vel alicuius generis species, vt Philosophia est cognitio artium dicendi. Mathematum, Physices, & doctrinæ de moribus, quæ acie humanæ mentis intelligi, & iudicari potest.

Domus est, quæ fundamẽto parietibus, tectoq; consistit. Tales sunt & hæ: Pœna quæ legibus est sancita, est quę vno ex istis octo modis fit, népe

pe aut damno,aut vinculis,aut verberibus,aut ta lione,aut ignominia,aut exilio,aut seruitute,aut morte.

Mundus,est ex cœlo terraq;,necnon ex naturis,quæ intra hæc includuntur constitutio.

*Explica cur dixeris partes peculiares ad hoc definiendi genus esse assumendas.*

Diximus partes recitari debere peculiares rei quasq; non habet cum alia re communes. Non enim Dialecticam volunt rectè finiri, vt dicatur ars inueniendi,& iudicandi,quia Rhetoricę quoque illæ partes adscribuntur. Sed recte Grammatica finitur esse ars,constans orthographia, prosodia,etymologia,& syntaxi,quandoquidem eiusmodi partes ipsa sola posside.

*Cur in superiori definitione adiectum est (vel præcipuas?)*

Adiectum est(vel pręcipuas)vt intelligatur in ijs,quorum numerosę sunt partes, non oportere omnes definitionem ingredi, sed sufficere primarias,vt,si corpus humanum definias esse substantiam constãtem capite,pectore,ventre, manibus, & pedibus,satis fuerit. Nam alioqui si omnes recensere pergas,prolixior quam par sit, fiet definitio.

*Cur hæc pars posita est(vel alicuius generis species?)*

Adiectum deniq; est(vel alicuius generis species)quia multæ sunt tales definitiones: vt forēsium vocabulorum,& item virtutum,quę multas alias virtutes continent.

*Possent ne ad aliud definiendi genus referri illæ definitiones, quæ ex partibus fiunt?*

Possunt huiusmodi definitiones, præsertim quæ integrales partes exponunt, referri ad ea speciem definitionis caussalis, quę ex materia est. Nam partes integrales, ad caussam materialem Aristoteles reducendas vult.

*Quid est ὑπογραφή?*

Ὑπογραφή, Latinè descriptio, seu ex coaceruatione accidentiū collecta finitio, est oratio, quę generi adiungit, aut accidētia propria rei, aut talem coaceruationem communium accidentium quæ discernat eam rem ab alijs.

*Quorsum propriè adhibetur istud finitionum genus?*

Adhibetur hoc finitionum genus (teste Rodolpho, cap. 5. libri primi) non, vt quid res sit, indicet, sed vt qualis sit, velut inspiciendum ante oculos ponat.

IDQVE VEL BREVITER.

Vt Ignis est elementum calidum & siccū, & leuitate omnibus antecellens,

Achilles, est vir acer, inexorabilis, regibus infensus, liber ac simplex, pedibus velox.

VEL VERBOSIVS.

*Talis est luculentißima descriptio famæ apud Maronem.*

,,Fama malum, quo non aliud velocius vllum
,,Mobilitate viget, viresq́; acquirit eundo,
,,Parua metu primo, mox sese attollit in auras,
,,Ingrediturq́; solo, & caput inter nubila condit,
,,Illam terra parens ira irritata Deorum

Ex

„Extremã(vt perhibent) Cæo Enceladoq; ſororẽ
„Progenuit,pedibus celerem, & pernicibus alis,
„Monſtrũ horrendum,ingens,cui quot ſunt corpore plumæ.
„Tot vigiles oculi ſubter,mirabile dictu,
„Tot linguæ,totidẽ ora ſonãt,tot ſubrigit aures,
„Nocte volat cœli medio,terręq; per vmbram
„Stridens,nec dulci declinat lumina ſomno
„Luce ſedet cuſtos,aut ſummi culmine tecti,
„Turribus aut altis,& magnas territat vrbes:
„Tam ficti,prauiq; tenax,quam nuntia veri.

Copioſa eſt hæc famæ deſcriptio,in qua prętermiſſo definiti genere,quod eſt ſermo,tanquã ſatis noto,(quod in alijs definitionibus quoq; frequenter fieri ſolet)copioſiſsimè enumerat accidentia & proprietates, adhibita poetarũ more pictura,quibus diſertiſsimé famæ naturã deſcribit.

Cùm fama ita breuiter licuiſſet deſcribere, Fama eſt ſermo late ſparſus incerto auctore,nõ minus falſi quàm veri nuncius.

*Quo conſilio tam prolixam in hunc locũ adduxiſti famæ deſcriptionem?*

Non alio conſilio,quàm vt iuuentus eum cum breuibus dialecticorum finitionibus conferat,ne tam aride eas ab auctoribus ſemper proponi putet. Et vt videant hîc iuniores, quã appoſitè definierit Poeta,iuxta præcepta Dialecticæ Deinde ꝙ graphice ornet,iuxta Rhetoricas præceptiones.

*Quis eſt vſus huius formulæ definiendi?*

Multum hac forma vtimur in deſcriptionibus plantarum,animantium,gemmarum elementorum,vrbium,populorum, prouinciarum , regionum,

num,montium,fluuiorum,fontium & similiũ. Item,ad indiuiduorum,vt personarum discrimina indicāda,vt,Mitionem & Demeam discernũt accidentia. Neq; inter Catonem & Iulium internosces,nisi ex figura,habitu corporis,oris voce, statu,gressu,ætate,discrimina colligas.

Sed hæc magis Historicorum,Oratorũ,ac Poetarum sunt quàm Philosophorum. Quare satis de ijs sit dictum.

## ANNOTATIO.

Definitionum formulas recensuimus varias, exemplis copiose illustratas. Optime autem consuluerint iuuentuti præceptores,si in quotidianis lectionibus longe plura monstrent exempla, & iuniores in ijs diligenter exerceant, cũ exacte & apposite definire possit nemo, nisi eius rei vsum sibi quendam fecerit. Simulq; de vtilitate eos commonefaciant:doceant:in omni quęstione seu facilis sit, seu difficillima,cùm homines docēdi sunt fontem esse totius explicationis perspicuā & certam definitionem, vnde cætera argumenta omnia nascantur.

Et sicut actio in dicendo vna dominatur, adeò vt ipsi Demosthenes primas,secundas postremò & tertias tribuerit: Ita nos in accurata & subtili disputatione vnam definitionem maxime dominari decernimus,eiq; iure primas,secūdas, & tertias deberi affirmamus.

## Omnium quæ de ratione definiendi hactenus tradita sunt (ad iuuandam puerorum memoriam) tabula.

DE-

DEFINITIO Nominis.

Κατὰ λέξιν. Finitio ad verbũ, Grãmaticis vsitatissima, Αρετὴ, id est, virtus. Amen, id est, fiat, vel firmum sit.

Κατὰ διαφορὰν. Finitio per differẽtiã. Ira breuis. Odium inueteratum est.

Κατ' μεταφορὰν. Finitio p Tropũ. Homo est bulla. Sic Apostoli in sacris literis, piscatores, sal terræ, etc.

Κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου. Finitio per negationem contrarij. Malum est, quod non est bonum.

Κατὰ περίφρασιν. Finitio p circũlocutionem Numatiæ, & Carthaginis euersor, pro Scipione Africano.

ὡς τύπος. Finitio exemplaris. Substantia est, vt homo. Differentia est, vt rationale.

Κατ' ἐνδέειαν πλήρους. Finitio p indigẽtiam pleni. Deunx est, cui deest vnica vncia, vt sit as.

Κατ' ἔπαινον. Finitio à laude sumpta. Dialectica est ars artiũ, scientia scientiarum.

Κατ' ἀναλογίαν. Finitio à proportione, vel similitudine. Homo est μικρόκοσμος, minor mundus. Lex, anima ciuitatis.

Κατ' ἐτυμολογίαν. Finitio ab expositione nominis sumpta. Iustitiũ est iuris statio. Focus quod omnia foueat.

DEFINITIO

Rei.

- Οὐσιώδης. Finitio est essentialis. Homo est animal rationalis particeps.
- Αἰτιώδης Finitio causalis ex
  - Materia. Ceruisia est potus ex aqua, hordeo & lupulo confectus.
  - Forma. Homo, est animal ex anima rationali constans.
  - Efficiente. Senatusconsultum, quod Senatus iubet atq; ostendit.
  - Fine. Homo animal est ad perceptionē summi boni destinatum.
- Πρός τι. Finitio relati, Dominus est qui habet seruum.
- Ex effectis & officijs finitio. Sol est auctor diurnæ lucis.
- Κατὰ μέρη. Finitio, partium vel specierum enumeratione. Homo est qui constat capite, brachijs, pectore, ventre, & pedibus,
- Ὑπογραφική. Finitio, accidētiū coaceruatione. Terra est elemētum frigidum & siccum.

LEGES FINIENDI.

Finitio rei debet perspicue definiti naturam docere, & cum definito reciprocari seu conuerti: Cæterùm, nominis definitio non rarò angustior est definitio, aut latiùs vagatur.

MODVS DEFINIENDI.

Modus finiendi est, inuēto genere, seu commu-

niore vocabulo veram differentiam speciei efficientem inquirere, aut tot veræ differentiæ loco vocabula congerere, quot in definiendo suffecerint Quare definiendæ rei in primis categoria inquiratur, qua inuenta, eò vsq; descendendum est, donec genus proximum inueneris : hoc inuento quæratur differentia: ea sæpe oppositarum inter se specierum eiusdem generis collatione inuenietur. Verbi caussa: Cupis virtutem finire? Cogita eam qualitatem esse, deinde habitum: hinc moralem habitum, quemadmodum & vitia sunt. Denique virtutum à vitijs differentiam inquire, & absolueris finitionem virtutis hoc modo: Virtus est habitus moralis bonus.

## DE RATIONE DIuidendi.

ORditur Boetius librū de Diuisione ab ipsius multiplicitate eo cōsilio (vt opinamur) quod nomen (diuisio) sit homonymum, cuius non est vna definitio, sed plures. Potest tamen generali descriptione comprehendi.

*Quæ est igitur ista generalis descriptio, omnē diuidendi speciem complectens?*

Diuisio, est communioris, in minus communia diductio. Semper enim quod diuiditur, communius est eis, per quæ diuisio fit.

Communius, inquā, { Aut prædicatione / Aut continentia / Aut significatione.

*Quæ*

*Qua de cauſſa adiunxiſti illam poſtremam partem (aut ſignificatione?)*

Propter diuiſionem vocis in ſignificata: ſic Polypum, in piſcem & morbum diuidunt.

ADMONITIO.

Quia à Grammaticis vocum ſignificationes ſunt petendæ, de hoc genere diuiſionum nihil in præſentia dicendum eſt, ſed hoc admonendi ſunt diſputaturi, quicunque priuatim aut publicé verſabuntur in grauibus cauſis, vt primũ propoſiti negotij certæ ſignificationis vocabula conſtituãt ambigua explicent, & ſermonem integrum recte intelligãt: alioqui fieri non poteſt, quin in media diſſertatione, à rerum ſcopo excidant.

Sic enim fallere ſtuduit Catholicos (vt prius monuimus) Pelagius hæreticus, vt eſt apud D. Auguſtinum, quòd alias aliter gratię nomine vtebatur, eo vno vſus (deſperata ſæpe cauſa) profugio. Hoc genus exẽpla in Dialogis Platonicis crebra ſunt.

*Quot ſunt genera diuiſionum magis vulgata? Duo.*

Diuiſio { Generis in ſpecies
Diuiſio { Totius in partes { Subſtantiales / Integrales.

Diuiſio generis in ſpecies propriè diuiſio dicitur, & omnibus artibus communis eſt, vt animal diuiditur per differentias in ſpecies.

Sic, animaliũ { Aliud rationale, vt homo. / Aliud irrationale, vt brutum.

RVR-

RVRSVS.

Brutorum aliud { Volatile, vt auis. / Aquaticum, vt piscis. / Terrestre, vt bos, equ⁹, leo, etc

Hæ species, deinde proprietatibus discernuntur, vt bos est animal quadrupes, cornutũ, mugiens etc. Necesse est autẽ species discerni, vel per differentias, vel per proprietates, vel per accidẽtia vel per subiecta, in quibus hærent, vel per obiecta circa quę versantur, vel per causas, vel per effecta. Quocirca diligenter videndũ est, vnde potiùs discrimina sumi possint, ad species inter se discernendas, aut genus diuidendum.

Diuisio totius in partes, propriè nominatur partitio, quo nomine eam Cicero appellat, quia partes seu membra recenset.

Sic hominem in animum & corpus diuidere licet. Item humanum corpus in caput, collum, pectus, cor, epar, ventrem, etc.

*Quomodo hæc diuidendi forma à superiori distinguitur.*

Superior forma inferiora colligit, de quibus diuisum verè prædicari potest: ista verò partes integrales, quibus falsò tribueretur diuisum.

*Quæ cautiones obseruari debent in hac diuidendi forma?*

Hîc diligenter obseruandum est, quod & Cicero monet, ne partes cum speciebus confundantur. Species sunt, quę genere continentur eodem, at ex ipsis genus non conficitur. Partes autem, id quo continentur conficiunt: vt caput, brachia,

 tho-

Aliquando materia dicitur, circa quam res versatur, aut in qua res cõsistit, sic color materia est, circa quam oculus versatur: Paries autem est materia, in qua color consistit.

*Quid est forma?*

Forma est ipsa figura, effigies seu qualitas, quam induit materia, ex qua nomen accipit, vt figura illa quam habet vestis, sine qua non diceretur vestis.

*Quid est efficiens caussa?*

Caussa efficiens est, quæ in re efficienda operam ponit, vt vestiarius.

*Quid est finis?*

Finis est vsus rei: siue cuius gratia fit aliquid, vt corpora exercentur valetudinis gratia. Bellum fit publicæ pacis, & concordiæ caussa. Literarum fines sunt, vt nostra vita instituatur sapienter: vt in promptu sit copia & facultas dicendi: vt animus reficiatur, omni tempore, loco, & ætate, vt habet Cicero pro Archia Poeta.

Ex hisce causis aut singulis, aut pluribus, aut etiam omnibus, fiunt definitiones caussales.

*Profer exempla omnium generum definitionis caussalis.*

EX MATERIA.

Cereuisia, Græcè ζυθὸς, est potus ex aqua, hordeo, & lupulo confectus.

Anima, est actus corporis naturalis, potestate vitam habentis. Sed hîc ponitur materia, in qua, quæ impropriè caussa materialis dicitur, Illic materia ex qua.

EX FORMA.

Homo

Homo est animal ex anima rationali constans.

Animal, est corpus animatum anima sensitiua consistens, etc. Et ad hunc modum attinent, quæcunq; definitiones de concretis pertinent per sua abstracta, vt qualium definitio per qualitatem: albi per albedinem, & ita in reliquis. Sunt enim qualitas atque albedo formales caussæ albi & qualis, ipsis natura potiores, atque notiores.

Hicq; definiendi modus natura quidem notior est, nobis autem ignotior, qui compositiora & posteriora facilius cognoscimus.

EX EFFICIENTE.

Eclipsis est interpositio, etc.

Ira est (vt inquit Damascenus) efferuescentia sanguinis circa cor, ex euaporatione exuscitatione've bilis proueniens.

Dies, est latio solis supra terram.

Nox, est latio solis sub terram, etc.

EX FINE.

Domus, est tegumentum, quod prohibere, propulsareque potest incommoditates eas, quæ tum à ventis, tum ab imbribus, tum ab æstu fieri, euenireque solent.

Ira est appetitio doloris vicissim aduersario inferendi. Aut, ira est desiderium appetitusque vindictæ.

Homo, animal est ad perceptionem summi boni destinatum.

*Pluribus ex caussis vel omnibus constantur ista.*

Homo, est animal ex corpore & animo cōstās, à Deo creatum ad perpetuam felicitatem.

Eclipsis Lunæ, est luminis lunaris priuatio, ex interpositione terræ, etc. proueniens.

Ira eſt appetitus vindictæ, ex ebullitione ſanguinis circa cor procedens.

Eſt & hæc cauſſalis definitio apud Demoſthenem ex pluribus cauſsis.

„ *Lex eſt Dei inuentum atque donum, decretum*
„*virorum ſapientum, correctio delictorũ conſultò,*
„*vel inconſultò admiſſorum, vrbis cõmune pactum,*
„*ſecundum quod omnibus ciuibus conuenit viuere.*

### *Legis cauſſa efficiens.*

Nam cauſſa efficiens legis, eſt (Deus) qui inſculpſit rationi noſtræ ſententias certas de moribus, ſeu quod vocant ius naturæ, vnde leges omnes naſcuntur. Proinde primùm ait, (legem eſſe Dei inuentum atque donum) neque legis vim habere debet, ſi quid conſtituitur, quod à naturali iure diſſentit, qualia ſunt: Patrem ſenem mactare apud Triballos: Item, Ne vxor marito defuncto ſuperſtes ſit, quæ apud Barbaros fiunt. Item alia Mileſiorum lex, Nemo noſtrûm frugi eſto.

### *Legis materia in qua, & rurſus efficiens quoque cauſſa.*

Deinde in quo ſubiecto ſint leges, aut quibus inſcripſerit Deus, adijcit, cùm ait, (decretum virorum ſapientum. Sunt igitur in hominibus prudentibus leges, horumque decretum, cauſſa eſt efficiens imperans.

Cauſſa verò efficiens obſequẽs, eſt (vrbis commune pactum.) Nam non ſtatim omnis ſententia de moribus lex eſt, ſed illa, ad quam ſe populus adſtrinxit, nec ipſæ leges, alia nos cauſſa tenent, quàm quòd iudició populi receptæ ſint.

Sunt autem ſuæ cuique genti leges & inſtituta viuen-

viuendi, hinc prouerbium est, νόμος καὶ χώρα.

Apud Athenienses publicis detestantur execrationibus eos, qui viatorem de via interrogantem fefellissent: præclara & honesta lex fuit, sed nobis non est lex, quia ad eam se nostra ciuitas non adstrinxit.

Apud Persas, capitalis fuit ingratitudo: apud nos non est capitalis, quia Magistratus nostri non constituerunt certam pœnam aduersus ingratos.

### *Caussa finalis legis.*

Adijcit finem legis, qui est (lege corrigi delicta) hoc legis officium est, & verus vsus, vt coërceantur quælibet delicta, ne vllo modo rumpatur societas, sed vt cuiq; suum maneat, vt nemo lædatur, vt nocentes puniantur, vt innocentes defendantur & honorentur.

Additur prætereà caussæ finalis particula, cùm dicitur, (*secundum quam omnes viuere conuenit.*) Nisi enim legibus ex æquo teneantur omnes, & potentes, & illi qui propter exiguas opes inimijs obnoxij sunt, magni motus existent in Rebuspublicis, vt Romæ bellum ciuile exarsit, ex eo quod Iulius contra leges petebat Consulatum. Sit igitur legum vis, vt omnes iuxtà teneant.

Hactenus legis naturam ex caussis scrutati sumus cum Demosthene, cuius etiam definitionem iurisconsulti receperunt, & in libris suis repetere dignati sunt.

### *Quid est finitio relatorum, siue πρός τι?*

Est oratio, cur quid res sit, per collectionem relatiui & correlatiui exponit, vt patronus est qui habet clientem: Discipulus, qui præceptorem: Pa-

ter,qui filium;Dominus,qui seruum.Haud absurdè enim correlatiua per se mutuò definias.

Est autem hoc definiendi genus facillimum. Itaque diutiùs in eo non est immorandum.

*Quid est effectis & officijs definitio?*

*Est oratio quæ rei naturam eius effecta & officia explicando declarata,vt,*

Sol,est auctor diurnæ lucis.

Luna,sydus est,cuius vi fluūt ac refluūt maria,

Hæmatites,lapis est,qui sanguinem sistit.

Smaragdus,lapis est viridis,impudicitiæ impatiens.

Iustitia , est virtus tribuens vnicuique quod suum est.

Miles,est persona , Dei voluntate ad hoc opus ordinata , vt in defensione iusta , vel pœna legitima,armis & quocunque labore militari,iuxta vocationem pugnet pro Ecclesia Dei & Republica.

Huc referuntur omnes fere omnium virtutum ac vitiorum,item,scientiarum ac artium finitiones.

*Quid est finitio* Κατὰ μέρη?

Κατὰ μέρη,hoc est,per partitionē seu partiū enumerationem collecta definitio,est oratio recitans alicuius totius partes peculiares, vel oēs, vel præcipuas:vel alicuius generis species,vt Philosophia est cognitio artium dicendi. Mathematum, Physices,& doctrinæ de moribus, quæ acie humanæ mentis intelligi,& iudicari potest.

Domus est,quæ fundamēto parietibus,tectoq; consistit. Tales sunt & hæ : Pœna quæ legibus est sancita,est quę vno ex istis octo modis fit,nē-

pe aut damno, aut vinculis, aut verberibus, aut talione, aut ignominia, aut exilio, aut seruitute, aut morte.

Mundus, est ex cœlo terraq́;, necnon ex naturis, quæ intra hæc includuntur constitutio.

### *Explica cur dixeris partes peculiares ad hoc definiendi genus esse assumendas.*

Diximus partes recitari debere peculiares rei quasq́; non habet cum alia re communes. Non enim Dialecticam volunt rectè finiri, vt dicatur ars inueniendi, & iudicandi, quia Rhetoricę quoque illæ partes adscribuntur. Sed recte Grammatica finitur esse ars, constans orthographia, prosodia, etymologia, & syntaxi, quandoquidem eiusmodi partes ipsa sola possidet.

### *Cur in superiori definitione adiectum est (vel præcipuas?)*

Adiectum est (vel pręcipuas) vt intelligatur in ijs, quorum numerosę sunt partes, non oportere omnes definitionem ingredi, sed sufficere primarias, vt, si corpus humanum definias esse substantiam constãtem capite, pectore, ventre, manibus, & pedibus, satis fuerit. Nam alioqui si omnes recensere pergas, prolixior quam par sit, fiet definitio.

### *Cur hæc pars posita est (vel alicuius generis species?)*

Adiectum deniq; est (vel alicuius generis species) quia multæ sunt tales definitiones: vt forēsium vocabulorum, & item virtutum, quę multas alias virtutes continent.

„Extremã(vt perhibent) Cæo Enceladoq; sororẽ
„Progenuit,pedibus celerem, & pernicibus alis,
„Monstrũ horrendum,ingens,cui quot sunt corpore plumæ.
„Tot vigiles oculi subter,mirabile dictu,
„Tot linguæ,totidẽ ora sonãt,tot subrigit aures,
„Nocte volat cœli medio,terręq; per vmbram
„Stridens,nec dulci declinat lumina somno
„Luce sedet custos,aut summi culmine tecti,
„Turribus aut altis,& magnas territat vrbes:
„Tam ficti,prauiq; tenax,quam nuntia veri.

Copiosa est hæc famæ descriptio,in qua prętermisso definiti genere,quod est sermo,tanquã satis noto,(quod in alijs definitionibus quoq; frequenter fieri solet)copiosissimè enumerat accidentia & proprietates, adhibita poetarũ more pictura,quibus disertissimé famæ naturã describit.

Cùm fama ita breuiter licuisset describere, Fama est sermo late sparsus incerto auctore,nõ minus falsi quàm veri nuncius.

*Quo consilio tam prolixam in hunc locũ adduxisti famæ descriptionem?*

Non alio consilio,quàm vt iuuentus eum cum breuibus dialecticorum finitionibus conferat,ne tam aride eas ab auctoribus semper proponi putet. Et vt videant hìc iuniores, quã apposité definierit Poeta,iuxta præcepta Dialecticæ Deinde q̃ graphice ornet,iuxta Rhetoricas præceptiones.

*Quis est vsus huius formulæ definiendi?*

Multum hac forma vtimur in descriptionibus plantarum,animantium,gemmarum elementorum,vrbium,populorum, prouinciarum , regionum,

DEFINITIO Nominis.

Κατὰ λέξιν. Finitio ad verbũ, Grãmaticis vsitatissima, Ἀρετὴ, id est, virtus. Amen, id est, fiat, vel firmum sit.

Κατὰ διαφοράν. Finitio per differẽtiã. Ira breuis. Odium inueteratum est.

Κατ' μεταφοράν. Finitio ꝑ Tropũ Homo est bulla. Sic Apostoli in sacris literis, piscatores, sal terræ, etc.

Κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου. Finitio per negationem contrarij. Malum est, quod non est bonum.

Κατὰ περίφρασιν. Finitio ꝑ circũlocutionem Numatiæ, & Carthaginis euersor, pro Scipione Africano.

ὡς τύπος. Finitio exemplaris. Substantia est, vt homo. Differentia est, vt rationale.

Κατ' ἔνδειαν πλήρους. Finitio ꝑ indigẽtiam pleni. Deunx est, cui deest vnica vncia, vt sit as.

Κατ' ἔπαινον. Finitio à laude sumpta. Dialectica est ars artiũ, scientia scientiarum.

Κατ' ἀναλογίαν. Finitio à proportione, vel similitudine. Homo est μικρόκοσμος, minor mundus. Lex, anima ciuitatis.

Κατ' ἐτυμολογίαν. Finitio ab expositione nominis sumpta. Iustitiũ est iuris statio. Focus quod omnia foueat.

DE-

DEFINITIO Rei.

- Ουσιώδης. Finitio est essentialis. Homo est animal rationalis particeps.
- Αιτιώδης Finitio caussalis ex
  - Materia. Ceruisia est potus ex aqua, hordeo & lupulo confectus.
  - Forma. Homo, est animal ex anima rationali constans.
  - Efficiente. Senatusconsultum, quod Senatus iubet atq; ostendit.
  - Fine. Homo animal est ad perceptionē summi boni destinatum.
- Πρός τι. Finitio relati, Dominus est qui habet seruum.
- Ex effectis & officijs finitio. Sol est auctor diurnæ lucis.
- Κατὰ μέρη. Finitio, partium vel specierum enumeratione. Homo est qui constat capite, brachijs, pectore, ventre, & pedibus,
- Ὑπογραφική. Finitio, accidētiū coacervatione. Terra est elemētum frigidum & siccum.

## LEGES FINIENDI.

Finitio rei debet perspicue definiti naturam docere, & cum definito reciprocari seu conuerti: Cæterùm, nominis definitio non rarò angustior est definitio, aut latiùs vagatur.

## MODVS DEFINIENDI.

Modus finiendi est, inuēto genere, seu communio-

niore vocabulo veram differentiam speciei efficientem inquirere, aut tot veræ differentiæ loco vocabula congerere, quot in definiendo suffecerunt Quare definiendæ rei in primis categoria inquiratur, qua inuenta, eò vsq; descendendum est, donec genus proximum inueneris.: hoc inuento quæratur differentia: ea sæpe oppositarum inter se specierum eiusdem generis collatione inuenie tur. Verbi caussa: Cupis virtutem finire? Cogita eam qualitatem esse, deinde habitum: hinc moralem habitum, quemadmodum & vitia sunt. Denique virtutum à vitijs differentiam inquire, & absolueris finitionem virtutis hoc modo: Virtus est habitus moralis bonus.

## DE RATIONE DIuidendi.

ORditur Boetius librũ de Diuisione ab ipsius multiplicitate eo cõsilio (vt opinamur) quod nomen (diuisio) sit homonymum, cuius non est vna definitio, sed plures. Potest tamen generali descriptione comprehendi.

*Quæ est igitur ista generalis descriptio, omnẽ diuidendi speciem complectens?*

Diuisio, est communioris, in minus communia diductio. Semper enim quod diuiditur, communius est eis, per quæ diuisio fit.

Communius, inquã, { Aut prædicatione / Aut continentia / Aut significatione.

*Qua de caussa adiunxisti illam postremam partem (aut significatione?)*

Propter diuisionem vocis in significata: sic Polypum, in piscem & morbum diuidunt.

ADMONITIO.

Quia à Grammaticis vocum significationes sunt petendæ, de hoc genere diuisionum nihil in præsentia dicendum est, sed hoc admonendi sunt disputaturi, quicunque priuatim aut publicé versabuntur in grauibus causis, vt primũ propositi negotij certæ significationis vocabula constituãt ambigua explicent, & sermonem integrum rectè intelligãt: alioqui fieri non potest, quin in media dissertatione, à rerum scopo excidant.

Sic enim fallere studuit Catholicos (vt pri' monuimus) Pelagius hæreticus, vt est apud D. Augustinum, quòd alias aliter gratię nomine vtebatur, eo vno vsus (desperata sæpe causa) profugio. Hoc genus exẽpla in Dialogis Platonicis crebra sunt.

*Quot sunt genera diuisionum magis vulgata? Duo.*

Diuisio { Generis in species; Toti' in partes { Substantiales; Integrales. }

Diuisio generis in species propriè diuisio dicitur, & omnibus artibus communis est, vt animal diuiditur per differentias in species.

Sic, animaliũ { Aliud rationale, vt homo. Aliud irrationale, vt brutum. }

RVR.

RVRSVS.

Brutorum aliud { Volatile, vt auis. / Aquaticum, vt piscis. / Terrestre, vt bos, equ', leo, etc

Hæ species, deinde proprietatibus discernuntur, vt bos est animal quadrupes, cornutũ, mugiens etc. Necesse est autẽ species discerni, vel per differentias, vel per proprietates, vel per accidẽtia vel per subiecta, in quibus hærent, vel per obiecta circa quę versantur, vel per causas, vel per effecta. Quocirca diligenter videndũ est, vnde potiùs discrimina sumi possint, ad species inter se discernendas, aut genus diuidendum.

Diuisio totius in partes, propriè nominatur partitio, quo nomine eam Cicero appellat, quia partes seu membra recenset.

Sic hominem in animum & corpus diuidere licet. Item humanum corpus in caput, collum, pectus, cor, epar, ventrem, etc.

*Quomodo hæc diuidendi forma à superiori distinguitur.*

Superior forma inferiora colligit, de quibus diuisum verè prædicari potest: ista verò partes integrales, quibus falsò tribueretur diuisum.

*Quæ cautiones obseruari debent in hac diuidendi forma?*

Hîc diligenter obseruandum est, quod & Cicero monet, ne partes cum speciebus confundantur. Species sunt, quę genere continentur eodem, at ex ipsis genus non conficitur. Partes autem, id quo continentur conficiunt; vt caput, brachia,

 tho-

thorax,venter,pedes,etc.humanum corpus integrum constituunt.

Prçtereà est obseruādū,vt decorus partium ordo seruetur: Id quod Homerus in descriptione πανοπλίας τοῦ Αλεξάνδρȣ egregiè præstitit.

Postremò monēt partium partes generosi diuisione non admiscendas, sed subdiuidēdas seorsum,quemadmodum diximus prius: Animalium aliud rationale,aliud irrationale. Irrationalium aliud volatile,aliud aquaticum,etc.

*Súntne aliæ diuidendi formæ?*

Addunt his diuidendi formis & diuisionē subiecti in accidentia:vt, Hominum,alij sunt liberi, alij sunt serui. Rursus,alij studiosi,alij praui.

Et item accidentis in subiecta:vt, feritas, alia est tygridis,alia crocrodili,etc: Candidorum hoc lilium,illud cygnus,etc Rursus,accidentis in accidentia:vt,Dulcium,hoc flauum est, illud albū, & cæt.

*Vnde peti debet diuisionis materia?*

Ex singulis categorijs,quemadmodum & definitionis materia sumi debet.

Sit exempli gratia hominis facienda diuisio, eā ad hunc modum facere licebit:

1. PER SVBSTANTIAM.

Hominum,alius est Socrates,alius Homerus alius Demosthenes,alius Herodotus,etc.

2. PER QVANTITATEM.

Hominum.alius quidem procerus nimium est, alius verò pusillus nimis,alius deniq; mediam staturam obtinet.

3. PER

3. PER QVALITATEM.

Hominum, alius liberalis, alius prodigus, alius auarus est.

4. PER τὰ πρός τι

Hominum, alius pater est, alius filius, alius dominus, alius seruus, etc.

5. PER ACTIONEM.

Hominum, alius pacificè Rempu. administrat, alius pro Repub. bellum gerit: alius rem familiarem curat, alius agit in otio.

6. PER PERPESSIONEM.

Homines partim torquentur conscientia scelerum, partim alijs diuexantur afflictionibus.

7. PER VBI.

Hominum, alij sunt in vrbe nati, alij in agris.

8. PER QVANDO.

Hominum, alij fuerunt tempore legis naturæ, alij tempore legis Mosaicę, alij tempore Euangelij.

9. PER SITVM.

Homines, aut iacent, aut sedent, aut stant, etc.

10. PER HABITVM.

Hominum, alius exornatus est, alius sine ornamentis: alius armatus est, alius inermis: alius vestitus est, alius nudus.

*Quot sunt conditiones perfectæ diuisionis?*
*Duæ tantum.*

Nam quod præcipiunt vt bimembris sit, id inter leges diuidendi numerari non debet. Cogimur enim frequenter pluribus membris rei latitudinem explicare.

Prior itaque conditio est, vt membra inter se pugnent: vnde vitiosa est diuisio, Hominum alij pij, alij literati.

Posterior, vt membra totum rei ambitum adęquent, ita vt nihil sub diuiso, quod non sub mēbris, aut contra, contineatur.

## *Epilogus, diuisionis vsum explicans.*

Hactenus tradidimus diuisionum formulas, exemplis illustratas: reliquum est, vt ad curā diligentiamque eruditè & rectè diuidendi, exerceantur & assuefiant iuniores, sentient talis exercitij vtilitatem longè vberrimam.

In primis vetus dictū est: Qui benè distinguit, benè docet. Et in Phædro Platonis, longa diuisionum laudatio extat, vbi cùm Oratorem instituit ac format, nunquam quenquam ait dicendi artificem futurum esse, nisi sciat omnia, de quibus dicendum est, diuidere ac partiri, & apposita certaque definitione vnamquamque partem comprehendere: & tandem inquit Socrates, si nactus fuerit ducem, qui recte partiri sciat, se ipsius, tāquam Dei vestigia, secuturum esse. Inferatur ergo teneris mentibus hæc verissima persuasio, valde necessarias esse diuisiones seu distinctiones in plurimarum rerum explicatione.

Nam cùm vel maxime exigatur ab eo, qui rem aliquam explicaturus est, vt doceat (nihil autem docet is, qui omnia commiscet & confundit) sæpe profectò diuisione vtendum est, vt ea quæ non cohærent, separes, alioqui in oratione omnia temere congerentur, eruntque quod aiunt πάντα μιὰ κόνις.

Et

Et Cicero Seruium Scęuolæ quamuis peritissimo iuris, tamè ideo pręfert, quia Dialecticen addicerat scientiæ Iuris, artem, vt ipse ait omnium artium maximam, quasi lucem ad ea, quæ confuse ab alijs aut respondebantur, aut agebātur. Porrò ea,in re diuisio dominatur

Et Boetius in libro de diuisione inquit: Andronicum scriptum reliquisse, diuidēdi scientiam summo in honore semper apud Peripateticos fuisse, quod nulla res sine hac dilucidè & perspicuè explicari posit, aut definitione definiri. Definire namque quid aliud videtur, quàm ex genere per differētias diuisio in speciem descendere?

Præcipue verò ad differendi copiam, & Rhetoricas distributiones & amplificationes, diuidendi ratio necessaria est: Vt totus monstrum est. Id hoc pacto dilatabitur: Si hominem in corpus atque animum partiaris, deinde singulas corporis atque animi partes attingas. Et animo & corpore mōstrum est. Oculos, os, vultum, totam deniq; corporis figuram inspice, quid aliud quàm monstrum præ se ferunt? etc.

Atque hęc orationis ornamenta seu schemata ex diuisione Dialectica, ceu ex fonte deriuantur: quemadmodum è singulis Dialecticis locis, singulæ ferme Rhetorum figuræ nascuntur.

Postremo vt vsum diuisionum absoluamus. Sicut absq; demonstratione nulla scientia ritè comparari potest, ita absq; diuisione, atque etiam definitione, non scientiam solum, sed nec vllam artem assequi quis poterit. Ipsa namque diuisio aditum ad artes omnes & disciplinas præparat, seu diligens quædam exploratrix, quantum videlicet

licet ars se vnaquæque extendat. Definitio verò præparata iam atq; explorata, veluti lumine adhibito illustrat: & illustrata tanquam necessaria demonstrationi subministrat.

## Tabula ad iuuandam memoriam.

DIVI-

**DIVISIO.**

- Nominis ambigui in sua significata, proprie distinctio dicitur
- Rei, quæ in primis duplex est.
  - Substātialis, quæ rursus duplex est.
    - Diuisio generis in
      - Differentias, vt substātiarum alia
        - Corporea
        - Incorporea
      - Species proximas, vt substātiarum alia
        - Corpus
        - Spiritus.
      - Per differētias in species, vt substātiarum alia est
        - Corporea, vt corpus
        - Incorporea, vt spiritus.
    - Partitio toti' in partes
      - Integrales, vt quādo Romanorū Respub. in Senatores, Equites & Plebeios dissecatur.
      - Substantiales, vt si in animum & corpus hominem partiaris
  - Accidētaria quę quadruplex est.
    1. Subiecti in accidentia, vt hominum alij liberi sunt, alij serui.
    2. Accidentis in subiecta, vt candidorum illud lac, hoc cygnus, hoc lilium, hoc charta, etc.
    3. Accidentis in alia accidentia, vt candidorum hoc liquidum, illud solidum.
    4. Accidentis in subiecta per accidentia, vt cādidorū
       - hoc liquidum, vt lac
       - hoc solidum, vt charta, etc.

Duæ leges diuidēdi
1. vt membra inter se dissideant
2. vt mēbra diuidētia paria sint & ęqualia.

# DE METHODO
## Explicandi simplicia Themata.



Ocum varietatem ostendimus hactenus, gradus, itéq; classes seu domicilia, in quæ singula vocabula referri debeant, & formas definiēdi ac diuidēdi tradimus. Nūc mōstrabimus quomodo hęc præcepta ex schola, & ex vmbra in lucem, ac velut in aciem proferenda sint, & quomodo his pręceptis sit vtēdum: quibus si quis non didicerit vti, is sciat se in eis cognoscendis inanem operam sumpsisse, non aliter, atq; frustra sibi miles arma comparauerit, quibus vti nequit.

Patet autem in omni sermone hominum, vsus huius partis latissime. Etenim in omni fere congressu hominum, quæri ac dubitari de alicuius certæ rei natura, causis ac partibus solet. Doceri autē nulla res, ac ordine explicari potest, nisi adhibeatur Dialectica methodus.

*Quocirca quid nomine methodi accipiendum sit, paucis explica.*

*Methodus, est certa & cōpendiosa discendi docendiq; ratio, ex definiēdi diuidendiq; præceptionibus constituta.*

*Perge idem paulò latiùs explicare.*

Tradiderunt auctores, vt cùm aut docere aliquid alios, aut discere ipsi volumus, aut iudicare aliqua de re, certas quęstiones sequamur, quæ admoneant, quid in vniuscuiusq; nominis explica-

tione

tione requirendum sit, quęq; tanquam Mercuriales statuæ in docendo viam indicent.

*Quot sunt Methodi quæstiones?*

Methodi quæstiones, quæ viam simplicis thematis tractandi monstrant: Alius ex Aristotele duntaxat quatuor esse vult, alius octo facit, alius decem, quarum

Prima est, quid vocabulum significet.
Secunda, an res sit.
Tertia, quid res sit.
Quarta, quæ sint rei partes.
Quinta, quæ sint species.
Sexta, quæ caussæ.
Septima, qui effectus.
Octaua, quæ adiacentia.
Nona, quæ cognata.
Decima, quæ pugnantia.

*Cæteris in præsentia omissis, quatuor quæstionum genera ab Aristotele tradita, explicando persequere.*

Aristoteles in libro Resolutionum posteriorum secundo, quæstiones recenset quatuor.

Quæ sunt & in nostro catalogo præcipuæ,
- An sit, Εἰ ἐστι.
- Quid sit, Τί ἐστι.
- Quod sit, Ὅτι ἐστι.
- Quare sit, Διότι

An sit, quærit de ijs, quæ non sunt in cōspectu, vt, an sit Deus, an sint spiritus viui sine mole corporum. Ad hanc quæstionē sumitur responsio ab experientia, & effectibus, seu signis, vt esse spiritus cōfirmatur, qa à multis fide dignis cōspecti sunt.

Esse Deum, testimonia illustria & certissima ostendunt, videlicet, quia mortuos exuscitauit, iussit solem regredi & resistere, etc.

Quid sit, sciscitatur de definitione rei. Præcipuum enim caput est definitio in quacunque explicatione, vt, cùm quærimus, quid sit cometa, stella, an halitus inflammatus, etc.

Quod sit, particula apud Aristotelem, nō est interrogatio, sed asseueratio, significās aliquid attribui subiecto, vt cometa paulatim consumitur. Sic enarrat Aristotelē Ammonius Grçcus interpres: τοὺ ὑπάρχον τινὶ κατηγορούμενον, id est, quod attribuatur alicui prædicatur aliquod, seu quod subiectum illud sit tale.

Quare sit, quæstio est de caussis, quæ sit cometæ materia: quæ caussæ tantā molem viscosorum halituum contrahant & accendant.

Congruūt igitur Aristotelicæ quæstiones cum illis, quas recensui. Congruunt ad vtrasque & loci dialectici, qui infrà recitabuntur. Nam & illi sunt indices, vt ita dicam methodi. Adijciam autem exemplum de homine, vt vsus dictarum quæstionum clariùs videatur.

## ETYMOLOGIA,
### Et quid vox significet.

Homo vocatur, quia ex humo est factus, idque significat, quod Græcè ἄνθρωπος dicitur.

### AN RES SIT.

Hominem esse est notum.

### QVID SIT.

Homo est animal rationis consilijq́; particeps.

Quæ

QVAE PARTES.

Caput,os,pectus,brachia,manus,pedes,lingua, guttur,pulmo,cor,nerui,ossa,etc.

SPECIES.

Homo,cùm infima species sit,in species nõ diducitur à Philosophis. Vocant autem scriptores aliquando hominis speciem, hominem doctum, hominem indoctum,hominem Græcum, hominem Barbarum:Rursus,Italum,Germanum,Gallum,Hispanum,etc.

QVAE CAVSSAE.

Efficiẽtes, De⁹ opt.max.Sol.parẽtes,solũ natale.

Forma & materia, anima & corpus cum elementis,ex quibus homo componitur.

Finis, quem Deus ei destinauit, Aeterna fœlicitas.Ipse sibi,opes,honores,nomen, voluptates.

QVAE EFFECTA.

Ciuitates,leges,literæ, tot disciplinæ atque artes,etc.

QVAE ADIACENTIA.

Robur,imbecillitas,firmitudo, infirmitas, sanitas, morbus, in animo affectus, in mente acumen,hebetudo.memoria,etc.

QVAE COGNATA.

Homo cognationem habere videtur cum tota hâc mundi machina.Vnde μικρόκοσμος dicitur. Cum superis quoq; cognationem habet; si virtutibus supra humana assurgere studeat. Cum brutis verò,si ita sese abijceat atq; prosternat,vt inter ipsum & quadrupedem nihil intersit.

QVAE PVGNANTIA.

Lupus,Crocodilus,Basiliscus.

TABV-

# TABVLA DE VIRTVTE.

| Quandocūq; de simplici vocabulo vel de vna re, vt de virtute, vitio, amicitia, & cęt. dicēdū est, viam monstrant hæ decem quæstiões | | |
|---|---|---|
| | 1. Quid vox significet. | Virt' est quā Græci ἀρετὴν dicunt. |
| | 2. An res sit. | Virtutem esse: testatur clarè discrimen inter vitiosos & virtute præditos. |
| | 3. Quid sit res. | Virtus est habit' moralis, inclinans voluntatē & cęteras vires, vt cōstanter & firmiter obediant rectæ rationi. |
| | 4 Quæ sint rei partes. | Habit' nō secātur in partes. |
| | 5. Quę sint species. | Iustitia particularis, fortitudo, modestia, temperantia, etc. |
| | 6. Quæ caussæ. | Efficiētes, Deus actiones ipsæ, volūtas obtēperās recto rationis iudicio. Item doctrina & accurata assuefactio. Materiā ex qua nō habet. Materia in qua est volūtas & cor. Finales, ipsæ actiones secūdū Philosophos. Præterea de' ęterna pręmia. |
| | 7. Qui effectus. | Tranquillitas cordis, multi prosperi successus, vtilitas & pax publica. |
| | 8. Quæ adiacentia. | Gloria, & laus à probis, odia ab improbis & pericula, diuina deniq; defensio in periculis. |
| | 9. Quæ cognata. | Inclinationes ad bonum. |
| | 10. Quę pugnantia. | Turpitudines & vitia, ὑπόκρισις falsaq; virtutis simulatio. |

MO-

MONITIO.

Hoc pacto per quęstiones, quas recensui in discendo, docendóve, quandocunq; de simplici vocabulo, vel vna de re dicitur, ipsius thematis natura, angustis veluti limitibus est circunscribēda, quò & faciliùs edisci, & commodiùs posſit ratio eius memoria comprehendi. Verùm in describendis rebus oratione populari, licebit etiam singula locupletiùs pertractare, omnésq; ferè inueniendi rationes persequi. Et mediocriter explicatis his quæstionibus, fieri rem illustriorem, & quasi oculis subijci manifestum est.

Prodest igitur ad hunc ordinem, & ad has metas assuefieri discentes, quarum cōsideratio etiam moribus in vita vtilis est, cùm quídnam agamus, & caussas, & consequentia diligenter prospicimus. Ideo iunioribus multa exempla in quotidianis exercitijs proponantur, vt vocabula patientiæ, amicitiæ, pacis, belli, & similia.

LOGI-

# LOGICES LIBER TERTIVS, ΠΕΡΙ ἙΡΜΗΝΕΙΑΣ, vulgò DE ENVNTIATIONE.



X vocum illarum coniunctione, quas in vniuersalibus & categorijs singulas, & per se inspiciendas dedimus, conflatur oratio illa dialectica verum falsúmve designans, de qua nunc est disserendum.

Epigraphe libri huius (qui vnicus apud Aristotele habetur & indiuisus, licet vulgo diuidatur) est ἈΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΕΡΙ ἙΡΜΗΝΕΙΑΣ, hoc est, liber Aristotelis de interpretatione. Græcis verbum ἑρμηνεύω (vnde ἑρμηνεία) idem est, quod interpretor. Is autem propriè cogitationem suam interpretari videtur, qui exponit verum aliquid aut falsum.

Si quis ergo, vt vulgo faciunt per interpretationem, intellexerit ipsam enuntiationem, huius libri inscriptio videbitur ab ipsius materia, seu subiecto desumpta. Illud enim certum est, præcipuam hîc enuntiationũ haberi considerationem, præsertim simplicium.

Quòd autem de nomine & verbo paucula Aristoteles præmittat, ad perfectiorem enuntiationum cognitionẽ est factum, quæ ex verbis & nominibus, tanquam partibus præcipuis, pręcipuaq; (prædicati nimirum & subiecti) munia obeuntibus constituuntur.

DE NO-

# DE NOMINE.

*Recita nominis definitionem ab Aristotele datam.*

* Nomen est vox ex instituto significans, sine tempore, cuius pars nulla quidquã declarat separatim.

*Quale nomen hîc definitur?*

Definitur Logicum, voce prolatum: similis est de verbo, oratione, atq; enuntiatione in sequentibus habenda ratio.

Sunt enim hæc omnia triplicia, nempe { Mente cogitata / Voce prolata / Scripta.

Sicut manifestum est ex libri huius apud Aristotelem initio, sed de solis vocalibus hîc futurus est sermo.

*Explica planiùs iam recitata definitionis sententiam.*

Definitio hunc in modum intelligitur Nomen est vox vna, seu secundum vnam significationem accepta, ex hominum instituto rem aliquam significans, non autem adsignificans aliquam temporis differentiam (hoc est neq; præsens, neq; præteritum, neq; futurum tempus præter primariam significationem innuens sicuti verba) cuius nulla pars, quemadmodum in dictione sumitur, extra dictionem ipsam considerata, significat aliquid.

*An nihil est addendum isti definitioni, vt sit plena & omnibus suis numeris absoluta?*

Addendum est ex Aristotelis sententia, finita & recta.

Quid

*Quid est vox finita?*

Finitam vocem intelligimus vocẽ significantem, quæ non constat negatione infinita.

*Quid est vox recta?*

Rectam vocem appellamus, vocem nominatiui casus, vel præsentis temporis, indicatiui modi.

*Accommoda verba definitionis alicui exẽplo.*

Nominatiuus poeta est nomẽ cùm sit vox vna, neque naturaliter, sed ex instituto significans eũ, qui elegantia carmina fingit, neque adsignificat vllum tempus, neque partem significantẽ habet, neque est vox constans negatione, quẽadmodum vox, non poeta, neque est obliqui casus.

Ad eundem modum declaretur de his vocibus dominus, seruus, pater, filius, annus, dies, & alijs similibus.

## DE VERBO.

*Recita ex Aristotele verbi definitionem.*

* Verbum est, quod tempus adsignificat, cuius pars nulla significat separatim, semperque ea declarat & indicat, quæ de altero dicuntur.

Cuius sensus est. Verbum Logicum voce prolatum, est vocabulum vnum, significãs rẽ aliquam ex institutione hominum, quod adsignificat præsens tempus, præteritum, aut futurum, cuius nulla pars separatim sumpta significat aliquid: & significat id, quod semper obtinet locum attributi in propositione, modò suam significationem reseruet.

*Declara definitionem aliquo exemplo.*

Amo-

Amo verbum eſt,ſignificans ex arbitrio inſtituentis,amorem:& adſignificans tempus preſens, quo amor ille eſt , cuius nulla pars ſeparatim & per ſe ſumpta, quidquā ſignificat . in propoſitione ponitur , ſemper prædicatur , ſubijcitur nunquam,quamdiu ſignificationem ſuam retinet, vt in his propoſitionibus:ego amo,tu amas,etc.

*An iam recitata verbi definitio eſt plena?*

Data verbi definitio(vt in cōtextu indicat Ariſtoteles)non eſt plena & abſoluta , niſi adijciantur duæ voculæ,quales antè ſunt additæ nominis definitioni , videlicet finitum & rectum aut aliæ cum hiſdem valentes.

Paucis, id ſolū Ariſtoteli verbū videtur, quod eſt Grammaticis , verbum præſentis temporis indicatiui modi, quodque negatione ( quam infini-,,tantem vocant)præpoſita non conſtat:Hoc ad-,,dimus,quia,non curatur,& non ægrotat, negat Ariſtoteles eſſe verba.

*Quomodo ſe habet verbum Grāmaticum ad Logicum?*

Verbum Grammaticum ad Logicum comparatur,vt magis commune ad minus commune.

*Quomodo comparatur nomen ſuperius definitum ad nomen Grammaticum?*

Vt excedēs & exceſſum. Datur enim Grammaticum nomen , quod Logicum non eſt, vt omnia obliqua. Rurſus,Logicum nomen datur, quod Grammaticum non eſt, vt,ego , tu, & ſimila,quibus,declarata prius nominis definitio, conuenit. Datur denique Logicum & Grammaticum nomen,vt nominatiuus poeta.

# DE ORATIONE.

INnatam nobis à natura cognoſcendi viam ſequens Philoſophus, ſecundum quam (vt primo Phyſicorum dicitur) à confuſis & magis vniuerſalibus ad particularia, magiſq; cõtracta proficiſcimur, definit ante enuntiationem, ipſius genus, orationem videlicet.

*Recita igitur ex Ariſtotele orationis definitionem.*

* Oratio eſt vox, quę ſignificat, cuius pars aliqua ſeiuncta ſeparataq; vt nomen, non vt affirmatio aut negatio ſignificat.

Hoc eſt, Oratio eſt vox vna, ſeu vnius ſenſus, ex inſtituto ſignificans, cuius aliqua pars ſeparata ſignificat, vt nomen hoc eſt ſimplex, ſiue nec verum, nec falſum: hoc enim indicat ſequens pars, non vt affirmatio vel negatio, quæ ex ſententia Boetij & Alexandri Aphrodiſienſis explicationis cauſſa additur, ne quis ambiguitate vocabuli φράσις, id eſt, dictio) fallatur. Nam dictio aliquãdo pro affirmatione ſumitur, & dicere pro affirmare: & apud Ciceronem tota oratio dictio appellatur, & dicere eſt orare.

*Profer aliqua exempla definitionis.*

Exempla definitionis ſunt, homo albus, homo eſt albus. Si probus eſt Paulus, improbus non eſt.

*Quomodo diuiditur oratio?*

Orationum alia { Perfecta / Imperfecta.

*Ora-*

*Oratio perfecta quid est?*

Oratio perfecta est, quæ gignit perfectam sententiam in animo auditoris, vt Ioannes scribit.

*Oratio imperfecta quid est?*

Oratio imperfecta est, quæ imperfectã sententiam parit, vt Socrates & Plato: quisquis ambulat: homo albus, nondum enim percepit auditor, quid sibi velit, qui huiusmodi voces profert.

*Quomodo diuiditur oratio perfecta?*

Orationũ perfectarum alia est oratio { Perfecta nõ enuntians. / Perfecta enuntians.

*Quid est oratio perfecta non enuntians?*

Quæ licèt perfectam pariat sententiam in animo auditoris, non tamen verum aut falsum designat.

*Enumera partes orationis perfectæ non enuntiantis.*

Oratio perfecta non enuntians:
- Deprecatoria, Deus ꝓpitius esto mihi misero peccatori. Parce Dardanidæ de tot, precor, hostibus vni.
- Imperans, Claudite iam riuos pueri.
- Interrogans, Est aliquid quo tẽdis & in quod dirigis arcum? an passim coruos sequeris testaque lutoque.
- Optans, O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.
- Vocans, Huc ades ô Melibœe.
- Subiunctiua, Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

*Ad quos pertinet harum orationum vsus, quæ licèt perfectæ sint, tamen nihil asseuerant, neq; affirmatio, neq; negatio?*

Ad Oratores & Poetas, inquit Aristoteles, qui mouendis student affectibus, totique in hoc sunt, vt persuadeant, aut delectent: non magnopere habita frequenter ratione veritatis, cuius tamen inquisitio vel sola Philosophis proposita est.

*Quis est vsus eorum quæ hactenus sunt explicata?*

Quæ hactenus dicta sunt omnia, ad exactiorem enuntiationis notitiam conducunt, cuius partes integrales sunt nomen & verbum. Pars autem essentialis, seu genus enuntiationis oratio est. Differt autem oratio à nomine & verbo, quod illius pars aliqua significet quippiam, horum verò non item.

## DE ORATIONE ENVNtiante siue enũtiatione, & eius diuisionibus.

*Quid est enuntiatio?*

* Enuntiatio est oratio, quæ vel verum, vel falsum complectitur.

Hoc est, enuntiatio est oratio vera vel falsa, vt, Deus est verax, Omnis homo est mendax. Item:

Ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse truces.

*Quibus nominibus appellari solet ab auctoribus ista enuntians oratio?*

Aristoteli nunc λόγος ἀποφαντικὸς, nunc ἀπόφανσις dicitur, Ciceroni Latinè effatũ, enũciatum, enuntiatio pronuntiatum vel propositio vocatur, Varroni proloquium. Stoicis ἀξίωμα.

*Quomodo diuidit Aristoteles enuntiationem?*

* Enuntiationum alia { Vna / Plures.

*Quo modo hîc euntiationem intelligis?*

Nõ vt iam definita est (videlicet vnius sententiæ oratio) verùm generaliùs pro ea & ei simili, vt enuntiationes ambiguæ vel coniunctionibus carentes (quas plures hîc Aristoteles vocat) comprehendantur.

*Qualis est ista diuisio?*

Diuisio hæc est homonymi in suas significationes. Maximè propriè enim enuntiatio vna dicitur enuntiatio.

*Recita definitionem enuntiationis vnius.*

* Enũtiatio vna est, quæ aut vnum aliquid declarat, aut quæ vna fit per cõiunctionem.

Hoc est, enuntiatio vna, est in qua vnum vni tribuitur, vel cuius partes inter se coniunctione sunt vnitæ, vt homo est animal. Item si homo est, animal est.

*Recita ex Aristotele definitionẽ enuntiationum multarum.*

* Enuntiationes multæ sunt, quæ vel multa, & non vnum aliquid significant, vel carent coniunctionibus.

Hoc est, in quibus attributum vel subiectum non significat rem vnius naturæ: vel quæ sunt plures enuntiationes inter se coniunctione non vnitæ, vt vidi lupum. Item hæ enuntiationes sine cõiunctione sumptæ: Aristoteles ambulat, Socrates philosophatur.

*Quomodo diuidit Aristoteles enuntiationem vnam?*

* Enuntiationum vnarum, alia est { Simplex, Coniuncta.

Quæ diuisio licet à quibusdam aliò torqueatur: tamẽ generatim omni enuntiationi prius definitæ, rectè accommodari potest, vt eadẽ sit cum illa diuisione, qua neoterici propositionem diuidunt.

In

In { Categoricam & Hypotheticam.

*Recita definitionem enuntiationis simplicis.*

* Simplex enuntiatio est oratio, quæ aliquid de quodam dicit, vel negat, pro ratione temporum.

Hoc est, simplex enuntiatio, est oratio in qua vnum prædicatū vni subiecto vel attribuitur, vel ab eodem negatur, siue hoc fiat in præsenti, siue preterito aut futuro tempore. Designat enim Aristotelis præpositio (κατὰ, Latinè, de) cōpositionem seu affirmationem (ἀπὸ, Latinè, ab) negationem atque separationem.

Nonnunquam tamen κατὰ seu de, largiùs accipitur, vt ad vtrunq; sese extendat, quemadmodum in definitione propositionis, primo Aristotelis libro priorum Analyticorum.

*Quomodo distinguuntur partes huius definitionis?*

Priore parte comprehenduntur affirmātes, vt. Vlysses est facundus Homo est albus, homo sedet.

Posteriore negantes, vt, Vlysses non est formosus. Homo non est albus, homo non sedet.

*Quid dicēdum est de ijs quæ copulam habent mistam, vt est ista: Vlisses interfecit, vel non interfecit Aiacem?*

Committendum est istud disputantibus. Sunt

enim talia leuiuſcula & arbitraria. Attamen eruditiorum ſententia eſt, ſimplices enuntiationes omnes ſimplicis eſſe qualitatis.

*Cur adiūxit Ariſtoteles ſuæ definitioni iſtam particulam, pro ratione temporum?*

Ne ipſa intelligatur ſolum de præſenti tempore, additum eſt (vt ait Boetius) pro ratione temporum diuerſitatem.

*Num in omni enūtiatione ſimplici enuntiatur prædicatum de ſubiecto ſecundum aliquam temporis differentiam?*

Non, quia cōtingit enuntiationem ſimplicem conſtare copula nullam temporis differētiam deſignāte. Quapropter intelligemus in definitione, ſi cauillationes excludere velimus: aut aliquando non habita temporis ratione, vt cùm dicimus, homo eſt animal.

*Recita finitionem enuntiationis compoſitæ.*

* Enuntiatio cōiuncta eſt, quæ ex his ſimplicibus conſtat.

Videlicet tanquam ſui partibus principalibus ſui.

*Quæ ſunt partes principales enuntiationis?*

Quæ vniuntur per copulam totius, vt in hac oratione: Si animus eſt immortalis, æterna quærenda ſunt: Partes principales ſunt hæ enūtiationes ſimplices, animus eſt immortalis: æterna quærenda ſunt: quæ vniuntur copula totius, videlicet conditionata coniunctione, Si.

*Quomodo diuidit Ariſtoteles enuntiationem ſimplicem?*

Enun-

| | | |
|---|---|---|
| * Enumtiationum simpliciũ alia est | { | Affirmatio<br>Negatio. |

*Cuiusmodi est ista diuisio?*

Generis in species diuisio habetur.

*Quid est affirmatio?*

* Affirmatio est enuntiatio, quę aliquid de quopiam dicit.

Hoc est, est enuntiatio simplex, qua significatur aliquod prędicatũ subiecto alicui cõuenire. Vt, Sobrietas est mater virtutum.

*Quid est negatio?*

* Negatio est enuntiatio, qua aliquid inesse cuipiam negamus.

Vt, nulli veniunt sine Marte triumphi. Nemo est vndequaq; beatus.

*Diuide aliter enuntiationem simplicem.*

Subnectunt hoc loco diuisionem neoterici omnes, quam Aristoteles, in Primo priorum recenset hanc nimirum.

| | | |
|---|---|---|
| * Enuntiatio simplex seu propositio. | { | Generalis<br>Specialis<br>Indefinita. |

*Profer exempla.*

| | | |
|---|---|---|
| Generalis, vt, | { | Oĩs homo aures habet immotas.<br>Nullus homo est immortalis. |

Specialis, vt, quidam homo est candidus.

Indefinita, vt, homo est animal. Homo est niger.

*Inuenitúrne alia præter has ſimplicis enuntiationis ſpecies?*

Inuenitur, nimirum, ſingularis, cuiuſmodi eſt iſta, hic homo eſt niger.

MONITIO.

De hac diuiſione accuratius in primo priorum analit. tractaturi ſumus. Interim non fuit ſilentio prætereunda propter interrogationis modos, qui hoc loco explicari ſolent.

*Quot hoc loco commemorari ſolent à Dialecticis interrogationis modi?*

*Tres, videlicet, quæ, qualis, & quanta.*

*Declara paulò fuſius ſignificationem iſtarum vocum.*

Cùm interrogare volumus de propoſitione aliqua, vtrum ſit ſimplex, an coniuncta, vtimur quærendi vocabulo (quæ) interrogantes, quænam ſit hæc, aut illa propoſitio?

Cùm autem ſcire voluerimus, an affirmatio ſit an negatio, rogamus qualis ſit.

Deniq; ſcire volentes, num propoſitio generalis ſit, an particularis, an indefinita, an ſingularis, interrogamus, quanta ſit.

*Quis eſt vſus doctrinæ de enuntiatiunibus, præſertim ſimplicibus?*

Doctrina enuntiationum & propoſitionum, licèt admodum tenuis & puerilis videatur, eſt tamẽ ad formanda iudicia iuniorum admodum neceſſaria, quod in omnibus cõtrouerſijs diſceptationibusq; iudicãdis operæpretium ſit, ſimpliciſſimas

mas & certiſsimas ſentētias ſeu propoſitiones inquirere, in quibus citra vllā ambiguitatem, quid verum, quid falſum ſit, ſpectari queat, ad quas omnia orationis ornamenta referantur. Prolixas enim diſputationes & controuerſias, argumenta item, Rhetorum figuris illuſtrata, comprehendere animus hominis nequit, niſi ita in breues & ſimplices ſententias ſoluantur.

Et in primis, in vnaquaque cauſſa dijudicanda, ipſe totius cauſſæ ſcopus, quem Rhetores ſtatum vocant, quærendns eſt, & vnico pronuntiato expediendus. Deinde, illi in vniuerſa diſputatione quàm aptiſsime omnia argumenta comparabimus, in breuiſsimas item, atq; ſimpliciſsimas ſententias redacta.

Exempli gratia, totius diſputationis Milonianæ ſtatus hac enuntiatione ſimplici comprehenditur: Clodius iure cæſus eſt. Argumenta autem hoc Syllogiſmo, in tres ſimplices enuntiationes contracto, includuntur:

Vim vi arcere ius naturæ permittit,
Milo vim vi arcens Clodium occidit,
Iure igitur occidit.

Atque ſic pronunciatorum vim vſumq; maximum cernere licet: clarius autem conſpicietur in Syllogiſmis contexendis, alijſq; efficiendis argumentationibus Denique in locis, reliquiſq; Dialecticæ partibus omnibus.

## DE OPPOSITIS.

ABſolutis illis, quę de nomine, verbo, oratione, enuntiatione, eiusq; ſpeciebus explicat Ariſtoteles

ristoteles:nunc de Oppositione dicendum est,vbi primùm monendi sunt discentes, aliam esse simplicium,seu vocabulorum,seu rerum oppositionem,vt caloris & frigoris,visus & cæcitatis(de qua oppositione hîc non agitur, sed dictum de ea est priùs,& postea in locis quoq; de ea dicetur)aliam esse propositionum oppositionem, quæ hic venit tractanda,cùm sit enuntiationis simplicis seu categoricæ propositionis proprietas quædam: eiusdem verò disciplinæ sit,subiectum & eius propria accidentia considerare.

*Quomodo igitur ab Aristotele definitur contradictio seu oppositio?*

* Contradictio est affirmatio negatioque contrariæ.

Hoc est,Quando affirmatio & negatio repugnant & inter se opponuntur, talis pugna appellatur contradictio. Aristoteles autem ita se explicat,ne incertus hæreret lector,quænam affirmatio & negatio opposita sint,dicens:

* Opponi autem contradictorio nomine dico,eam quæ eiusdem rei est, & de eadem re dicit,de qua altera, non ὁμωνύμως, cæterisq; omnibus adiunctis,quæ contra sophistarum molestas rationes afferre solemus.

Hoc est,Illæ affirmationes & negationes opponi dicuntur,quæ habent idem prorsus prædicatū & idem subiectum, quorū neutrum in vna propositione aliter accipitur quàm in altera,obseruatis ijsdem particulis quæ positæ sunt in definitione reprehēsionis, nimirum vt pars vtraq; in eodem

dem

dem,ad idem,eodem modo,& eodem tempore ſumatur.

*Quorſum addit Ariſtoteles ( eiuſdem rei de eadem re?)*

Arguit has non eſſe oppoſitas: Aethiops eſt niger,& Germanus non eſt niger.

*Neq; item has.*

Maro fuit gratus Auguſto, Virgilius non fuit gratus Auguſto. Omnis cygnus eſt albus,& quidam cygnus non eſt candidus. Exigit enim Ariſtoteles non tantùm idem nomen ſecundum ſignificationem ſeu rem,verumetiam ſecũdum vocem ipſam:quod repugnantiam ſeu oppoſitionem velit non in mente ſolum,ſed etiam in vocibus ipſis elucere.

*Cur ponit Ariſtoteles in ſua definitione iſtam partem non ὁμωνύμως?)*

Quia cauẽdũ eſt,ne qua vſquam ſit ἀμφιβολία. Hæ enim non opponuntur: Cato ſe occidit, Cato ſe non occidit Catonis enim nomen varium eſt, aliàs enim Vticenſem,aliàs Cenſorium deſignat.

*Cur iſtam partem(in eodem)cenſes addendam?*

Si in contradictione reperiatur aliquod vocabulum relationis ſeu comparatiuum , debet fieri comparatio in eodem ſeu ſecundum idem . Quare hæ non erunt oppoſitæ: Ioannis excellit Paulo, Ioannes non excellit Paulo : ſi in vna accipiatur excellentia ſecundum quantitatem, in altera ſecundum virtutem aut eruditionem.

*Cur adiungi vult iſtam partem(ad idem?)*

Non ſine cauſſa,nam defectu eius hę nõ opponuntur:

nuntur: Decem sunt dupla, decem nō sunt dupla, si in affirmatione duplum acceperis, vt ad quinq; fiat relatio, in negatione verò ad sex.

*Cur additum est (eodem modo?)*

Quia prædicatum similiter intelligendum est enuntiari de subiecto. Nam si quis dixerit Socratem currere, intelligens de cursu quouis in genere, & alter Socratē non currere dicat, intelligens de cursu celeri, nō erunt tales sermones inuicem oppositi vel contradicentes.

*Cur additum est (in eodem tempore?)*

Quia prædicatum subiecto tribui debet, pro eodem omnino tempore. Nam si dicas, manus mea clausa est, manus mea clausa non est, referens ad tempora diuersa, nulla est oppositio.

*Anne omnes particulæ sub vocula (ὁμωνύμως) sunt comprehensæ?*

Fortasse non esset grande nefas id fateri. Sed alijs hoc relinquimus disputandum: sicut & illud, num etiam vocula (ὁμωνύμως) omitti posit, cùm præcedat eiusdem rei, de eadem.

*Recita oppositarum enuntiationum diuisionem.*

* Oppositarum enuntiationum aliæ sunt: Contrariæ, Subcontrariæ, Contradicentes.

*Quomodo definit Aristoteles enuntiationes contrarias?*

* Contrariæ enuntiationes sunt, si quis aliquid

**quid vniuersè inesse, aut non inesse in quadam re vniuersa confirmet.**

Hoc est, Contrariæ, sunt oppositæ enuntiationes, quarum vtraque subiectum vniuersale habet generali nota & signo affectū. Vel hoc modo explicatius: In quarum altera enunciatur prædicatum conuenire alicuius vniuersalis singulis indiuiduis vel denominatis: In altera vero idem prædicatum enuntiatur, nulli indiuiduo aut denominato illius vniuersalis cōuenire. Vt, omne animal est lapis, & nullum animal est lapis. In priore denotatur lapis animali vniuerse conuenire, singulisque eius indiuiduis: In posteriore vniuerse negari ab eodem.

Rursus: Omne album fuit nigrū, & nullum album fuit nigrum, sunt propositiones contrariæ.

### *Quomodo subcontraria secūdum Aristotelem definiuntur?*

* Subcontraria sunt, cùm in re vniuersâ, non vniuersè aliquid inesse & non inesse enuntiatur.

Hoc est, subcontrariæ enuntiationes sunt oppositæ, quarum subiectum quidem rem vniuersam significat, non tamen vniuersalis nota præfigitur. Vel ita: In quarum altera enunciatur prædicatum subiecto communi in parte attribui, in altera verò idem prædicatum ab eodem subiecto in parte remoueri. Vt, aliquis homo est probus, aliquis homo non est probns.

### *Quam ex Aristotele colligis contradicentium definitionem?*

* Con-

* Contradicentia ſunt affirmatio & negatio,quarum altera vniuersè,aut ineſſe, aut non ineſſe dicit:altera verò non omninò.

Hoc eſt,Contradicẽtes propoſitiones ſunt propoſitio aiens & negans,quarum altera eſt generalis,altera autem ſpecialis vel indefinita. Vt contradicentia ſunt:Omnis albedo diſsipat viſum,aliqua albedo nõ diſsipat viſum.Itẽ: Nulla albedo diſsipat viſum,& aliqua albedo diſsipat viſum.

*Sequitur ſchema perutile ad ea quæ ſuperius de oppoſitis dicta ſunt facilius memoriæ commendanda.*

Hactenns de oppoſitis ex ſententia Ariſtotelis, quæ,vt memoriæ facilius mandentur,in Tabula ſpectanda proponemus: adiectis etiam ijs, quæ ſubalternæ vocantur,licèt re verà oppoſitis non debeant annumerari.

Omnis

Omnis albedo CONTRARIAE. Nulla albedo
dissipat visum dissipat visum

SVBALTERNAE. CONTRA DICENTES SVBALTERNAE.

CONTRA DICENTES

Aliq̃ albedo SVBCONTRARIAE. Aliq̃ albedo
dissipat visum. nõ dissipat visum.

## DE OPPOSITIONVM *generibus explicandis generalius, iuxta scholarum consuetudinem tractatio.*

Quæ hactenus de oppositis tradidimus, sufficiunt haud dubiè intelligendis vtcunque ijs quæ Aristoteles habet, sed cùm simplex enuntiationis genus quod subiecto communi cõstat, tãtũ tractauerit Aristoteles (sicut ex ijs quę dicta sunt, manifestũ est) crediderunt recentiores se rem nõ infrugiferam facturos, si latius sermonem protendentes in vniuersum de omnium enũtiationum tam quæ subiectum habent indiuiduum, quàm rem

communem significãtem, siue simplicium extremorum, siue non, qualesquales fuerint, oppositionibus præciperent, & quod ab Aristotele prætermissum erat, velut auctarium quoddam adijcerent: poterit tamen, si cui hæc tractatio, quæ spinosior est, non placet, longa eam pertica transire, donec ad vsum oppsitionis, aut etiam ad leges oppositarũ deueniat, quas ex Aristotele paulò pòst tractamus.

*Quomodo neoterici definiunt enuntiationes oppositas?*

*Opposita sunt affirmatio et negatio eiusdẽ attributi & subiecti, in quibus reperitur vel eadem vox vniuersè accepta tantũ, vel tantũ vox non vniuersè accepta, vel neq; vniuersè vtrobique, neq; non vniuersè.*

*Quid appellas vocem vniuersè acceptam?*

Vniuersè accipi & distribui vox dicetur, si generali aliqua nota aut signo ita afficiatur, vt pro omnibus inferioribus, aut denominatis sumatur. Vt homo vniuersè sumitur, cùm dico: Omnis homo est bulla. Nullus homo ambulat. Nullus lapis est homo. Aliquod animal non est homo.

*Quid non vniuersè accipi?*

Non vniuersè sumitur vox communis, quando nullo generali signo aut negatione afficitur. Quemadmodum vox homo, quãdo dicimus. Omne risibile est homo. Aliquis homo iustus est. Homo non est bestia.

ADMONITIO.

Tria oppositionis genera latiùs extensiusque, quã de ijs Aristoteles locutus est, sumpta, quo modo des-

do describenda sint ex generali oppositarum definitione præmissa non difficulter colligitur.

*Quomodo definiuntur contraria iuxta neotericorum doctrinam?*

*Contraria, sunt opposita quæ habent aliquam eandem vocē vniuersè acceptam, & nullā eandē quæ non vniuersè vtrobiq; sumpta sit.*

Vt huic, Cuiusque hominis oculus est dexter, contraria est ista. Nullius hominis oculus est dexter, non autem illa, Cuiusq; hominis oculus non est dexter, quia in hac, eadem manet vox nō vniuersa (videlicet oculus) quæ erat in prima.

Item hæ contrariæ sunt. Omnis homo necessariò mouetur: & omnis homo necessariò non mouetur. Ioannes omnem equum possidet, & Ioannes nullum equum possidet. Semper flant fauonij & nunquam flant fauonij. Vbiq; sunt Pigmæi, & nusquam sunt Pigmæi.

*Defini subcontraria ex neotericorum sententia.*

*Subcontraria sunt opposita, in quibus reperitur aliqua eadem vox non vniuersa, & nulla eadem vniuersè sumpta.*

Vt alicuius hominis omnes dentes sunt acuti, Alicuius hominis aliqui dentes non sunt acuti. Omnis homo fortuitò ambulat, & quidam homo fortuitò non ambulat.

Non autem hæ, Aliquis homo semper dormit, & aliquis homo nunquam dormit; quia in eis reperitur eadem vox vniuersa, suntq; simul falsæ. ¶ Sed subcontraria prioris est hæc, Aliquis homo aliquando non dormit: & posterioris ista. Aliquis homo aliquādo dormit.

*Quomodo definiunt neoterici contradicentia?*

*Contradicentia ſunt oppoſita, in quibus neq; eadem reperitur vox non vniuerſa, neq; eadem vniuersè accepta.*

Vt, Cuiuſcunque animalis non habentis cornua, altera maxilla caret dentibus, &, alicuius animalis non habentis cornua, neutra maxilla caret dentibus. Ioannes omnem regionem vidit, Ioannes aliquam regionem non vidit.

ADMONITIO.

Admonet hic determinationes acceptas vnica (vt vocant) acceptione, cũ determinabilibus poſſe diſtribui vtrinque in ſubcontrarijs, vt hæ ſunt ſubcontrariç, homo habens omnem pecuniam eſt pauper, homo habens omnem pecuniam non eſt pauper.

Item, poſſe vtrinque non vniuersè capi in cõtrarijs, quales hæ ſunt, Omne caput aſini auritum eſt, & omne caput aſini non eſt auritum.

Tertiò, poſſe in contradictorijs tum vtrinque vniuersè, tum vtrinque non vniuerſe ſumi, vt hæ contradicũt, Omnis equus hominis currit, aliquis equus hominis non currit: rurſus, Omnis equus cuiuſlibet hominis currit, aliquis equus cuiuſlibet hominis non currit.

Sed hæc ad ſophiſticen magis videntur accedere, ac proinde ab eorum latiori declaratione abſtinemus, hoc interim admonentes non licere talibus determinationibus generalem notam in vna oppoſitarum addere, in altera adimere, ſalua oppoſitione. Non enim eſſent eiuſdem ſubiecti & attributi, vt in exemplis iam commemoratis, non rema-

remaneret idem ſubiectum. Pendet huius rei plena intelligentia ex alijs hic non repetendis, quapropter his prætermiſsis progrediamur.

ADMONITIO ALTERA.

Illud rurſus admonemus quod indubitatum habetur, Omnem propoſitionem, qualiſcunque fuerit, habere contradicentem. Quia hæc oppoſitio, nec vniuerſam vocem exigit vllam, neque nō vniuerſam.

Cæteræ verò duæ alterum horum requirunt, ideoq; non in omnibus enuntiationibus poſſunt inueniri: vt quæ nullam continent vniuersè acceptam vocem, non poſſunt habere contrariam, vt aliquis eſt homo albus.

Quæ verò nullam non vniuerſam habent, carent ſubcontraria, vt nullus homo eſt equus.

Et quò plures eædem voces vniuerſæ reperiũtur in duabus oppoſitis, eò magis contrariæ ſunt.

Quò verò plures non vniuerſæ, eò magis ſunt ſubcontrarię.

*Quæ eſt deſcriptio ſubalternarum?*

***Subalternæ ſunt duæ propoſitiones eorundē extremorum eiuſdemq; qualitatis, in quarum altera, inuenitur vox vniuerſa, quæ nō in altera, & non è diuersò.***

*Quænam ex ſubalternis iudicatur generalis & quæ ſpecialis?*

Quę inter illas aliquam continet vocem vniuersè acceptam, quam non habet altera, eam habent loco generalis. Reliquam verò, quę nullam habet vniuerſam vocem, quam non contineat

AD earum, quæ ex Aristotele mox recitabuntur de oppositarum propositionum legibus, maiorem intelligentiam, præmittere conuenit, triplicem omnino distingui propositionum materiam.

Vocant autem materiam propositionis, subiectum eius atque prædicatum, ex quorum triplici mutua comparatione, materiæ distinctio triplex emanat.

*Recita igitur istam materiæ enuntiationum diuisionem.*

Materiam enuntiationū, diuidunt in { Naturalem seu necessariam. Fortuitam Remotam.

*Ex naturali materia, quæ propositio dicitur constare?*

***Ex materia naturali constat, cuius vnum extremū, subiectum (inquā) vel prædicatum cum altero cohæret necessariò.***

Neque hic refert, vtrùm aientes propositiones fuerint, aut negātes, vtrùm veræ an falsæ, vt, Homo est animal, substantia est corpus, nullus homo est animal.

*Ex contingenti materia, quæ propositio constat?*
***Cuius extrema, cohærent fortuito.***

Vt, Socrates sedet, Nullus equus est albus.

*Quæ ex remota?*
***Quæ pugnantibus constant extremis.***

Hoc est, talibus, quæ intercedente copula præsentis temporis non possunt verè affirmari de eo-

* Contrariæ simul veræ nullo modo esse possunt: falsæ tamen simul esse possunt.

*Quomodo intelligi debent ista verba?*

Quod nulla omnino contraria simul vera esse possint, quædam tamē possint falsa esse, licet non omnia: vt in his planum est: Omnis homo est animal, & nullus homo est animal Omnis equus est elephas, & nullus equus est elephas, quæ simul falsæ esse non possunt.

DE CONTRARIIS FALSIS.

Maximè autem locum habet posterior pars legis, in ijs contrarijs, quæ ex fortuita constant materia, vt, Omnis equus est albus, et nullus equus est albus.

Non item in alijs, nisi fortè fuerint propositiones ex materia naturali inordinatæ, vt, Omne animal est homo, & nullum animal est homo: aut nisi prædicato aientis propositionis cōtra communem loquendi modum addatur signum vniuersum, vt, omnis equus est omne animal, & nullus equus est animal, quæ sunt simul falsæ.

Idem etiam accidet in quibusdam, quæ remotam habent materiam, vt, omne album fuit nigrum, & nullum album fuit nigrum.

*Quid solent hoc loco recentiores addere doctrinæ Aristotelicæ?*

Ad legem contrariarum adijcere solēnt recentiores, Nihil vetare contrarias ambas esse posibiles, aut contingentes: vt, Omnis homo est albus, Nullus homo est albus: ambas etiā impossibiles, vt. omne signum zodiaci est supra horizontem nostrum, nullum signum zodiaci est supra horizontem

zontem noſtrum. Item vnam cõtingentem, & alteram impoſsibilē, vt omne ens eſt Deus, nullum ens eſt Deus Non autem poſſe dari cõtrarias ambas neceſſarias. vel vnam neceſſariam, & alteram contingentem. Nam ſic poſſent eſſe ſimul veræ.

*Quæ eſt lex ſubcontrariarum?*

* Subcontrariæ propoſitiones non poſſunt ſimul eſſe falſę, ſed verę ſunt interdum.

*Quomodo intelligi debet iſta lex ſubcontrariarum?*

Vt contrariarum Nulla enim ſubcontraria poſſunt ſimul eſſe falſa: quædam ſimul vera eſſe poſſunt: neq; tamen omnia. Nam ſunt nonnullæ ſubcontrariæ propoſitiones, quarum vnam ſemper eſſe veram, & alteram falſam, eſt neceſſarium. Vt, Aliquod cælum eſt corpus, aliquod cælũ non eſt corpus Quidam homo eſt equus, & quidam homo non eſt equus.

*In quibus ſubcontrarijs vſu venit, vt ambæ ſint veræ?*

In materia fortuita, quando & contrariæ ſimul falſæ eſſe poterant. Nam ſemper, cùm contrariæ ambæ fuerint falſæ, tum neceſſariam eſt, ſubcontrarias illis oppoſitas, veras eſſe.

Exempla breuitatis ſtudio prætermittimus.

*Quid addunt recentiores huic ſubcontrariarum legi?*

Quod ſubcontrariæ non poſſunt ambæ eſſe impoſsibiles, nec vna impoſsibilis, & altera contingens, ſed vtique ambæ neceſſarię, vel vna neceſſa-

ria,

ria,& altera contingens aut impoſsibilis.

Ratio & exempla patent ex ſuperioribus.

*Quæ eſt lex contradicentium?*

* Contradicentes enuntiationes, neq; ſimul veræ eſſe poſſunt, vnquam, neq; ſimul falſæ, ſed earum neceſſe eſt alteram veram eſſe,& alteram falſam.

Quæ ſanè acerrima repugnantia ſolis cõuenit contradictorijs, non item cæteris oppoſitis.

*Quis eſt vſus legis contradictoriarum?*

Eſt hæc contradictoriarum lex, primũ Methaphyſicæ principium, adeò manifeſtæ & euidentis veritatis, vt omnis quicunque id intellexerit, ex naturali intellectus ſui lumine ipſi præbere aſſenſum cogatur, neq; poſsit mente inficiari (teſte Philoſopho) apud quem ſolet ad hunc modum in diuerſis locis recitari.

„*In quacunq; re verá eſt affirmatio aut negatio: in*
„*nulla autem ſimul.*

Hoc eſt, altera contradictionis pars ſemper eſt vera: vtraque verò nunquam.

Stabiliuntur prætereà hoc cõmuniſsimo principio tanquam fundamento, omnes argumentationes qualeſquales fuerint,& omnino omnes diſciplinæ inferiores, vt ex ſequentibus manifeſtius euadat.

Quin & cæterorum oppoſitorum leges ex hac probantur. Idcirco enim fieri non poteſt, vt contraria ſint ſimul vera, quia ex hoc conſequeretur contradicentia ſimul vera eſſe, cùm veritas generalis neceſſariò inferat veritatem ſpecialis.

Rurſus

Rursus ideo non possunt subcontraria esse simul falsa, quia tum contradictoria simul falsitati obnoxia essent, cùm ex falsitate specialis, falsitas generalis consequatur,

*Quæ est appendix huius legis?*

Consequitur ex hac lege, non posse contradictorias ambas esse necessarias, vel ambas imposibiles, aut vnam imposibilem aut necessariam, & alteram contingentem esse.

Prætereà omnem hypotheticam disiunctiuam ex duabus contradicentibus constantem, esse necessariam. Copulatiuam verò imposibilem, licèt interim nulla pars eiusmodi fuerit.

*Admonitio de voce (simul.)*

Hoc postremò admonendum est, cùm diximus in his legibus contradictorias non posse esse simul veras, etc. Aduerbium coniungendi (simul) nō ad verbum (posse) nos retulisse, sed ad id quod sequitur, esse veras.

Volebamus enim non posse fieri, vt contradictoriæ sint simul veræ, non autem quod non habēt simul eam vim, vt sint veræ, hoc enim in fortuitis falsum foret.

*Quæ est lex subalternarum?*

De subalternis etiam hoc obiter adijciendum est, eam esse ipsarum legem atq; naturam, vt si vera sit generalis, necesse sit & specialē veram esse, & non econtrariò.

Potest namq; falsa esse generalis, dum specialis vera est. Si verò specialis fuerit falsa, necesse est, & generalem esse falsam, & non e diuersò.

Exemplis hęc declarare est admodū facilē, quare il-

te illis recensendis haud operæprecium est immorari.

# DE AEQVIPOLLENTIA TRACTATIO.

Consueuerunt neoterici oppositis inter se propositionibus pertractandis, de earum ἰσοδυναμία, seu(vt vocant) æquipollētia protinus instituere sermonē, neq; id malè. Quādoquidē æquipollentiarū regulæ cognitionē recentem oppositionum exigunt, vt mox videbitur. Deinde ἰσοδυναμία, seu ęquiuallentia facit, vt oppositę alioqui propositiones, atque inter se tum veritate falsitatéve, tum aut qualitate, aut quantitate, aut vtraq; dissentientes, rursum his ipsis veritate dico & falsitate, qualitate item & quantitate inter se conueniant atque consentiant. Quocirca nos quoque illorum secuti vestigia, æquipollētiæ tractationem hoc loco persequemur.

*Quomodo definiunt neoterici æquipollētiam.*

Aequipollentiam definiunt duarum propositionum simplicium cōcordiam, idq; propter negationem vel præpositam, vel postpositam, vel præpositam simul & postpositam.

*Quot regulas æquipollentiæ commemorant?*

*Tres.*

Veriùs Grāmaticas quàm Dialecticas: sed(quoniam ex Grammaticis scholis signorum vim & mutationem ad Logicen vti oportebat, pueri ferè non adferunt) vtiliter hîc à dialecticis repetitas, quod nō parū incōmodi adferre soleat in disceptando, æquipollentiarum neglectus & ignorantia.

Quæ

*Quæ est prima æquipollentiæ regula, et quarum ennuntiationum oppositionem respicit?*

PRIMA REGVLA EST DE ISOdynamia contradicentium, quæ sic habet.

*Quoties negatio præponitur signo vniuersali vel particulari, ipsa idem valere facit propositiones inter se alioqui contradictorias.*

Vt cùm contradicentes sint: Nulla voluptas est bona, aliqua voluptas est bona. Si earum vni præponas negationem, vt exempli causa generali, ac dicas: Nonnulla voluptas est bona, protinus hæ duæ Nonnulla volupt s est bona, & aliqua voluptas est bona, veritate inter se aut falsitate, item quantitate ac qualitate consentiunt: & per hoc vt regula ipsa proponit, idem valent & eiusdem penitus sunt sententiæ.

Ad eundem modum, si speciali præponatur negatio, nempe huic: Aliqua voluptas est bona, atq; ita dicatur: Non aliqua voluptas est bona, erunt istæ simul veræ aut simul falsæ, Non aliqua voluptas est bona, & nulla voluptas bona est: quæ aliàs veritatem inter se falsitatemque diuidebant, eruntq; ambę generales, cùm altera alioqui particularis sit: erunt denıq; ambę negantes, cùm aliàs altera fuerit aiens.

ADMONITIO.

Ad eum modum regulam commemorauimus, quo in scholis recitari cōsueuit, si tamen Laurentio Vallensi creditur, locum habet tantum in generalibus negantibus & non in affirmantibus generalibus. Nam ipsius iudicio, si negatio præponatur signo vniuersali aienti, reddit præpositionem

nem nec generalem, nec etiam speciali negarti æquiualentem. Contendit enim ille huiusmodi propositionem biparticularem esse, quibusdã ex vniuersis conuenientem, quibusdam non conuenientem. Nam cùm vera sit (inquit) aliquis homo non volat, falsa tamen est, non omnis homo volat, significans aliquos volare, & aliquos non volare. Et propterea priori non æquipollet, quæ simpliciter particularis est.

Similiter hæc duo, quiuis & quilibet, si negatio præponatur, faciunt propositionem biparticularem.

Nam quod Græca parœmia dici solet,

Ου παντὸς ἀνδρὸς ἐς κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς.

Et Latinè redditur,

Non est cuiuslibet nauigare Corinthum,

vel vt Horatius dixit:

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

Id nemo dixerit orationem esse particularem negatiuam, cùm & Græcis & Latinis biparticularem significationem habeat: hoc sensu: aliquibus datum est Corinthum nauigare, aliquibus verò non. Hæc tamen relinquimus eruditioribus iudicanda.

Contra Laurentium est auctoritas Aristotelis asserentis eam propositionem, quæ μὴ παντὶ non omni inesse significat, esse specialem, quemadmodũ ex definitione ꝓpositionis specialis primo Priorum est manifestum, vt nobis potius videatur ex consuetudine intelligendi, quam ex vi significandi euenire, quod Laurentius dicit.

*Quæ est secunda regula æquipollentiæ, & quarum enuntiationum oppositionem respicit.*

SECVN-

SECVNDA REGVLA EST DE ISOdynamia contrariorum,quę sic habet:

*Quoties negatio postponitur signo generali, ipsa idem valere facit propositiones inter se alioqui contrarias.*

Vt nulli non scire desiderant,id est,omnes scire desiderant.

ADMONITIO.

Rursus hanc regulam signis aientibus nō conuenire Valla contendit,quod in plerisque existimet nil discriminis esse , siue præponatur negatio,siue postponatur, vt, omnis auis non est prædita plumis,& non omnis auis est prędita plumis, vtraq; (inquit)sine discrimine biparticularis est, neq; æquiualet vniuersali , aut purè particulari: significat enim plumis quasdam aues esse , quasdam non esse præditas.

*Quæ est tertia æquipollētiæ regula,& quam euntiationum oppositionem respicit?*

TERTIA EST DE AEQVIVALENtia τῶν ὑπαλλήλων,quas subalternas vocant, quę sic habet:

*Quoties negatio tā præponitur quàm postponitur signo,siue generali,siue speciali,ipsa idē valere facit propositiones sibi mutuo alioqui subalternas.*

Vt,Nonnulli scholasticorum non ducūt quotidie lineam,hoc est,aliqui non ducunt lineam. Rursus:Nō omnis homo nō est iustus, id est,quidam homo est iustus.Similiter,non quidam homo non est iustus,id est,omnis homo est iustus.

*Recita versiculum ad faciliorẽ harum regularum memoriam à Dialecticis excogitatum.*

Præ contradic:post contra:præ postq; subalter.

*Estne alia æquipollentiæ regula?*

Adijcitur prædictis & alia regula ordine quarta, ex duabus prioribus veluti contexta:

*Quoties in aliqua propositione duo signa generalia negantia ponuntur, alterum quidẽ quod ad subiectum, alterum verò quod ad prædicatũ referatur, prius contrario, iuxta secundam regulam, posterius contradictorio, iuxta regulam primam æquipollet.*

*Profer huius regulæ exempla.*

Huius regulæ talia dant exempla: Nihil nihil est, Nemo nunquam errat. Quorum prius ex regulæ præscripto eiusdem est sensus cum hac propositione, Quidquid est, aliquid est: Posterius cum hac, Omnis homo aliquando errat. Talia sunt & ista: Nemo nusquã est, Nunquam nullus dormit.

TRANSITIO.

Verùm quoniam huiusmodi apud idoneos & probatos auctores rarò vsui sunt, ea in præsentia cũ alijs propositionibus, quas additis negationum plaustris hîc fingere consueuerunt prolixissimas & mõstris similes, omittamus, ad vsum æquipollentiarũ, vtilitatemq; declarandã nos accingẽtes.

*Quis est vsus æquipollentiarum?*

Isodynamia conducit non mediocriter ad iudicium propositionum.

Nam inde iudicare faciliùs possumus obscuriorum propositionum tum qualitatem, tum quantitatem: tum veritatem, tum falsitatẽ, vt si igno-

remus, quanta qualísve sit hæc propositio : Non nullus sapiens est diues, si nouerimus idem valere cum hac: aliquis sapiens est diues, statim quoque intellexerimus eam esse particularē affirmantem. Deinde si hæc vera sit : Aliquis sapiens diues est, erit & altera vera: non nullus sapiens est diues.

Deinde conducit non parum ad intelligēdum, quæ propositiones eandem vim habeant, idemq; designent. Eandem enim vim habēt æquipollentes, eiusdemque planè sunt significationis.

Postremò ad copiam æquipollentia facit plurimum, & est in primis pulchrum quærenti sermonis ornatum, posse multas excogitare loquendi formas, atque ex ijs (velut ex ingenti flosculorum multitudine) aptissimā elegantissimamq; eligere.

TRANSITIO.

Atq; in hunc modum hactenus de simplicium propositionum affectionibus duabus, oppositione nimirū & æquipollentia, diximus. Restat conuersio, quę & ipsa affectio & passio quędā est istiusmodi propositionū, cuius maximus vsus in syllogismorū imperfectorū probatione cernitur. Ideoq; diligenter nobis exponenda est, sed non hoc loco, quo alij eam tradere consueuerunt, quia ad Aristotelis ordinē nos iam ab initio obstrinximus. Is autē in primo τῶν ἀναλυτικῶν προτέρων de conuersione tractat.

Quocirca nunc doctrina primæ, huius libri περὶ ἑρμηνείας partis, summatim ante oculos posita secundam eius partem aggrediamur.

Omnium eorum quę priori parte libri περὶ ἑρμηνείας continentur) ad iuuādam puerorum memoriam) summaria comprehensio.

ENVN-

ENVNTIATIONIS

- Partes integrales
  - Nomen
  - &
  - Verbum.
- Genus, oratio: & illa est:
  - Perfecta
    - Enuntians
      - Vera
      - Falsa.
    - Nō enūtians.
      - Depcatoria
      - Imperans
      - Interrogans
      - Vocans.
  - Impfecta.
- Significata
  - Enuntiatio vna
  - Enuntiatio multæ.
- Species.
  - Simplex partitò diuisa
    - Primò, in
      - Affirmationem
      - Negationem.
    - Secundò, in
      - Generalem
      - Specialem
      - Indefinitam
      - Singularem.
  - Composita enuntiatio, seu hypothetica.
- Proprietates
  - Oppositio
    - Contraria
    - Subcontraria
    - Cōtradictoria.
    - Additę sunt leges oppositorū.
  - ἰσοδυναμία, quam vocant ęquipollentiam.
- Materia
  - Naturalis seu necessaria
  - Fortuita
  - Remota.
- Vsus est ad formanda iuniorum iudicia planè necessarius, item ad syllogismos contexendos, ad locos Dialecticos, & reliquas Logicæ partes, vt prius est latè declaratum.

quam habebat in antecedēte: aut cōtrà, si in consequente ei tribuatur negatio, qua in antecedente carebat, vt Paulus est syncerus, ergo Paulus nō est non syncerus: siue quod eodem recidit, ergo Paulus non est insyncerus.

*Quæ est ratio huius regulæ?*

Quia alioqui duo contradictoria de eodem dicerentur, quod facile est ostendere.

*Quot sunt conditiones obseruādæ, vt hæc regula in vniuersum sit vera? Duæ, quarum prima est:*

Vt totum attributum mutetur secundum finitum & infinitum. Quocirca vitiosa est consecutio: ego video equum, ergo nō video nō equum. Possum namq; simul videre equū & non equum.

SECVNDA VERO,

Quando fit argumentatio in propositionibus ex verbo præteriti vel futuri temporis, oportet vt in antecedēte tempus vniuersè accipiatur, vel in cōsequente non vniuersè, aut cum pronomine idem. Nam debent intelligi de eodem tempore. Vnde non sequitur: Homo fuit doctus, ergo nunquam fuit indoctus. Sed sequitur, Homo semper fuit doctus, ergo nunquam fuit indoctus. Item rectè sequitur: Homo fuit doctus, ergo aliquo tempore, vel eodem tempore non fuit indoctus. Alias conditiones prolixitatis vitandæ gratia relinquimus aliunde petendas.

*Quæ est posterior regula?*

*A negatione ad affirmationem valet cōsequētia, attributo variato secundū finitū & infinitum, mo-*

 *dò ri-*

do rite ponatur subiectum cohærere.

Vt, Homo non est iustus, & homo est, ergo homo est non iustus: Rursum, Homo non est non iustus, & homo est, ergo homo est iustus. Si negligas subiectum cohærere, volunt non sequi: hircoceruus non est leo, ergo hircoceruus est, non leo:

Assignandum est autem, subiectum cohærere secundum quod copula se habet. Hinc dicũt non sequi: Socrates non fuit albus, & Socrates est, ergo Socrates fuit non albus. Dicendum enim erat hoc pacto: & Socrates fuit.

Item negant sequi: Socrates aliquo tempore non fuit homo, Socrates aliquo tempore fuit, ergo Socrates aliquo tempore fuit non homo.

TRANSITIO.

Sed huiusmodi argutias quamuis propter scholas, quibus seruimus, attingere oporteat aliquoties, alijs tamen exactius discutiendas malumus relinquere, vbi leuiter attigimus, vt sit occasio viua voce, quibus placet explicandi. Pergamus igitur ad alia.

## DE CONSEQVENTIIS *variato subiecto secundum finitum & infinitum.*

Aristoteles in suo cõtextu apertè profitetur, illas, quæ constant ex subiecto infinito, nullum habere consequentiæ vinculum cũ ijs, quæ ex finito subiecto sunt, quod absolutè verissimũ est. Neq; enim sequitur: Non homo est animal, ergo homo nõ est animal. Iuniores tamen, qua sunt diligentia (ne dicam curiositatem) paulò quàm Aristo-

Aristoteles subtiliùs & profundiùs, considerationem circa hanc rem intendentes, duas fecerunt regulas, quas hoc loco paucis percurrere haud alienum fuerit nostro proposito.

*Quæ est igitur prior regula argumentandi subiecto variato penes finitum & infinitum?*

Ab affirmatione ad negationem valet consequentia, subiecto variato penes finitum & infinitum, modò caueatur, vt ne vocem in antecedēte non distributam siue vniuersè acceptam, in consequente distribuamus: vt bene sequi dicunt: Omnis homo est animal, ergo omnis non homo aliquod animal non est.

*Quæ est posterior regula?*

A negatione ad affirmationem subiecto variato penes finitum & infinitum valet cōsequentia, modò subiectum antecedentis capiatur vniuersè, non autem subiectum consequentis: & assumatur prædicatum antecedentis cohærere in rerum natura. Vt bene sequitur: Nullus homo est albus, & album est, ergo non homo est albus.

## DE CONIVNCTIS *& diuisis attributis.*

DOcet deinde Aristoteles plura attributa separata in vnū coniungere, & vice versa, vnum attributum coniunctum in plura dissecare.

*Recita eam diuisionem quam præmittit Aristoteles ad faciliorem eorum, quæ de diuisis & coniunctis attributis tractantur, intelligentiam*

Ex his quæ separatim dicũtur, { Alia coniuncta et copulata sic di cuntur, vt vnũ fiat enũtiatum. / Alia verò non.

*Quid est prædicari separatim de subiecto aliquo?*

Est verò affirmari de eodem subiecto in diuersis propositionibus, aut in eadẽ propositione intercedente coniunctione.

*Quid est coniunctim prædicari de aliquo?*

Est prædicari in eadem propositione, absq; interuentu coniunctionis: vt in his propositionibus: homo est animal, & homo est rationalis, prædicata animal & rationale, de homine dicũtur separatim, sed prædicantur cõiunctim ita, vt vnum fiat prædicatum in hac propositione, homo est „animal rationale. Verùm nõ omnia (inquit Ari„stoteles) quæ separatim dicuntur, vt coniuncta dici possunt.

*Recita Aristotelis regulas, quibus docet, quæ diuisim dicta, vt coniuncta dici non possunt.*

PRIOR ARISTOTELIS REGVLA de diuisis attributis, quæ non possunt coniungi vt vnum efficiant, est,

*Prædicata quæ per accidẽs aut de eodem aliquo subiecto dicũtur, aut alterũ de altero, ea omnia non vnum efficiunt.*

Quam regulam accõmodari vult Faber ad ea, quę seorsum de eodem fortuitò prædicantur (nimirum vt duo accidentia de vno subiecto) & rursum, illa eadem de seinuicem, vt accidens de accidente

dente. Exemplum regulæ adſignans Ariſtoteles, „ait: Vt homo eſt albus & muſicus, nec vnum ex „albo fit & muſico.

POSTERIOR REGVLA DE DIVIuiſis non coniungendis vt vnum eſt.

*Vnum etiam quid non conſtat, ex ijs omnibus, quæ in altero poſita, rurſus repetuntur.*

Hoc eſt, illa prædicata cõiunctim ſumpta, non poſſunt dici vt vnum, quorum poſterius in priori continetur, vt prædicata harum propoſitionum, Ioannes eſt homo & Ioannes eſt animal, diuiſim dicta, non poſſunt coniunctim vel vt vnum dici, ſiquidem ineptè diceretur, Ioannes eſt homo animal, continetur enim poſterius prædicatum in priori.

DE CONIVNCTIS QVAE NON poſſunt diuidi.

Sicut quædã prædicata ſeparata nequeunt cõiungi, vt vnum, ſic quædam coniuncta nequeunt de eodem dici ſeparatim, de quibus Ariſtoteles ſubijcit duas exceptiones.

*Quæ ſunt illæ exceptiones quas hoc loco recenſet Ariſtoteles?*

PRIOR EXCEPTIO EST.

*Cùm id quod adiunctum eſt, aliquid repugnans cõtinet, ex quo etiam repugnantia conſequatur, falſum eſt eadem coniunctim diuiſimq; dici.*

*Quæ dicuntur repugnare diuiſim ſumpta?*

Quæ ſi ſumantur in diuerſis propoſitionibus, non poſſunt de eodem vere dici.

Horum autem quædam tam coniunctim, quã

 diui-

diuisim sumpta repugnant, vt homo & equus, in quibus locum non habet hæc exceptio. Aristoteles enim agit de ijs, quę coniuncta quidem dicuntur, sed non diuisa. Vt cadauer est homo mortuus, prędicata coniuncta vere dicuntur de subiecto, & de eodem diuisa vere dici non possunt:

ALTERA EXCEPTIO EST.

*Cùm alterum attributorum fortuitò dicitur, tūc non recte de eodem subiecto diuisim dicuntur.*

„ Vt, non si Homerus est Poeta. Homerus est.
„ Nam casu & fortuitò prædicatur (est) de Home-
„ ro, nimirum quia poeta est, & non sua vi atque natura, inquit Aristoteles.

*Quid dicitur fortuitò prædicari?*

Quod ratione adiuncti prædicatur, & non seorsum, vt in hac enūtiatione: Aethiops est albus secundum dentes: dictio, albus, prędicatur secūdum accidens de Aethiope, quia prædicatur tantum ratione adiunctæ determinationis (secundū dentes.) Per se verò album nūquam de Aethiope prædicatur.

Sic in exēplo illo: cadauer est homo mortuus, homo de cadauere dicitur duntaxat, ratione determinationis, mortuus, & ita de cadauere dicitur per accidens.

Ex quo facile intelligitur, omnia exempla, quæ ad priorem exceptionem pertinent, etiam ad hāc pertinere, sed non contrà, quia frequenter euenit, vt alterum secundum accidens prædicetur, non tamen sit inter ipsa repugnantia, vt, Homerus est poeta.

Neq; enim inter se repugnant hæc duo prædicata,

cata, esse, & esse Poetam, quia si Homerus viueret, ambo de eodem vere dicerentur.

## DE CONSEQVENTIIS *quæ fit in prædicatis diuisis & coniunctis.*

Quanquam Aristoteles tradere non vult hoc loco argumentandi formulam à diuisis ad coniuncta, aut contra, licet ad hoc verba eius accommodari possint, tamen recentiores pro sua diligẽtia & curiositate late hic tractant consequentias, quas vocant, à diuisis ad coniuncta, & econtrariò, de quibus strictim agere non grauabimur.

*Quid est argumentari à diuisis ad coniuncta?*

*Argumentari à diuisis ad cõiuncta, est ex prædicatis separatim sumptis, eadem inferre copulata.*

*Quot sunt conditiones obseruandæ vt firma sit ista argumentandi ratio?*

*Tres.*

QVAE EST PRIMA CONDITIO.

Si subiectum fuerit vox communis, adsciscet sibi relatiuum idem in secunda propositione: hinc non sequitur, aliquod animal est cygnus, & aliquod animal est nigrum, ergo aliquod animal est cygnus niger. Dicendum erat, & idem animal est nigrum.

*Quæ est secunda?*

Si copula sit præteriti aut futuri tẽporis, in secunda antecedentis parte, fiet, vt loquuntur, verificatio secundum idem tempus. Hinc non sequitur: Socrates fuit puer, & Socrates fuit sapientissimus, ergo fuit puer sapientissimus. Dicẽdum erat,

in se-

in ſecunda propoſitione, & Socrates eodem tempore fuit ſapientiſsimus,atq; ita,quemadmodum conſequens eſt falſum,ſic etiam antecedens.

## *Quæ eſt tertia?*

Prædicata diuiſim acccepta, debent integra & tota inferri,& non tantum eorũ partes.Hinc non ſequitur,video coruum, & video album, ergo video coruum album.Deberet autem ſic inferri,ergo ſum videns coruum videns album. Sed iam conſequens eſt oratio inepta.

Similiter non rectè concludit illud vulgatum ſophiſma:Album prædicatur de multis differentibus ſpecie,& prædicatur in quæſtione naturæ,ergo prædicatur de multis differentibus ſpecie in quæſtione naturæ. Nam conſequens eſt falſum, antecedente vero.Quod inde contingit,quia non inferuntur integra prædicata,ſed ita deberent inferri,ergo album eſt prædicatum de multis differentibus ſpecie prædicatum in quæſtione naturæ. Quod cõſequens quoq; ineptum eſt, & repudiandum.

Conſtat igitur, ex talibus propoſitionibus antecedentis loco poſitis,nunquã rectè procedi à diuiſis prædicatis ad coniuncta,in quibus prędicata coniungenda,aptè inter ſe ſine coniunctione media cohærere non poſſunt,vt exemplis iam recitatis planum eſt.

## *Quid eſt argumentari à coniunctis prædicatis ad diuiſa?*

*Eſt ex prædicatis, coniunctim ſumptis, inferre eadem diuiſa.*

*Quomo-*

*Quomodo hic argumentamur?*

Argumentamur hic affirmatè & negate, differenter tamen, quia dum argumentamur affirmatè, vtimur coniunctione copulatiua, vt, Paulus est homo pius, ergo est homo, & est pius.

Negatè vero disiunctiua vtimur, vt elephas nō est brutum album, ergo elephas non est brutum, vel elephas non est albus.

*Quomodo argumentandum est à subiectis coniunctis ad diuisa?*

*A subiectis coniunctis, ad diuisa sic argumentātur.* Homo albus currit, ergo homo currit.

TRANSITIO.

Verùm quia operæpretium non est his diutius immorari, propterea istis omissis ad modificatas breuissimè explicandas accedamus.

## DE MODIFICATIS *enuntiationibus.*

VEndicant sibi non immeritò singularē apud Aristotelem tractationem, enuntiationes illæ, quę modales seu modificatę dicuntur, à quatuor modis his: possibile, contingens, impossibile & necesse, quibus afficitur propositio.

Aliter enim quodāmodo in his, & æquipollentia & oppositio consideratur, quā in simplicibus illis, in quibus enuntiatur prædicatum simpliciter de subiecto.

*Quam vocant modificatam propositionem?*

*Vocant modificatam propositionē eā solam, cuius copula afficitur aliquo horum quatuor modorum,*

*ius*

*poßibile, contingens, impoßibile & necesse: vel alia voce eandem vim habente.*

Vt sunt, oportet, potest, accidit, euenit, contingit, separabilis, inseparabilis, penetrabilis, impenetrabilis, aliaque eiusmodi vocabula, quæ necessitatem, possibilitatem, vel impossibilitatem significant.

*Quo nomine appellantur eæ propositiones, quarum verbalis copula libera est ab eiusmodi modali affectione?*

Alias propositiones omnes, quotquot eiusmodi non continent copulæ determinationem, vocāt propositiones de inesse, quia in ijs simpliciter sine his modis, prædicatum subiecto inesse vel nō inesse enuntiatur.

*Quo ordine, & qua ratione tractat Aristoteles ea, quæ ad modalium cognitionem pertinent?*

Mutuas modalium propositionum oppositiones & æquipollentias traditurus Aristoteles, constituit quatuor ordines propositionum, & in singulis ordinibus quatuor propositiones, idq; hoc semper ordine, vt prima sit ex possibili, secunda ex contingenti, tertia ex impossibili, & quarta ex necesse.

Hi autem quatuor ordines, vnà cum qualitate propositionum, indicātur clarissimè quatuor vocabulis, quarum singula quatuor itidem constāt vocalibus.

Vocabula sunt hæ: { Amabimus / Edentuli / Iliace / Purpurea.

Quæ

Quæ,etſi prima fronte ridicula videantur, memoriæ tamen iuuandæ atq; confirmandæ gratia, vtiliter à doctis hominibus excogitata, omnem de modificatis difficultatem, etiam ſine regulis, quibus iuuentutem hic onerare ſolent, aptiſsimè declarant,ſi quis modò vocalium in eis comprehenſarum teneat ſignificationem.

A,ſignificat nullam omninò adeſſe debere negationem.

E,ſignificat adhibendam eſſe verbo tantum.

I,negationem ponendam ad modum tantum.

V,& ad verbum,& ad modum.

Vnde verſiculus vulgatus:

E,verbum negat, Iq; modũ,nihil A, ſed V totũ.

Eſt ergo oppoſitarum,& item æquipollentium ſeu conſequentium propoſitionum bene diſpoſitarum ſecundum Ariſtotelem deſcriptio huiuſmodi.

CON-

CONTRARIAE.

Hę quatuor ęquipollent inter ſe:

*Purpurea.*

Non poſsibile eſt nō eſſe
Non cōtingēs eſt nō eſſe
Impoſsibile eſt non eſſe
Neceſſe eſt eſſe.

Et item hæ 4. ęquipollent:

*Iliace.*

Nō poſsibile eſt eſſe
Nō cōtingēs eſt eſſe
Impoſsibile eſt eſſe
Neceſſe eſt nō eſſe.

SVBALTERNAE. CONTRA DICENTES. CONTRA DICENTES. SVBALTERNAE.

SVBCONTRARIAE.

Et item hę 4 ęquipollent:

*Amabimus*

Poſsibile eſt eſſe
Contingens eſt eſſe.
Nō ipoſsibile eſt eſſe
Nō neceſſe eſt nō eſſe

Et item hę 4. ęquipollent:

*Edentuli*

Poſsibile eſt nō eſſe
Cōtingens eſt nō eſſe
Nō ipoſsibile eſt nō eſſe
Nō neceſſe eſt eſſe.

*Explica paulò latiùs, quæ ſuperiori ſchemate obſcurius continentur, & indicantur.*

Harum propoſitionum talis inter ſe eſt ratio, vt omnis propoſitio ex poſsibili habeat aliquam ex con-

contingenti,aliquam ex impoſsibili, aliquam ex neceſſario,cum qua idem prorſus valet, & vt loquuntur æquipollet: & ſimiliter quæuis ex cõtingẽti,habet ſuas ex poſsibili, impoſsibili & neceſſario,& ita de reliquis.

Fit autem hæc æquipollentia propoſitionum, quæ diuerſos modos habent,ſecundum varias affirmationes & negationes,nũc modi,nunc verbi, nunc ſimul vtriuſque,vt clarè ſatis ex data modò tabula perſpici poteſt, vbi ſingulorũ ordinũ quatuor propoſitiones inter ſe æquipollere denotantur. Sic omnes in pupurea idem valent: Rurſus, quę ſunt in iliace. Et de alijs ſimiliter eſt iudicandum.

Vt autem habeatur modalium propoſitionum oppoſitio, etiam illud in præſcripta tabula venit conſiderandum,quod propoſitiones quæ ſubſcribuntur vocibus purpurea, & iliace, ſunt inter ſe contrariæ, propriè quidem ſi eoſdem modos habeant,vt non poſsibile eſt non eſſe, & non poſsibile eſt eſſe: Item, neceſſe eſt eſſe, & neceſſe eſt non eſſe.

Impropriè verò & ſecundum ſignificationem duntaxat,ſi diuerſis cõſtent modis, vt non poſsibile eſt non eſſe,neceſſe eſt non eſſe,quia diuerſitas modorum etiam extremorũ diuerſitatem inducit,quam non patitur oppoſitio propriè dicta.

Propoſitiones verò,quæ ſubſcribuntur amabimus & edentuli,ſunt inter ſe ſubcõtrariæ,vt poſsibile eſt eſſe,poſsibile eſt non eſſe.

Item poſsibile eſt eſſe,& nõ neceſſe eſt eſſe,ſed hæ quidem improprie:illæ verò proprie ſunt ſubcontrarię:quemadmodum paulò ſuperiùs in contrarijs eſt dictum.

Similiter quæ ſubſcribuntur purpurea & edentuli, aut iliace & amabimus, ſunt inter ſe contradictoriæ.

Quæ verò ſubſcribuntur purpurea & amabimus, aut iliace & edentuli, ſunt inter ſe ſubalternæ.

Quorum omnium rationem facilè intelliget, qui perpenderit hos quatuor modos: neceſſe impoſsibile, poſsibile, & poſsibile non, eadem plane ratione efficere oppoſitionem in propoſitionibus modificatis, qua hæc quatuor ſigna, omnis, nullus aliquis, & aliquis non oppoſitionem efficiunt in propoſitionibus non modificatis (quas vocant) de ineſſe. Nam quemadmodum in deſcriptione quatuor harum propoſitionum,

| | |
|---|---|
| Omnis homo eſt, | Nullus homo eſt, |
| Quidā homo eſt, | Quidam homo non eſt. |

Duæ ſupremæ, ſunt inter ſe contrariæ, duæ infimæ ſubcontrariç, duç coniugationes, quç ſecundum diametrum ſumuntur, ſunt contradictoriæ, & duæ, quæ ex duobus lateribus ſumuntur, ſunt ſubalternæ.

Sic etiam in deſcriptione harum quatuor propoſitionum modificatarum.

| | |
|---|---|
| Neceſſe eſt eſſe, | Impoſsibile eſt eſſe, |
| Poſsibile eſt eſſe. | Poſsibile eſt non eſſe. |

Duæ ſupremæ cum æquipollentibus ſunt contrariæ, duæ infimæ ſunt ſubcontrariæ, duæ cõbinationes ſecundum diametrum ſumptç, ſunt cõtradictoriæ, & duç laterales ſunt ſubalternæ. Nec eſt, quod miretur quis, nullā hic mentionem fieri propoſitionum ex contingenti, quia quantum ad

ad hanc rem attinet, contingens non differt à possibili.

*Quid prætereà obseruari debet in propositionibus modificatis?*

Etiam obseruanda est ista diuersitas, quòd quędam habent duplicem sensum, compositum & diuisum, quædam verò nō. Nam hę propositiones: Possibile est hominē stare, impossibile est hominem esse equum, & similes, quæ non constāt duobus concretis accidentium, vnicū habent sensum quem neq; compositum, neq; diuisum appellare solemus.

Quæ verò constant duobus concretis accidentium, vt possibile est album esse nigrum, possibile est calidum esse frigidum, admittunt sensum cōpositum & diuisum.

*Quis est sensus compositus earum propositionum?*

Sensus compositus est, quando significatur fieri posse, vt album manens album, simul sit nigrū, & calidum manēs calidum, simul etiam frigidum sit.

*Quis est diuisus?*

Diuisus verò erit, si significetur fieri posse, vt ea res, quę est alba, aliquando sit nigra: & ea quæ est calida, aliquando sit frigida.

*Profer alia exempla ad eandem rem declarandam.*

Eiusmodi sunt hæc, Impossibile est iustum esse iniustum, impossibile est sedētē stare, in sensu cōposito significant fieri non posse, vt iustus manēs iustus, simul sit iniustus, & sedēs manēs sedens, simul stet: in sensu verò diuiso significāt, fieri non

posse, vt is qui iustus est, aliquando sit iniustus, & is qui nunc sedet, aliquando stet.

*Quis est vsus cognitionis horum diuersorum sensuum.*

Non est parui ducenda huiusmodi sensuum diuersitas, cùm facilè accidat, & vna & eadem propositio secundum vocem, in altero quidem sensu vera sit, in altero autem falsa: Nam duæ propositiones ex posſibili suprà positæ, sunt in sensu cōposito falsæ, & in sensu diuiso veræ. Contra verò propositiones ex impoſsibili, sunt in sensu composito veræ, & sensu diuiso falsæ.

TRANSITIO.

Hanc de propositionibus modificatis doctrinam, quanta fieri potuit luce atq; breuitate perstrinximus: profuturam studiosis ad multarū difficilium quæstionum dijudicationem, mnltas autem ieiunas cauillationes, & nugacisſimas nugas prudens ac sciens prætermitto, ea modò recēsens sine quibus multa, quę apud probatos auctores leguntur, & quæ in quotidianis occurrunt disputationibus, exactè iudicari nō possunt. Sequitur nunc, vt de hypotheticis propositionibus agamus.

DE HY-

# DE HYPOTHETICIS PROPOSITIONIBUS TRACTATIO.

NE ſtudioſis adoleſcentibus, quos inſtituendos ſuſcepimus, deeſſe videamur, de hypotheticis propoſitionibus, quas ſuo loco in hoc libro περὶ ἑρμηνείας cum Ariſtotele neglεximus, latiùs hîc putauimus tractandum.

*Quæ eſt definitio enuntiationis hypotheticæ?*

*Enuntiatio coniuncta & hypothetica eſt, quæ plures habet ſimplices et categoricas præcipuas ſui partes, coniunctione aliqua inter ſe connexas.*

Vt, ſi dies eſt, lux eſt.

*Num in omni hypothetica expreſſè ponuntur plures ſimplices?*

Dantur quædam hypotheticæ enuntiationes, quæ non expreſsè conſtant categoricis, ſed virtute duntaxat, vt ſi dies eſſet, lux eſſet: Si reſurrectio non eſſet, pij Chriſtiani omnibus hominibus eſſent miſerabiliores.

*Quot modis diuiditur enuntiatio hypothetica?*

*Duobus.*

*Quæ eſt prior diuiſio enuntiationis hypotheticæ?*

*Hypotheticarum alia est.*

- Copulatiua, cuius partes principales copulatiua coniunctione vniuntur, vt, Narcissus est formosus, & Thersites turpis est.
- Disiunctiua, cuius partes principales disiunctiua coniunctione coniunguntur, vt, aut dies est, aut nox est.
- Conditionata, vt, Si homo est, animal est.
- Rationalis, vt syllogismi, de quibus postea dicetur.
- Caussalis, vt quia Iudas proditor erat, malè perijt.

## *Quæ est altera diuisio enuntiationis hypotheticæ?*

*Hypotheticarum, alia est*

- *Affirmans*, Cuius copula primaria non negatur, siue partibus affirmantibus constet, siue nō, vt, si lux non est, dies non est.
- *Negās*, Cuius pręcipua copula negatur, vt non quia Græcus est, ideo leuis est.

## *Quam vocas hoc loco primariam copulam?*

A qua propositio hypothetica suam speciē sumit: quod intelligitur ex ijs quæ ante dicta sunt.

## *Quæ oppositio inuenitur in hypotheticis propositionibus?*

Quoniam coniunctis propositionibus tribuitur affirmatio & negatio, hinc fit, vt etiam in ipsis re-

fis reperiatur contradictoria oppositio, quę ex affirmatione & negatione nascitur. Vt hę sunt contradictorię: Si lux est, dies est, & non si lux est, dies est.

Contraria verò & subcontraria oppositio certam quantitatem requirunt, quę cùm in hypotheticis non inueniatur, contrarias quoq; aut subcontrarias in ijs non inueniri, necessum est.

## *De veritate & falsitate hypotheticarum.*

### *Recita breuiter ea, ex quibus hypotheticarum propositionum veritas est metienda.*

Ad veritatem propositionis copulatiuæ aientis requiritur vtriusq; partis veritas, vt ad veritatem huius, homo natus est ad laborem, & auis ad volatum, requiritur veritas vtriusq; categoricæ & simplicis, ex qua componitur. Cęterùm ad disiunctiuæ veritatem requiritur, & sufficit alterius partis veritas: nec obest, si plures partes habeat veras. Nam quod dicitur à quibusdam, in disiunctiuis plures veras esse non posse, quam vnam, absolute falsum esse ostendit illud Virgilij:

*Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui,*
*Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,*
*Aut aliquis latet error.* Nã omnes hîc sunt veræ. Conditionalis aiens est vera, si ex antecedente rectè inferatur consequens, siue partes veræ sint, siue falsæ, vt si cælum nõ mouetur, cælum quiescit.

Hic non incommodè addi potest, quod omnis vera conditionata sit necessaria, & omnis falsa impoßibilis.

Propositio rationalis in se virtute continet copulatiuam & conditionatam, & ideo vt vera sit, duo ei sunt necessaria, videlicet vtriusq; partis veritas, & illationis firmitudo, vt, Petrus studet, igitur non dormit.

Idem sentiunt quidam de caussali propositione, sed falsò, quia non semper oportet propositionem caussalem esse firmam consequentiam. Sed ad veritatem eius & necessarium est, & sufficit vtramq; partem esse veram, ac eam partem quæ statim sequitur coniunctionem, aliquo modo esse alterius partis caussam, siue firmam efficiat cosecutionem siue non, vt quia peccasti, punitus es.

Consultò hic præterimus, quid ad vniuscuiusque falsitatem, aut quid ad negantium veritatem requiratur, ijs enim quæ iam diximus intellectis, nulla ad hæc iudicanda relinquitur difficultas.

*Quid est vsus eorum, quæ in hac secunda libri περὶ ἑρμηνείας parte declarata sunt?*

Plurimũ quę in hac secũda libri περὶ ἑρμηνείας parte declarata sunt, conducunt ad orationis copiam, qua nihil est vel admirabilius, vel magnificentius. Docet enim hęc pars multiplicare propositiones simplices, hoc est, quomodo multæ dari queant propositiones eiusdẽ sententiæ, idque vel per additionem negationis, vt, Pantaleon est candidus. Pantaleon non est non candidus.

Vel per coniunctionem determinationis ad determinabile, aut diuulsionem à determinabili. Sic hæ duæ: Pantaleon est homo, & Pantaleon est cãdidus, idem valent cum hac vna: Pantaleon est homo candidus. Et hęc cum illis duabus idem valet.

Vel deniq; per certam adiectionem modorum istorum: possibile, contingens, impossibile, necesse. Vnde hæ sunt æquipollentes:

Possibile est esse candidum,
Contingens est esse candidum,
Non est impossibile esse candidum,
Non est necesse non esse candidum.

Hinc liquido constat, ad iudicium quoque de propositionum veritate & falsitate hanc partem mirè conferre. Quandoquidem eiusdem sensus propositiones, veritate quoq; inter se aut falsitate consentiunt.

Postremò his quæ iam dicta sunt ritè perceptis, intelligitur plurimarum propositionum legitima connexio, & mutua inter ipsas consecutio. Quoniã propositio vna alteram eiusdem sententiæ rectè infert, & cõcludit, vt ex ijs quę superiùs dicta sunt, planum est.


## Omnium eorum quæ posteriori parte libri περὶ ἑρμηνείας continentur (ad iuuandam puerorum memoriam) summaria comprehensio.

IN SECVNDA PARTE LIBRI ΠΕΡΙ ἙΡΜΗΝΕΙΑΣ, AGITVR RVRSVS DE ENVNTIATIONE: SED QVATENVS

- Nunc additur nūc adimitur negatio
  - Prędicato vel Subiecto
    - Fiūtq; ex huiusmodi enūtiationibus argumētationes, quarum ratio aliquot regulis declaratur.
- Prædicata
  - Coniūcta diuidūtur
  - Diuisa cōiunguntur
    - per firmas consequentias aliquot regulis declaratas.
- Est modificata affecta his modis
  - Possibile
  - Contingēs
  - Impossibile
  - Necesse.
    - & tractatur paucis de huiusmodi propositionū ἰσοδυναμία, oppositione & sensu composito atque diuiso.
- Est hypothetica.
  - Affirmans
    - Copulatiua
    - Disiunctiua
    - Cōditionata
    - Caussalis
      - quod attigerat tantum priori parte Aristotelesi nos in hanc posteriorē partem reiectū latiùs explicam' de hypotheticis propositionibus.
  - Negans similiter diuidi potest.

LOGI-

# LOGICES
## LIBER QVARTVS de Argumentatione.
## ΕΞ ᾽ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ᾽ΑΝΑΛΥΤΙΚΩΝ ΠΡΟΤΕΡΩΝ ΚΑΙ ῾ΥΣΤΕΡΩΝ, ID EST,
## Ex libris Analyticis prioribus, posterioribúsque *Aristotelis.*



Ristoteles, quos de ratione aliud ex alio concludēdi seu ratiocinandi, scriptos posteris reliquit libros, τῶν ἀναλυτικῶν titulū illis præfixit, quod argumentationum, pręsertim syllogismi, & item demonstrationis resolutionem in sua principia tradant.

Nomē igitur libris tribuit ἀπὸ τῆς ἀναλύσεως quam Latini resolutionem vocauêre, quod ἀναλύεσθαι, sit rem ex multis conflatā partibus, in illas resoluere, atque retexere.

Nos, præstantissimos Dialecticorū Coriphæos (vt hactenus) secuti, De Argumentatione hunc librum inscripsimus: De syllogismo, aut certè secundum Aristotelem περὶ τῆς ἀναλύσεως eum libentiùs inscripturi, nisi aliorum iudicio obsequi quàm nostro maluissemus.

Sed missa hæc arbitrarir faciamusi & à diuisione doctrinę huius libri, eius explicationem auspicemur.

Quæ

*Quæ eſt libri huius quarti diuiſio?*

Præſens liber diuiditur in tres partes, quibus Ariſtotelis ordo & tractatio vtcunq; exprimitur.

*Quid docet prima pars?*

Prima pars docet formare ſyllogiſmos ex ſuis principijs, & in eadem reſoluere, idque ἐξ Ἀριστοτέλους Ἀναλυτικῶν προτέρων, α.

*Quid in ſecunda parte agitur?*

In ſecũda agitur de quibuſdã proprietatibus ſyllogiſmorũ, deq; alijs argumẽtationum ſpeciebus, ἐξ ἀναλυτικῶν προτέρων, β.

*Quid in tertia parte agitur?*

In tertia agitur de demonſtratione, ex vtroque τῶν ἀναλυτικῶν ὑστέρων.

PARS PRIMA EX PRIMO PRIOrum Analyticorum Ariſtotelis.

## DE PRINCIPIIS ſyllogiſmi.

*Quid eſt argumentatio?*

*Argumentatio oratio eſt, qua aliud ex alio concluditur.*

*Quomodo diuiditur argumentatio?*

Sequimur ſcholarum conſuetudinem in numerandis argumentationum formis, ne prodigióſa nouitate, rem per ſeſe non admodũ difficilem, obſcuremus.

Sunt igitur ſpecies argumentationis quatuor, ſyllogiſmus, inductio, exemplum & enthymema. His alia quædam argumentandi genera inferiùs addentur.

Quis

*Quis est vsus argumentationis?*

Vsus præcipuus argumentationis est,vt in longis disputationibus quæ extāt apud bonos auctores;ad hasce argumentandi formas, velut ad trutinām reuocentur, prolixæ eorum contentiones & arctis certisque syllogismorum,aut aliarum argumentandi formarum iuncturis vinciantur & astringantur.

Hanc enim curam qui adhibebunt,res ipsas altius introspicient,falsasq; cōnexiones deprehendent citiùs:& facillimè totius orationis neruos,& argumentandi ordinem atque dispositionem assequentur.

*Quæ argumentandi forma præcipuè est in hoc libro tractanda?*

De argumentationum formis hoc quarto libro ordine dicetur præcipue tamē & omniū maxime de syllogismo, quem Cicero ratiocinationem vocat,frequentatumq; scribit à Philosophis Peripateticis,& à Rhetoribus quoq; ijs,qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt.

Est enim syllogismus forma argumētandi perfectissima,ad quam & cæteræ quodammodo, vt solent imperfectiora ad perfecta,reducuntur.

Primum itaque syllogismorum vis est explicanda, sed cùm nulla res in cognitionem venire posit,nisi principia eius cognoscantur,ea pręsertim,ex quibus res constat, hac de caussa syllogismi principia initio explicabuntur.

*Digere in ordinem & seriem aliquam syllogismorum principia.*

*Princi-*

*Principia ſyllogiſmorum*
- *Materialia*
  - Propinqua, vt ꝓpoſitiones
  - Remota, vt termini.
- *Formalia*
  - Remotū, quod reſpōdet terminis, & vocatur figura.
  - Propinquum, quod ſpectat ad propoſitiones, & modus appellatur.
- *Dirigentia ſeu canonica*, quibus tāquam regulis quibuſdam dirigitur omnis ſyllogiſmus: Et ſunt duo huiuſmodi dirigētia principia ſumpta ex definitionibus: Dici de omni, & dici de nullo.
- *Perſicientia*, quibus imperfecti ſyllogiſmi ad perfectos reducuntur, quæ ſunt conuerſio & tranſpoſitio præmiſſarum.
  - In oppoſitam qualitatem,
  - In terminis.

*Recita ex Ariſtotele definitionem propoſitionis.*

* Propoſitio eſt oratio, qua aliquid alteri conuenire, aut confirmamus, aut negamus.

*Quam propoſitionem hîc definis?*

Categoricam ſimplicis qualitatis.

*Exclude hypotheticas ab hac definitione, & eas propoſitiones quæ ſunt miſtæ qualitatis.*

Excluduntur hypotheticæ, quòd nō ſecundum ſuam totam ſignificationem affirment aliquid alteri conuenire, aut negent.

Qua

Qua ratione & mistæ qualitatis propositiones excluduntur, vt quodlibet est vel non est.

*Vtrum hac definitione etiam singulares propositiones comprehenduntur?*

Comprehenduntur. Nam quod dicunt nōnulli, Aristotelem nullam singularium habuisse rationem, falsum est. Docet enim ex ijs in tertia figura fieri syllogismos expositorios, per quos syllogismi eiusdem figuræ omnes perficiantur.

*Quæ est caussa, cur prius agit Aristoteles de propositione quàm de termino?*

Quia in definiendo termino adhibet propositionis nomen, quod si antea definitum non fuisset, maximas definitioni termini ea res attulisset tenebras.

*Quomodo diuidit Aristoteles propositionem?*

„* Propositio aut generalis est, aut specia-
„lis, aut indefinita.

Quibus partibus est addenda & ista, aut singularis.

*Quæ est definitio propositionis generalis?*

* Generalis est, qua vniuerso generi, aut nulli generis parti aliquid cōuenire dicitur.

*Quid est vniuerso generi conuenire?*

Est alicuius subiecti communis, cuilibet inferiori, aut denominato conuenire, vt, Omnis homo est animal, Omne genus prædicatur de specie.

*Quid est nulli generis parti conuenire?*

Est alicuius subiecti communis, nulli inferiori aut denominato conuenire.

Quæ

*Vnde metienda est propria vis & significatio propositionis indefinitæ?*

Indefinita propositio ex propria significatione & impositione, sensum habet indefinitum & ambiguum: vt incertum sit, speciatímne an vniuersè sit accipienda. Huiusmodi verò ambiguitatem aufert extremorũ inter se ratio: Si enim necessariò in affirmante, aut repugnanter in negante, prædicatum subiecto connectatur, vniuersalem continet sensum: sin fortuitò, in sensu speciali accipietur. Rectè proinde singulares indefinitas esse negamus: easque excludimus à definitione, quia in ipsis non dicitur aliquid cuipiam subiecto cõmuni conuenire aut non conuenire: sic enim intelligitur ea pars definitionis. Commune autem subiectum vocatur, quod accipitur pro multis.

*Quæ est definitio propositionis singularis?*

*Singularis propositio est, cuius subiectum est singulare.*

Hoc est, quod nõ potest de multis verè dici, vt, Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.

*Quis est vsus propositionis & eius diuisionis?*

Is est propositionum vsus, qui superiùs in περὶ ἑρμηνείας libro latè explicatus est.

*Quam ob caussam repetitur hoc loco ab Aristotele propositionis definitio?*

Propter conuersiones & syllogismos, in quibus contexendis, propositionibus vtimur.

*Cur in hunc locum distulit Aristoteles propositionis diuisionem?*

Vt recens sit memoria discriminis quod inter

 gene-

generalem intercedit atque indefinitam & specialem: quod sanè discrimen momenti est maximi in constitutione syllogismorum, & ad regulas figurarum, tam speciales quàm generales intelligendas. Insuper ad conuersionem propositionum, quam statim Aristoteles tractat. Ad ipsam deniq; syllogismorum imperfectorũ reductionem, etc. vt ex sequentibus palàm erit.

*Quæ est definitio verbi seu termini?*

* Terminus seu verbum est, in quod propositio definit, cuiusmodi est tum id quod dicitur, tum id in quo aliud dicitur, adiũcto verbo esse vel non esse, aut etiam separato.

*Iuxta quam significationem definitur hoc loco ὅρος, hoc est, terminus?*

Vox terminus variè accipitur. Nam quandoq; terminus dicitur cuiusuis rei extremitas, siue lineæ, siue panni, siue agri, etc. Antiquitas autem multorum deorum superstitiosa cultrix, credidit terminum Deum quendam, qui agrorum fines constanter disterminaret: & hũc sub specie grandis saxi adorabat. De quo Virgilius:

*Capitoli immobile saxum.*

Et Ouidius secundo libro Fastorum:

*Nox vbi transierit, solito celebretur honore*
*Separat indicio, qui Deus arua suo.*
*Termine, siue lapis, siue es defossus in agro*
*Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.*

Et nonnullis interpositis.

Tu

*Tu populos vrbesq́; & regna ingentia finis,*
*Omnis erit sine te litigiosus ager.*
*Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,*
*Legitima seruas credita rura fide.*

Aliquandò sumitur terminus pro definitione essentiali, vt in primo Topicorum. Nonnunquam Dialectici accipiunt terminum, vt idem sit quod vox aut vocabulum, siue significans sit, siue adsignificans.

Hîc autem accipitur pro eo, quod incipit aut finit propositionem, qualia sunt subiectum & prædicatum, vt nomina & verba, cùm iam prędicatorum vel subiectorum obeunt munus, vt in his propositionibus: Homo est bulla, homo intelligit, duo sunt termini.

*Quod est antecedens relatiui quod?*

Est extremum. Extremum autem hoc loco dicitur id, in quod desinit, aut à quo incipit res.

*Quid est desinere seu resolui?*

Est posse diuidi.

*Cuiusmodi est ista diuisio, & quomodo efficitur?*

Diuisio autem huiusmodi, qua propositio diuiditur in extrema, ęst diuisio totius integralis in partes: estq́ue eius caussa efficiens intellectus, qui tunc cẽsetur diuidere propositionem in extrema sua, quando ea separatim considerat.

*Quando dicitur intellectus componere?*

Quando alterum alteri coniungit.

*Expone istam partem definitionis, adiuncto verbo esse, vel non esse, aut separato?*

Hoc est, siue prædicatum cum subiecto iungatur per copulam (est) aut aliam quamuis affirmatam: siue separetur à subiecto per copulā (est) aut aliam quamuis negatam.

*Quis est vsus termini?*

Vtuntur ista termini voce Dialectici frequentissimè, ad designāda propositionis extrema. Estq; eius cognitio planè necessaria ad ea, quæ de figuris syllogismorum Aristoteles tradit, & ad præcepta alia intelligenda, in quibus terminorum syllogismi mentio fiet.

## DE SYLLOGISMO
### *eiusq; diuisione, & principijs dirigentibus.*

*Quomodo definit Aristoteles syllogismum?*

* Syllogismus seu ratiocinatio, est oratio, in qua quibusdam positis, aliquid aliud ob eam caussam, quia hæc sunt necessariò efficitur. vt,

Omne animal est corpus,
Omnis homo est animal,
Omnis igitur homo est corpus.

*Explica syllogismi etymologiam.*

Definitū Syllogismus dicitur, παρὰ τὸ συλλογίζεσθαι, id est, computare, colligere, & ratiocinari: sumpta metaphora ab Arithmeticis, vt sit hìc, συλλογίζεσθαι, ex assumptione propositionum, quasi calculis subductis, summā argumentorū efficere. Proinde si ratio nominis spectetur, ad omne argumentandi genus extendi potest: verùm hæc

rũm hæc non eſt vſitata & cõſueta eius acceptio, ſed vt vnam duntaxat eamq́ue præcipuam ratiocinandi formulam deſignet.

*Quotuplex eſt ſyllogiſmus?*

Duplex vt generatim dicatur. Vnus categoricus ſeu prædicatiuus, qui cõſtat ex ambabus præmiſſis ſimplicibus.

Alter eſt hypotheticus, conſtans ex præmiſsis, quarum vna aut plures ſunt hypotheticæ. Vt ſunt, hi; Si homo eſt, animal eſt: ſed homo eſt, ergo animal eſt. Si homo eſt albus, animal eſt album: ſed nullum animal eſt album, ergo nullus homo eſt albus. Omne animal eſt rationale vel irrationale, ſed elephas eſt animal, & non eſt rationalis, ergo eſt irrationalis.

De quo quidem genere ſyllogiſmorum ſeorſum poſtea tractabitur latius.

*Quomodo diuiditur ſyllogiſmus categoricus?*

Syllogiſmus categoricus (de quo ſolo agit Ariſtoteles) diuiditur in eum, qui conſtat ex medio communi, & ſyllogiſmum expoſitorium, qui medium ſingulare obtinet. Qualis eſt hic:

Socrates eſt patiens,
Et Socrates eſt philoſophus,
Ergo philoſophus eſt patiens.

*Expone igitur paulò latiùs & clariùs definitionis ſyllogiſmi ſententiam.*

Syllogiſmus eſt oratio hypothetica, ſeu argumentatio, in qua, dum in modo & figura præmiſſæ duæ conuenienter velut in acie diſponuntur, concluſio à præmiſsis diuerſa, neceſſaria cõſecu-

tione ſequitur, propter præmiſſas in modo & figura conuenienter recteque diſpoſitas.

*Quid excludit illa pars definitionis ſyllogiſmi (quibuſdam poſitis)?*

Excludit enthymemata & cõuerſiones, in quibus vnica ſumitur propoſitio: Item inductiones, & exempla, poſtremò & ſyllogiſmos in modis inutilibus conſtitutos.

Nam in his nullæ ſunt præmiſſæ eo modo diſpoſitæ, quod facilè ex ſequentibus intelligetur.

*Quæ eſt diuiſio ratiocinationis iam definitæ?*

Ratiocinationum { Alia perfecta / Alia imperfecta.

*Quod eſt diſcrimen inter vtramq;?*

Ratiocinatio imperfecta, vera eſt hoc loco ratiocinatio, in hoc duntaxat à perfecta diſcrepans, quod hæc euidens ſit & luculenta, illa verò non item.

*Quæ eſt definitio perfectæ ratiocinationis?*

* Ratiocinatio perfecta eſt, quæ præter ea quæ ſumpta ſunt, nihil aliud requirit, vt res neceſſaria videatur.

*Quæ eſt definitio imperfectæ?*

* Ratiocinatio imperfecta eſt, quæ vnum pluráve deſiderat, quæ ſunt illi quidem neceſſaria propter propoſita vocabula, ſed tamen non ſumpta ſunt in propoſitionibus.

Repe-

*Repete paucis ex superioribus ea, quorũ ad has definitiones rectè intelligendas meminisse oportet, eaq́ ad præsentis loci declaratio-nem accommoda.*

Pro harum finitionum intellectu, reuocanda sunt ad memoriam quatuor principiorum genera, quæ tabula paulò antè expressa sunt.

Sunt enim quædam materialia, vt termini & propositiones, ex quibus omnis syllogismus componitur: Alia formalia, vt modus & figura; Alia dirigentia, quæ sumuntur ex descriptionibus, dici de omni, & dici de nullo: Et sunt quartò quædam principia perficientia, vt conuersio in terminis, conuersio in oppositam qualitatem, & præmissarum transpositio.

Tribus igitur prioribus generibus principiorũ nullus syllogismus carere potest, quia alioqui nõ erit syllogismus.

Sed quartum genus principiorum ijs syllogismis est necessarium, qui ex se euidentes non sunt, quia non directè fiunt secundũ præscriptum principij dici de omni, vel dici de nullo, sed indigent vlteriori probatione, vt ad alterum horum reducantur, quæ probatio fit per principia perficiẽtia, de quibus modò dictum est.

*Quis est sensus definitionis ratiocinationis perfectæ?*

Ratiocinatio perfecta, seu per se euidẽs est quæ nullum aliud principium syllogisticum requirit, præter ea quæ in ipso sunt, vt statim cuiuis sanæ mentis videatur necessaria, & euidens consequentia: sed sufficiunt tria principiorum genera, quæ in quouis syllogismo reperiuntur.

*Quomodo intelligis definitionem ratiocinationis imperfectæ?*

Ratiocinatio imperfecta est, quæ requirit vnũ principium tãtum, aut plura, præter ea quæ sumpta sunt, vt videatur necessaria & dilucida consequentia, quæ quidem principia nullam inducunt terminorum mutationem, nam manent ijdẽ termini, sed propositionum tantum, siquidem conuersio nouam introducit propositionem, cùm tamen maneant ijdẽ termini. Paucis & clarè. Ratiocinatio imperfecta est, cui conuersione tantũ aut conuersione simul, & præmissarum transpositione opus est, vt videatur euidens clara & perspicua argumentatio.

*Quæ ratiocinationes imperfectæ vnum, & quæ plura desiderant?*

Illæ quę per solam reducuntur conuersionem, vnum desiderant. Plura verò, quæ reducuntur simul per conuersionem & pręmissarum transpositionem. Prioris partis exẽpla sunt syllogismi omnes imperfecti, qui facti sunt in modis nõ habentibus literam M.

Posterioris verò partis exẽpla sunt syllogismi confecti in Fapesmo Frisesomorum, Camestres & Disamis, qui dum per ostẽsionem & directò reducuntur, & trãspositione egent & cõuersione. Quæ omnia ex sequentibus erunt manifesta.

DE PRINCIPIIS QVIBVS syllogismi diriguntur.

Post hæc Philosophus indicaturus, quæ sint ista dirigentia & canonica principia syllogismorum, quid sit dici de omni & dici de nullo, antè exponit

Quo-

*Quomodo definit Aristoteles, de toto genere seu de omni dici?*

* De toto genere dici, est ita dici, vt nihil eorum, quæ rei subiectę & propositæ conueniant, sumi poſsit, in quo alterum non intelligatur.

*Quis est sensus definitionis?*

Dici de toto genere est, esse prædicatum propositionis generalis aientis. Nam in eiusmodi propositione attributum dicitur, hoc est, denotatur posse dici de quauis re quæ sub subiecto continetur.

Vnde euidens est, excludenda esse prædicata harum propositionum, homo est animal, equus est hinnibilis, in quib⁹ prędicata possunt & apta sunt dici, de quibuslibet rebus quæ sub subiectis comprehenduntur: Sed non denotantur ibi hæc prædicata posse dici de talibus.

Deinde & attributa harum enuntiationum dicũtur de omni: omnis homo est equus, omnis homo est albus, omne animal est rationis capax. Nã licèt prædicata earum non verè poſsint dici de omnibus quæ continentur sub subiectis, de ijsdẽ tamen denotantur & significantur verè posse dici, quod sufficit ad præsentem locum.

*Quid est de nulla generis parte, seu de nullo dici?*

* Dici de nullo est, cùm nihil eorum, quæ rei subiectæ & propositæ conueniant, sumi poſsit, à quo alterum non remoueatur.

Hoc est, est esse attributum propositionis generalis negantis. Tum siquidem vniuersè prædicatum à subiecto remouetur, vt nulli rei conuenire

denotetur, quæ sub eodem subiecto continetur.

*Recita duas (quas vocant) maximas seu principia, quibus syllogismi diriguntur, quæ ex iam dictis definitionibus, dici de omni, & dici de nullo, eliciuntur.*

PRIVS EST.

*Quidquid prædicatur de subiecto vniuersè accepto seu distributo, prædicatur et de re quauis quæ assumitur sub illo.*

ALTERVM EST.

*Quidquid remouetur à subiecto vniuersè accepto remouetur & à re quauis quæ assumitur sub eo.*

*Quis est vsus horum principiorum?*

His principijs dirigũtur syllogismi omnes, qui constant ex medio communi, affirmãtes quidem per priorem, negantes per posteriorem.

*Quid est principio aliquo dirigi.*

Dirigi principio, est habere talem dispositionẽ qualem ipsum indicat. Vnde constat, propriè & primo his regulis dispositionem syllogismorum perfectorum contineri: imperfectorum verò, secundariò duntaxat.

*Cur vocantur ista dirigentia principia?*

Quia ostendunt, quomodo disponi syllogismi, iuxta iudicium communis sensus, debeant. Nec opus est procul quærere harum regularum interpretationem, si quis sensum communem consuluerit, statim intelliget eas.

*De syllogismo expositorio.*

Quemadmodum syllogismorum ex medio cōmuni, alium iam diximus perfectum, aliū imperfectum: ita & de ijs, qui medium habent singulare est iudicandum Sed aliter asignanda sunt principia quibus hi diriguntur, quàm principia eorum qui ex medio communi constant. Quod vt melius intelligatur syllogismi expositorij natura latius est explicanda.

*Quid est syllogismus expositorius?*

*Syllogismus expositorius est, qui constat ex medio singulari.*

*Quæ figura magis est idonea, ad confectionē syllogismi expositorij?*

Fit quidem in omni figura, commodisimè tamen in tertia, eò quod medium ibi semper subijciatur: voci autem singulari magis subijci quàm prædicari cōuenit.

In nullo modo primę figuræ nominato fit syllogismus expositorius, nisi dicas in modo imperfecto Frisesomorum.

Item in nullo modo nominato tertię figurę fit syllogismus expositorius.

In omnibus verò modis secundæ figuræ recte fit: exempla sunt.

Cę Nullum elementum est hic sol,
sa Et omnis sol est hic sol, ergo
re Nullus sol est elementum. &

Fe Nullus leo est Bucephalus,
sti Quidā equ^9 Alexādri regis est Bucephal^9, ergo
no Quidam equus Alexandri non est leo.

Simuli-

Similiter fiet expositori' in Camestres & Baroco:

Verùm syllogismi expositorij, qui in his modis fiunt, ab alijs ex medio cōmuni in hoc discrepat, quòd illi nequeant perfici per ostēsionem & directo ductu, quemadmodum hi, eò quòd propositio quæ simplici conuersione mutanda est vniuersalis videlicet negās, huiusmodi conuersionem nō admittat, quando prædicatum est vox singularis, Reliqui omnes modi, in quibus rectè fiunt syllogismi expositorij, nominibus carent.

*Quomodo diuiditur syllogismus expositorius?*

In perfectum & in imperfectum.

*Qui syllogismi expositorij sunt perfecti, & qui imperfecti?*

Qui sint perfecti, & qui imperfecti, non satis cōstat. Illud nihilominus certū est, omnes syllogismos expositorios indirecte concludentes esse imperfectos, eosq; perficiendos per alios qui cōcludunt directè.

De concludentibus autem directe magna est inter doctos disceptatio. Plerisq; tamen placet, expositorios tertiæ figuræ directe concludentes esse perfectos, omnes verò aliarum figurarū esse imperfectos, perficiendos reductione directa per syllogismos tertiæ figurę. Eos videlicet, qui sunt primæ, per conuersionem minoris: & eos qui sunt secundæ figurę, per conuersionem vtriusq; pręmissæ, idq; manifestū esse volūt ex dirigentibus principijs syllogismorum expositoriorum.

*Quot sunt principia ad quorum normam syllogismi expositorij diriguntur?*

Duo sunt, quemadmodum duo prius tributa sunt

ſunt ſyllogiſmis, qui conſtant ex medio communi.

*Quod eſt prius principium?*

Quæcunq; ſunt eadē vni tertio ſingulari, inter ſe ſunt eadem: quod ad ſyllogiſmos affirmantes pertinet.

*Quod eſt alterum principium?*

Quæcunq: ſic ſe habent, vt vnum eorum idem ſit cum alio, cum quo reliquum eſt diuerſum, illa inter ſe ſunt diuerſa: quod ad ſyllogiſmos negantes eſt referendum.

*Quid habent iſta principia, vnde iudicari poſſit de perfectione vel imperfectione horū ſyllogiſmorum?*

Quod illi ſyllogiſmi expoſitorij, qui primò diriguntur his principijs dicēdi ſunt perfecti: & qui ſecundario duntaxat diriguntur eiſdem (vt fortè in prima & ſecunda figura) illi ſint imperfecti.

Hæc breuiter indicaſſe ſat eſt, vt alijs magis accuratæ examinationis anſa præbeatur.

*Quis eſt vſus ſyllogiſmi expoſitorij?*

Magna laus eſt ſyllogiſmi expoſitorij, & vſus eius freqenter eſſe in ſubtili diſputatione poteſt.

Confert ſyllogiſmus expoſitorius, quem Ariſtoteles ἔκθεσιν vocat, ſi quādo ex ſingularibus propoſitionibus colligēda eſt aliqua cōmunis. Nam verſatur circa ſingularia, in quib⁹ ſenſus ipſe dominatur, à quo ſunt ſemina omnis noſtræ ſciētię, vt cùm ſenſus percipiunt aliquid ineſſe ſubiecto ſingulari, poſtea mens hunc ſyllogiſmum expoſitorium componit.

Iſte liberatus eſt à febribus.

Iſte vſus eſt aduerſus febres Glycyrrhiza, ergo

Vtens

Vtens Glycyrrhiza liberabitur à febribus.

Nominatur autem ἔκθεσις, Latine expositiō ἀπὸ τοῦ ἐκθέσθαι ab exponendo, quia propositio cōmunis, quę fit cōclusio, per singularem exponitur, & declaratur: & expositorius syllogismus nihil aliud est, nisi quædam cōmunium propositionum explicatio: neque enim mutat conclusionem, sed præmissas reddit per singulares propositiones tanquam per exempla, magis perspicuas. Quare speciatim eo vtitur Aristoteles pro instrumento, quo syllogismi imperfecti tertiæ figuræ demonstrantur.

Vbi enim primum modum tertiæ figurę per reductionem ad primam demonstrauit, subiungit: ἔστι δὲ καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου, καὶ τοῦ ἐκθέσθαι ποιεῖν τὴν ἀπόδειξιν.

Ad eundem modū cùm Datisi ad primam figurā reduxit, subdit: ἔστι δ' ἀποδεῖξαι καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου καὶ τῇ ἐκθέσει καθάπερ ἐπὶ τῶν προτέρων.

Expositio igitur est, quando sumitur aliquid, quod est in medio imperfecti alicuius syllogismi, eiq; tributo vtroq;, vel adepto altero extremorū, ad priorē conclusionē reditur. Vt exēpli caussa:

Omnis homo habet aures immotas,
Omnis homo est animal, ergo
Aliquod animal habet aures immotas.

Conclusionem huius syllogismi imperitus nō satis intelligit sequi ex antecedente, quandoquidem in imperfectis figuris, vt est tertia, & secūda, concludere non nisi doctioris est. Quamobrē possum eam per expositionem demonstrare, ita vt intelli-

telligat aduersatius eam non malè esse illatam, si nimirum sumam aliquid, quod sub medio est, tãquam pro exemplo, & tribuam ei vtrunque extremum hunc in modum:

Socrates aures habet immotas,
Socrates est animal.

Posteaquam ita dixerim, continuò me quoque tacente, intelligit veram esse priorem conclusionem, qua aliquod animal aures habere immotas aiebam.

Vides igitur ex his, huius syllogismi vsum ad propositiones iam ante probatas, nondum autem satis perspectas aut intellectas à rudibus, explicãdas, & quasi exemplo aliquo noto declarandas. Idq; sæpe fit in communi sermone, & in discretorum hominum scriptis, vt apud Ciceronem, cùm docet principes Rerũpublicarum nõ debere præcipites esse, & cõtationem prodesse in magnis rebus gerendis, qui sic argumentatur, communem sententiam exponens per singulares propositiones,

Fabius Maximus seruauit vrbem Romam,
Fabius Maximus fuit contator, ergo
Contatio seruat Respublicas.

Possent infinita huiusmodi exempla referri. Nam incurrunt tales argumentationes in quotidianum sermonem, etiam nobis ignorantibus. Est enim prima hæc via argumentandi, quam natura ipsa nos docet, sed artis est obseruare in sermone, an membra ritè coniuncta sint: ideoque fit eius in Dialectica mentio, vt certã quandam dispositionem teneamus, in qua facilè membra cõspici & iudicari possint.

DE

## DE CONVERSIONE.

DEinceps Phiſophus agit de perficiente principio ſyllogiſmorum imperfectorum, quod eſt conuerſio, tranſpoſitione præmiſſarum ( quæ & ipſa eiuſmodi principiũ eſt) omiſſa, propter nimiam eius facilitatem.

*Recita conuerſionis diuiſionem, vt planum euadat, de qua conuerſione in hoc tractatu ſit agendum.*

CON-

**CONVERSIO.**

- *Rerum*, qua vnũ corpus mutatur in aliud: vt, aqua in vinum, vinum in acetum.
- Verborum
  - *Simpliciũ*, quæ reciprocatio vocatur: Sic homo & risibile reciprocantur: & quęcunque alia de se mutuo vniuersè & vere affirmãtur.
  - Coniunctorum seu propositionũ.
    - In oppositã qualitatem quæ duplex est.
      - Altera est, cuius cõuertens (id est propositio in quã fit cõuersio) & conuersa (hoc est quę cõuertitur) non discrepat in veritate & falsitate: de qua agetur postea in tractatu de contingenti.
      - Altera est, cuius conuertẽs, & conuersa pugnãt in veritate & falsitate: Et de hac agetur, vbi de syllogismo qui incommodum vrget tractãbitur.
    - Ex parte terminorũ.
      - Mutatis finitis in infinitos & cõtra: & vocatur cõuersio per cõtrapositionẽ, quæ nõ seruit reducendis imperfectis syllogismis.
      - Eorundem penitus quę duplex est.
        - Simplex seu per se &
        - Per accidens.

S De

*Quæ enuntiationes cõuertuntur conuersione per accidens?*

Generalis aiens in specialem aientem: vt,
Omnis sitis est appetitus humidi,
Ergo quidam appetitus humidi est sitis.

Similiter & generalis negans in specialem negantem, vt,
Nulla sitis est appetitus sicci, ergo
Aliquis appetitus sicci non est sitis.

*Quæ est horum nominum ratio?*

Illa conuersio videtur vocari simplex, quia fit in ea tantum transpositio terminorum, nulla alia concurrente mutatione.

Conuersio autem per accidens dicitur, quia nõ fit in ipsa tantum mutatio extremorũ, sed etiam quantitatis: quæ quidem quantitas videtur esse quoddam propositionis accidens.

*Quæ sunt conditiones in conuersionibus obseruandæ?*

Vt cognoscatur cõuersio esse legitimè & rectè facta, à neotericis solent præscribi plurimæ conditiones obseruandæ, inter quas quædam sunt planè pueriles, vt illæ quæ admonent de resolutione verbi, & alijs id genus.

Alię verò communes sunt omni argumẽtationi, putà, vt vitetur homonymia, vt non procedatur à non distributo ad distributũ, & similia. Nos vnam tantùm conditionem, quæ obseruanda est, referemus, illis tanquam manifestis in medio relictis, quæ est hæc.

*Vt totum subiectum mutetur in totum prædicatum, & totum prædicatum in totum subiectum.*

Hinc est quod non sequitur: Mus rodit panem, ergo panis rodit murem.

Aristoteles in suo contextu tradit quatuor cõuersionum iam à nobis declaratum canones.

1 „*Generalis negans, quæ ex (est) verbo constat, cõ„uerso verborum ordine reciprocatur.*

Vt, si nulla voluptas est bonum, nullum bonũ est voluptas.

2 „*Generalis aiens non omninò & vniuersè, verũ „aliqua ex parte conuertitur*

Vt, si omnis voluptas est bonum, quoddam bonum est voluptas.

3 „*Specialis aiens ex parte necessariò cõuertitur.*

Nam, si quædam voluptas est bonũ, quoddam bonum est voluptas.

4 „*Specialis autem negans, non necessariò cõuer„titur.*

„ Non enim sequitur: aliquod animal nõ est homo, ergo aliquis homo non est animal.

TRANSITIO.

Hactenus Aristoteles. Cuius verba tantùm de conuersione simplici & per accidens, de quibus modò dictum est, sunt accipienda, non autem de conuersione, quam Græci κατ᾽ἀντίθεσιν, Latini per contrapositionem vocare solent, de qua tamẽ licet eam silentio præterierit Aristoteles, neotericorum exemplo, breuiter dicemus.

*Quæ est conuersio per contrapositionem?*

*Conuersio per contrapositionẽ est, cõuersio, quæ fit in propositionibus eiusdem qualitatis, commutatis terminis*

*terminis finitis in infinitos, et ediuersò, infinitis in finitos.*

*Quis dicitur terminus infinitus, & quis finitus?*

Terminus infinitus dicitur, prædicatū vel subiectum, cui præposita est negatio infinita, vt, non homo, non arbor, non currit. Finitus verò terminus dicitur prædicatum aut subiectum, cui nulla talis præponitur negatio: cuiusmodi sunt, homo, arbor, currit.

*Quæ propositiones hanc recipiunt cō-uersionem?*

Generalis aiens conuertitur in generalem affirmantem, vt, omnis homo est animal, ergo omne non animal, est non homo. Hoc est, vt alij dicunt apertius: ergo quidquid nō est animal, non est homo: & item in specialem aientem. Sequitur enim: Omnis homo est animal, ergo aliquod non animal est non homo. Cuius ratio in promptu est: Nam quidquid sequitur ex consequente bonæ argumentationis, sequitur quoq; ex antecedente eiusdem.

Specialis autem negans in specialem negãtem conuertitur, vt, quidam homo non est lapis, ergo quidam non lapis non est non homo, hoc est apertius, ergo aliquid quod non est lapis, non est non homo,

*Recita versiculum, quo breuiter docetur, quã queq; propositiones recipiant conuersionem.*

Ecce tibi simp. armigeros ac, arma bono con.
In quo vocalis a, generalem affirmantem refert.
E verò, generalem negantem.

iterũ ea quæ de ratione conuertendarũ propositionum traduntur, relegere, in ijs se sedulò exercere debent, vt vbi ad eam tractationem, quæ instituitur de reuocandis syllogismis, fuerit peruẽtum, totam hanc rationem habeant in promptu, sin'q; ad conuertendam quamlibet oblatam propositionem expediti. Nam ita futurũ est, vt quod alioqui satis difficilè videtur, etiam citra laborem omnem atque molestiam percipiant.

## DE PRIMA FIGVRA.

PHilosophus in sequentibus agit de principijs formalibus syllogismorum, quæ sunt duo, Figura & modus.

*Quid est figura?*

*Figura est trium terminorum certus ordo quantũ ad subijciendi & prædicandi rationem attinet.*

Quę quidem definitio, etsi nõ expressè ab Aristotele traditur, ex eius verbis tamẽ satis intelligitur, siue ea cõsideremus, quæ in figura prima tradit, siue quę in alijs.

*Quomodo distinguntur tres termini qui syllogismum ingrediuntur?*

Tres terminos sic distinguit Aristoteles, vt primus dicatur primum verbum, seu maius extremum, alter postremũ verbum, vel minus extremum, tertiùs verò medium.

*Quid est primum verbum?*

Primum verbum est terminus, qui cum medio ponitur in maiori propositione.

*Quid est postremum verbum?*

Poſtremum verbum eſt terminus,qui cum medio collocatur in minori propoſitione.

*Quid eſt medium verbum?*

Medium eſt,quod bis ponitur ante concluſionem.

*Quotuplex eſt figura?*

*Triplex* { *Prima*, *Secunda*, *Tertia.* }

*Quid eſt prima figura?*

*Prima figura eſt,in qua mediũ ſemel ſubijcitur, & ſemel prædicatur.*

*Quid eſt ſecunda figura?*

*Secũda figura eſt,in qua mediũ bis prædicatur.*

*Quid eſt tertia figura?*

*Tertia figura eſt,in qua medium bis ſubijcitur.*

*Quid eſt modus?*

*Modus eſt diſpoſitio triũ propoſitionum ſyllogiſmi ſecũdam qualitatem & quantitatem:vt Barbara.*

*Quo nomine appellãtur duæ propoſitiones, quæ in omni ſyllogiſmo concluſionem antegrediuntur?*

Altera propoſitio maior , altera minor vel aſſumptio vocatur.Quę propoſitiones ambæ vulgò dicuntur præmiſſæ:Ariſtoteli verò προτάσεις.

*Quid eſt maior propoſitio?*

Maior propoſitio eſt præmiſſa , in qua præcipuum robur ſyllogiſmi continetur.

*Quid eſt aſſumptio vel minor propoſitio?*

Aſſumptio eſt,quę minus roboris habet ad aliquid

quid concludẽdum. Veruntamen in sequentibus ad vitandam confusionem, plerunque maiorem vocamus priorem præmissam: minorem eam, quę est posterior.

*Quomodo modus diuiditur?*

Modi singularũ figurarum { Vtiles, Græcè συλλογιστικοί. / Inutiles ἀσυλλόγιστικοί.

Si inutiles modos cum vtilibus numeremus, sedecim variatione pręmissarum in singulis figuris erunt modi, exclusis expositorijs, item speciali & indefinita propositionibus, vt vult Aristoteles, pro vna & eadem reputatis. Qui resultant ex quatuor propositionum generibus aliter & aliter affectis, videlicet vniuersali affirmante, vniuersali negante, speciali affirmante, speciali negante. Qui modi aptissimè designantur literis quatuor, quæ illa quatuor genera propositionum significant.

| | A | E | I | O |
|---|---|---|---|---|
| Nam si singulas | a a | e e | i i | o o |
| singulis præponas, efficientur | a a | e e | i i | o o |
| sedecim modi | a a | e e | i i | o o |
| hoc pacto: | a a | e e | i i | o o |

*Quotuplices sunt regulæ, quæ hoc loco à dialecticis tradi solent ad modos vtiles ab inutilibus secernendos?*

Duplices sunt, nimirum { Generales, quę ad omnium figurarum modos pertinent, cuiusmodi sunt septem, & / Particulares, quę ad singularũ figurarũ modos vtiles discernẽdos referũtur

*Quæ est prima generalis regula?*

*Ex puris specialibus nihil per syllogismum concluditur.*

Vt non sequitur:

Animal est quadrupes,
& aliquis homo est animal, ergo
Aliquis homo est quadrupes,

Quæ regula de syllogismo medij communis vt cæteræ omnes, non autem de syllogismo expositorio intelligenda est. Sequitur enim.

Aliquod animal est Bucephalus,
Aliquis equus est Bucephalus, ergo
Aliquis equus est animal.

Quæ enim eadem sunt vni tertio singulari, eadem sunt inter se. Sed non oportet propter vnionem aliquorum in eodem tertio cõmuni, ea coniungi in conclusione.

*Quæ est secunda regula generalis?*

*Ex puris negantibus nihil sequitur.*

Non enim necessum est aliqua à se mutuò separari, si ipsa separentur ab eodum tertio, vt non sequitur:

Nullus equus est rationis particeps,
Nullus homo est equus, ergo
Nullus homo est rationis particeps.

*Quæ est tertia generalis regula?*

*Si aliqua præmissarum fuerit specialis, conclusio etiam specialis erit.*

Effectus enim dicitur sequi infirmiorẽ suę causæ partem, specialis autem debilior est vniuersali.

Hæc quoq; regula iuxta neotericos patitur exceptio-

ceptionem, quando minor in prima figura est vniuersalis negans, & concluditur conclusio de modo loquendi insueto, etc. Vt,

Quidam homo est animal,
Nullus equus est homo, ergo
Omnis equus aliquod animal non est.

Sed missa huiusmodi faciamus: veteres enim abstinuerunt à propositionibus, quas nostri de insueto modo loquendi vocant, aut eas pro consuetis vsurparunt, quod & hodie eruditi omnes faciunt, nihil cōstituentes discriminis inter has: lapis non est animal, lapis animal non est.

*Quæ est quarta generalis regula?*

*Si altera præmissarum fuerit negans, oportet conclusionem esse negantem.*

Est enim negans infirmior sua affirmante.

*Quæ est quinta generalis regula?*

*Medium nunquam ingredi potest conclusionem.*

In omni enim syllogismo quilibet trium terminorum debet bis sumi, & bis duntaxat.

*Quæ est sexta generalis regula?*

*In omni syllogismo ex medio communi, oportet medium, vt minimum semel in præmissis vniuersè & generatim sumi.*

*Quæ est septima & postrema?*

*In omni syllogismo cauendum est, ne procedatur à voce in antecedente non distributa, ad distributam in consequente.*

Ex quibus duabus regulis duæ superiores, nempe prima & tertia vim suam habent. Nam dum ex puris specialibus argumētamur, medium in neutra præ-

tra præmiſſarum diſtribuitur. Et ſi concluſio vniuerſalis, ex præmiſſa particulari concluditur, à non diſtributa ad diſtributā vocem aliquam proceditur.

Pleræque etiam regulæ ſpeciales in ſingulis figuris recitandæ, altera harū regularum nituntur.

*Quot ſunt regulæ ſpeciales, quibus vtiles primæ figuræ modi, ab inutilibus ſeparātur?*

Duæ colliguntur ex Ariſtotele.

*Quæ eſt prior?*

*Aſſumptio non ſit negans in prima figura.*

Alioqui enim à primo verbo in antecedēte nō diſtributo ad diſtributum in concluſione proficiſceremur, quod neutiquā permiſſum eſt: quo quidem vitio vitato, licebit eo modo in hac figura nonnunquam concludere: vt ſi concludatur indirectè, quod fit in Fapeſmo & Friſeſomorum.

*Quæ eſt poſterior?*

*Maior propoſitio nō ſit ſpecialis in prima figura.*

Alioqui enim medium in neutra præmiſſarum diſtribueretur, cùm oporteat aſſumptionem eſſe affirmantem ſecundum regulam priorem. Hanc etiam conſtringunt recentiores, niſi concludatur indirectè, vt in Friſeſomorum.

*Quomodo deſcribit Ariſtoteles modos primæ figuræ, vniuerſales ſeu vniuersè concludentes, quos ipſe vocat γράμματα, ἔγραψε, Latini verò Barbara, Celarent.*

* Cùm tria verba eam inter ſe rationem habeant in oratione, vt & poſtremū in medio

dio toto dicatur, & medium in toto primo dicatur, aut non dicatur, ex verbis ita locatis, perfecta absolutaq; conclusio nascatur, necessum est.

Quorum verborum hæc est sententia.

Cùm tria verba ita inter se in pręmissis fuerint disposita, vt postremũ verbum vniuersè & affirmate subijciatur medio, & medium vniuersè siue affirmatè, siue negatè primo verbo: tũ necesse est syllogismum extrema directè de se mutuò cõcludentem, esse perfectum.

*Quid est directè concludere?*

Directè concludere, est primum verbum de postremo prædicari in conclusione.

*Quid est indirectè concludere?*

Est postremum de primo conclusione prædicari. Rectus siquidem ordo postulat, vt primum verbum prædicetur, & subijciatur postremum.

*Quomodo definit Aristoteles mediũ primæ figuræ?*

* Medium verbum est, quod & ipsum in alio, & aliud in ipso dicitur.

*Quis est sensus istorũ Aristotelis verborum?*

Medium primæ figuræ est mediũ (id est, terminus bis repetitus ante conclusionem) quod alicui affirmatè subijcitur, & cui alterum aliquod vocabulum sic est subiectum.

*Quid sibi vult istud quod adiungit Aristoteles (quod etiam medium locum obtinet?)*

Hoc accipi solet tanquam secunda medij primæ figuræ descriptio. Quod quidem ideo dicitur medium locum obtinere, quia semel subijcitur & semel

ſemel prædicatur. Id enim primũ locum in ordine terminorum ſibi vendicare debet, quod frequentiſsimè prædicatur. Id verò vltimum, quod ſæpiſsimè ſubiectum eſt, & id medium, quod partim prædicatum fuerit, partim ſubiectum. Vnde, manifeſtum eſt, in prima figura primum verbum primum locum obtinere, quia tam in propoſitione, quàm in concluſione prædicatur. Poſtremum verò vltimo loco poni, quia ſemper ſubijcitur: Medium autem ſecundas partes obtinere, quod vtraſque & prædicandi & ſubijciendi partes æqualiter ſortitum ſit.

*Quomodo deſcribit Ariſtoteles extrema primæ figuræ?*

* Extrema huius figuræ ſunt, quod quorum alterũ in alio, & alterum in quo aliud dicitur.

*Quæ eſt iſtorum verborum ſententia?*

Iſta verba ſatis manifeſta ſunt, ſi meminerimus nihil aliud eſſe (eſſe in alio) quàm alteri ſubijci. Et quod ablatiuus (alio) & nominatiuus (aliud) pro eodem accipiantur, nempe medio. Contineturq́; ſub priori parte minus extremum, & ſub poſteriore maius, id quod etiam declarant eorum definitiones ſi ſigillatim aſsignes.

* Primum verbum eſt, id quod ipſum in alio dicitur.

* Poſtremum verò, id in quo aliud dicitur.

*Quomo-*

*Quomodo describit Aristoteles modos primæ figuræ speciatim concludentes, quos ipse vocat γραφίδι τεχνικός, Latini verò, Darij, Ferio.*

* Cùm propositio omni ex parte dici aut negat, assumptio autem quadam ex parte dicit, tum absoluta ratiocinatio sit necesse est.

Quod intelligendum est modò directè concludatur.

*Quid innuere voluit Aristoteles, quòd ex omnibus modis primæ figuræ hos quatuor duntaxat definierit?*

Antè dictum est, in omni figura, sex & decē modos, ex mutatione præmissarum secundum quantitatem & qualitatem, partim vtiles, partim inutiles exurgere. Etiam significare voluit Aristoteles quatuor inueniri duntaxat vtiles in hac figura, duos quidem vniuersales, & duos speciales.

*Profer exempla singulorum modorum perfectorum primæ figuræ?*

| | | |
|---|---|---|
| Γράμ | Bar | Omne vitium est execrandum, & |
| μα- | ba | Omnis auritia est vitium, ergo |
| τα. | ra | Omnis auaritia est execranda. |

| | | |
|---|---|---|
| Ἐ | Ce | Nullum corpus est indiuisibile, |
| ργα | la | Omnis atomus est corpus, ergo |
| τε. | rent | Nullus atomus indiuisibilis est. |

Γρα-

| | | |
|---|---|---|
| Γϱα | Da | Omnis homicida eſt dignus morte. |
| φι- | ri | Milo autem homicida eſt,ergo |
| δι. | i | Milo eſt morte dignus. |
| Τεχ | Fe | Nullum violentum eſt perpetuum, |
| νι | ri | Sed proiectio lapidis ſurſum eſt violēta, |
| κός. | o | Non eſt perpetua. (ergo |

*Súntne alij præter hos, modi primæ figuræ?*

His modis perfectis, addūt quinq; imperfectos neoterici, partim ex Ariſtotelis, partim ex Boetij doctrina. Duos enim vt Fapeſino & Friſeſomorū „ex ipſo habent Ariſtotele ita docente poſtea, In „omni figura cùm vna earum dicit, altera negat, „ſi ea quæ negat in toto genere verſetur, ſemper „ſequitur concluſio verbi poſtremi de primo. Reliquos tres modos ex Boetij libro de categoricis ſyllogiſmis deſumpſerunt.

*Recenſe exempla etiam iſtorum quinq; adiectorum primæ figuræ modorum.*

| | |
|---|---|
| Ba | Omne animal eſt corpus, |
| ra | Omnis homo eſt animal,ergo |
| lip | Aliquod corpus eſt homo. |
| Ce | Nullum animal eſt lapis, |
| lan | Omnis homo eſt animal, |
| tes | Nullus igitur lapis eſt homo. |
| Da | Omnis virtus eſt habitus bonus, |
| bi | Aliqua taciturnitas eſt virtus,ergo |
| tis | Aliquis habitus bonus eſt taciturnitas. |
| Fap | Omnis cupiditas eſt mala, |
| eſ | Nulla virtus eſt cupiditas,ergo |
| mo | Aliquod malum non eſt virtus. |

Friſ-

Fris Aliqua taciturnitas est digna laude,
es Nulla modestia est taciturnitas, ergo
om Aliquod dignum laude non est modestia.

Sed cùm non tàm dilucidè concludant hi quinque modi quàm præcedentes quatuor, solent ab eruditis minùs cōmēdari, & in communi sermone vt inutiles haberi: Aliorum autem primæ figuræ modorū, quos perfectos diximus, vsus est longè omnium maximus & frequentissimus.

ADMONITIO.

Exemplis autem ideo vtimur simplicioribus, quia facilè est in huiusmodi videre medij dispositionem. Et imperiti in his vocibus animaduertere possunt, quomodo vulgaria vocabula gignant conclusionem.

Sed tamen exercendi sunt adolescētes in syllogismis quos petant à rebus communibus, ac ciuilibus; quia ibi artis vsum magis sunt conspecturi.

## DE SECVNDA FIGVRA.

*Quomodo definit Aristoteles secundā figuram?*

* Cùm idem verbum vnius omni, alterius nulli parti conuenit, aut vtriusq; omni, aut nulli parti, hanc talem voco secundam formam collocationis.

*Explica Aristotelis verba.*

Per (idem verbum) intelligit mediū: Per (vnum & alterum) verò, primum vel postremū verbum indefinitè. Cōuenire omni parti, est vniuersè prædicari de alio. Conuenire nulli parti, est negari vniuersè.

*Quorum modorum secũdæ figuræ propria est ista descriptio?*

Conuenit modis vniuersalibus huius figuræ, tam inutilibus quàm vtilibus. Sub prima quidem parte continentur duo vtiles, qui appellantur Cesare & Camestres. Sub reliquis autem duabus, inutiles.

*Recita descriptiones terminorũ, vt ad secundam figuram referũtur, ex Aristotele.*

* Medium secũdæ figuræ est id, quod tam in propositione, quàm in assumptione dicitur.

* Extrema autẽ sunt, de quibus medium dicitur.

* Primum verbum est id, quod medio est finitimum.

* Postremum verò verbũ id, quod ab eodem longiùs est.

Et vt duę descriptiones postremæ facilius intelligãtur, mox subiecit Aristoteles, quem locum in ordine terminorum huius figuræ obtineat medium, videlicet primùm, cùm bis prædicetur.

Quare primum verbum, quod semel subijcitur & semel prædicatur, secundo: Postremum verò, quod semper subiectum est, tertio loco statuetur, & ita longius à medio.

*Quot sunt regulæ spęciales secundæ figuræ, quibus modi vtiles ab inutilibus secernũtur?*

*Tres numerari solent.*

QVAE EST PRIMA?

*In secunda figura oportet vt maior propositio sit generalis.*

Nam alioqui à primo verbo non distributo ad distributum procederetur, cùm necesse sit cõclusionem esse negantem: vt non sequitur.

Aliquis homo est albus, &
Nullus Aethiops est albus, ergo
Aliquis Aethiops non est homo.

*Patitúrne ista regula aliquam exceptionem?*
Patitur, nimirum quando concluditur indirectè.

*Quæ est secunda regula?*

*Ex puris aiētibus nõ fit syllogism⁹ in secũda figura.*

Quia mediũ in neutra præmissarum distribueretur. Non enim solet distribui prædicatum propositionis affirmantis, vt non sequitur:

Omnis homo est animal, &
Omnis equus est animal, ergo
Omnis equus est homo.

Sequetur autē, si medio in altera præmissarum addas signum vniuersale aiens, vel pro medio terminum singularem accipias.

*Quæ est tertia regula?*

*In secunda figura semper concluditur negatè.*

Nam oportet alteram præmissarum negantē esse.

*Profer exempla quatuor modorum vtilium secundæ figuræ.*

E Ces Nullus piscis habet calidum sanguinem;
γρα a Omnis auis calidũ sanguinē habet, ergo
ψε re Nulla auis est piscis.

Κα Ca Omne animal est præditum sensu, &
τε mes Nulla spongia est prædita sensu, ergo
χε tres Nulla spongia est animal.

Μέ Fes Nullus spiritus habet carnem & ossa,
τρε ti Ego habeo carnem & ossa, ergo
ομ. no Ego non sum spiritus.

Α Ba Omnis qui ex Deo est, verbũ dei audit,
χο ro Hic non audit verbum Dei, ergo
λομ. co Hic non est ex Deo.

## DE TERTIA FIGVRA.

*Quomodo describit Aristoteles tertiã figuram?*

* Cùm eidem verbo toti vnum, alterum nulli eius parti conuenit, aut vtrunq; toti, aut nulli, eiusmodi collocationis formam tertiam nomino.

*Quos modos complectitur ista descriptio?*

Omnes tertię figurę, tam inutiles quàm vtiles.

*Recita definitiones verborum & terminorum tertiæ figuræ, quas iam commemorata definitio non obscurè commonstrat.*

* Medium tertiæ figuræ est id, de quo vtrunque dicitur.
* Extrema autem sunt, quę de medio dicuntur.
* Primũ id est, quod à medio longiùs abest.

Postre-

* Postremum est id, quod eidem est viciniùs.

Nam medium est positione & situ vltimũ, cùm semper subijciatur.

Primum verbum, quod bis prędicatur, primum & postremum secundum seu medium positione, quod in antecedente prædicatur, & subijcitur in conclusione.

*Quot sunt modi vtiles tertiæ figuræ?*

Sex: Duo ex præmissis generalibus { Darapti, Felapton. } & Quatuor ex præmissis non generalibus, sed altera speciali. { Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. }

*Quot sunt regulæ peculiares tertiæ figuræ, quibus modi vtiles ab inutilibus separantur?*

*Duæ commemorari solent.*

QVAE EST PRIOR?

*In tertia figura oportet vt assumptio non sit negãs.*

Nam sic à primo verbo in antecedente non distributo (esset enim prædicatũ propositionis aientis) ad idem in conclusione negante distributum progrederemur.

Exempli gratia, non sequitur:
Omnis elephas est quadrupes, &
Nullus elephas est camelus, ergo
Camelus non est quadrupes.

Proceditur enim à non distributa voce, ad eandem distributã: quod si vitetur, non habebit istius regulæ præceptio locum.

QVAE EST POSTERIOR?

*In tertia figura speciatim semper concluditur?*

Alioqui à postremo verbo non distributo, ad distributionem eius procederetur, cùm secũdum priorem regulam oporteat assumptionem esse affirmãtem: qui defectus si vitetur, nullus erit huic regulæ locus.

*Profer exempla sex modorum tertiæ figuræ.*

A Da Omnis anas natat,
πα rap Omnis anas est auis, ergo
σι. ti Quædam auis natat.

σθε Fe Nulla scientia nobis est congenita,
να lap Omnis sciẽtia est animi prõptitudo, ergo
ρός. ton Nõ oĩs aĩ prõptitudo est nobis cõgenita.

I Di Quoddam bellũ est necessariò ferendũ, &
σα sa Omne bellum est calamitosum, ergo
κις. mis Quoddã calamitosũ est necessariò ferẽdũ

Λσ Da Oĩs hõ potestati. sublimiorib. subiect' est,
πι ti Quidam homo est Christianus, ergo (&
δι. si Christianus subiectus est potestatib' sub-
(limioribus.

O Bo Quædam castitas non est perpetua,
μα car Omnis tamen castitas est virtus, ergo
λός. do Quædam virtus non est perpetua.

Φε-

Φε Fe Nullæ veteres leges sunt è Rep. tollendæ,
ρι ri Pleręq; veteres leges habēt aliqdvitij, ergo
ςος. son Quædam vitij aliquid habētia, non sunt
è Republica tollenda.

ADMONITIO.

Hæc exempla si in aliam figurā redegeris mutata medij dispositione, profectò dum naturalem ordinē terminorū inuertis, totū reddideris syllogismū obscuriorē, dutioreq; ex parte ꝓpositionū.

Summatim autem colligendo omnes modos nominatos hactenus positos, inuenimus numero esse decem & nouem. Quatuor videlicet primæ figuræ perfectos, & quinque imperfectos, quatuor secundæ figuræ, & sex tertiæ, quos vt meminisse iuniores possint, excogitauerūt veteres quosdam versiculos, quos adolescentes tanquam sua nomina tenere oportet, hos videlicet:

*Barbara, Celarent, Darij, Ferio: Baralipton,*
*Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum:*
*Cesare, Camestres, Festino, Baroco: Darapti,*
*Felàptom, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Apud Græcos recensentur 14. modi hoc pacto:
Primæ fig. Γράμματα, Εγραψε, Γραφίδι, Τεχνικός,
Secūdę fig. Εγραψε, Κάτεχε, Μέτριον, Αχολον.
Tertiæ fig. Απασι, Σθέναρος, Ισάκις, Ασπίδι, Ομαλὸς, Φέρισος.

## *Quis est vsus eorum quæ modò de figuris & modis allata sunt?*

Vtilitas puerilis exercitij componendi syllogis-

mos longè maxima est, formatur enim iudicium de multis communibus quæstionibus, quarũ cognitio ad vitæ institutionem nõ parum cõducit. Deinde iudiciũ de præceptis Dialecticis acuitur, cùm nostras connexiones ad ea conferimus. Deniq; hæc exercitatio non solũ vtilis est, sed etiam ingeniosis ludus est non insuauis.

## DE REGVLIS QVIBVS-dam *syllogismorum.*

ARistoteles ex ijsquę dixit de syllogismis hactenus, colligit quasdam regulas, ad solidiorem perfectioremq; reddendam syllogismi cognitionem, de quibus in præsentia strictim agemus.

*Quæ est prima regula, quam adducit Aristoteles ad magis intelligendam syllogismi rationem?*

* *In omni figura, si vtraq; propositio vel aiens sit vel negans, & ad generis partem accommodetur, nihil prorsus ex ijs necessario efficitur.*

Quæ nota est ex regulis generalibus syllogismorum priùs traditis.

*Quæ est secunda?*

* *In omni figura, cùm vna propositionum dicit, negat altera, si ea quæ negat in toto genere versetur, semper sequitur conclusio, verbi postremi de primo.*

*Quorsum adduxit Aristoteles istam regulam?*

Hanc regulã in eum vsum adduxit, vt ostenderet non omnem absolutè copulationem præmissarum quam antè repudiauerat, inutilẽ esse. Quapropter vsus aliquis est modorũ imperfectorum

prima

primæ figuræ Fapeſmo & Friſeſomorum, cùm vt minimum indirectè valeant concludere. Similes modos vſurpant in ſecũda figura & tertia, in quibus ſimiliter inferre licet cõcluſionem indirectã: niſi quòd propter reductionis aliam & aliam rationem ſignificandam, nonnihil commutẽtur ea vocabula, velintq́; in ſecunda figura dicẽdum eſſe Careſmo & Fireſmo, in tertia verò Fapeſmo & Friſemo.

*Quæ eſt tertia?*

* *In omni figura, indefinita pro ſpeciali poſita, eũdem efficit ſyllogiſmum.*

*Quæ eſt quarta?*

* *Omnes imperfectæ ratiocinationes, prima figura aut directò docendo, aut vrgendo incommodo perficiuntur.*

Directò quidem per conuerſionem, incommodo verò, ex cõtradictorio concluſionis cum altera præmiſſarum Quò autem id pacto fiat, poſteà oportunius dicetur.

*Quæ eſt quinta?*

* *Omnis ratiocinationes ad omnes primæ figuræ eas, quæ in toto genere verſantur, reuocari poſſunt.*

Idq́; intelligitur de reductione quæ fit directo ductu, vel incommodo mediata vel immediata.

TRANSITIO.

Hanc poſtremã regulam Ariſtoteles in ſuo cõtextu abunde declarat, tamen vt eius verba facilius intelligantur, vberioremq́; capiant iuniores vtilitatem ex iã recitatis regulis, dicemus paucis

de ſyllogiſmorum reductione,præſertim imperfectorum ad perfectos.

## DE DIRECTA *reductione.*

*Quando dicitur ſyllogiſmus reduci directò?*

Reducitur ſyllogiſmus directò,quando per cōuerſionem tantū,aut per cōuerſionem cum præmiſſarum tranſpoſitione,reuocatur ad aliū ſyllogiſmum & ita eius oſtenditur firmitudo. Ad poſteriorem partem pertinent ſyllogiſmi quatuor modorum,vtpote Fapeſmo & Friſeſomorum in prima figura.Cameſtres in ſecunda,& Diſamis in tertia:Reliqui omnes ( exceptis Baroco & Bocardo,qui nō reducuntur directo ductu ſeu oſtēſiuè) imperfecti ad priorem.

*Explica latiùs quo modo fieri debeat iſta reductio directa.*

Quo pacto vnuſquiſq; modus imperfectus ſit directò reducendus ad modum aliquem perfectū, facillimo compendio docent conſonantes literæ in Latinis modorum nominibus:& ſunt 7.B.C.D F.M.P.S.

Nam omnem modum aliqua harum quatuor primarum literarum inchoat,ſignificans, ipſum, ſi imperfectus fuerit, ad eum perfectum modum reduci debere directò,qui ab eadem litera initium ſumit.Vt omnes ſyllogiſmi imperfecti,(qui directò reduci poſſunt,)quorum eſt prima conſonās B,reuocantur ad Barbara.

Quorum verò(C)ad Celarent.
Quorum verò(D)ad Darij.
Et quorum(F)ad Ferio.

Alibi

Alibi verò positæ eædem consonantes, nullam habent hac in re significationem.

Nisi quòd (C) in medio posita indicat eum modum non directò posse reduci, sed incōmodo tātum: quod in solis Baroco & Bocardo vsu venit.

Inter reliquas verò consonantes (P) designat in reductione propositionem eam, quæ per vocalem præcedentem intelligitur, per accidens esse conuertendam.

S vero indicat conuersionem simplicem eius propositionis quæ significatur per præcedentem vocalem.

M autem vbicunq; ponatur, transponendarum præmissarum est signum.

His diligenter obseruatis, facilè erit quemlibet imperfectum syllogismum directò reducere ad primæ figuræ euidentes modos, si modo diligens accedat exercitatio.

Intelligenda autem sunt quæ iam diximus de syllogismis qui ex medio communi constant.

Si enim medium fuerit singulare, non possent per eiusmodi cōuersiones reduci, ad aliquem modorum quatuor principalium primæ figuræ, sed ad expositorium quempiam syllogismum primæ vel tertiæ.

Ratio autem cur Baroco & Bocardo nequeant directò seu ostēsiuè perfici est, quia si id fieret, cōponendus esset syllogismus primæ figuræ ex ambabus particularibus præmissis, aut conuertenda esset particularis negans in vniuersalem, quę sunt absurda.

*Quis est vsus huius reductionis directæ?*

Vno exemplo illud ostendemus.

Si

Si quis inficietur ſyllogiſmū in Ceſare eſſe firmam conſequentiam, propterea quod is obſcurè colligat, ita eſt redarguendus: Prçmiſſæ in Ceſare inferunt prçmiſſas diſpoſitas in Celarent: ſed hç præmiſſæ efficaciter colligunt eam cōcluſionē, quæ prius in Ceſare inferebatur, ergo & præmiſſç eius modi, qui dicitur Ceſare, neceſſariò inferebāt concluſionem ſuam. Nam quidquid ſequitur ex conſequente firmç alicuius conſequentiæ, id ſequatur neceſſum eſt & ex antecedente eius. Quod in hoc ſyllogiſmo euidentiſsime oſtendi poteſt.

Nullus homo eſt quadrupes, &
Omnis aſinus eſt quadrupes, ergo
Nullus aſinus eſt homo.

## DE REDVCTIONE SYLlogiſmorum per incommodū, quæ locū habet in omnibus ſyllogiſmis imperfectis.

### *Quid eſt reductio per incommodum?*

Reductio per incommodum eſt, qua ſyllogiſmi probantur eſſe legitimi, eò quod ex contradicente concluſionis cum altera præmiſſarū, infertur in modo euidenti contradictorium alterius præmiſſæ vel contrarium.

Exempla ex ſequentibus manifeſta erunt.

### *Vnde accipit iſta reductio ſuum robur?*

Ex hoc axiomate:

Omnis ea conſequentia firma eſt, ex cuius cōſequentis oppoſito cum altera antecedentis parte (ſi plures ſint) neceſſariò infertur contrarium, vel contradictorium reliquç partis antecedentis. Vel breuius & clarius his verbis: Omnis illa cōſecutio

cutio firma est, in qua consequentis falsitas necessario concludit antecedentis falsitatem.

*Quis est vsus reductionis per incommodum?*

Hac reductione cogitur is, qui pertinaciter negauerit syllogismum aliquē imperfectū, esse legitimam consequentiā, concedere duo contradictoria aut contraria esse simul vera: quod fieri nō potest, facitq; contra communem sensum & primū logicæ principium.

Et ob id hæc reductio per incommodum vocatur, quod aduersarium ad id quod incommodum est atque impossibile concedēdum, compellat.

Vt si neges hunc syllogismum in Cesare recte concludere:

Nulla planta est animal, &
Omnis homo est animal, ergo
Nullus homo est planta.

Necesse est concedas antecedens posse esse verum, cōsequente falsō. Esto igitur ita, Quare erit contradictorium consequētis verùm, Aliquis homo est planta. Et cum vtraq; præmissa illius syllogismi etiam per te vera sit, accipiam alterā scilicet propositionem, conficiēs hunc syllogismum in Ferio.

Nulla planta est animal, &
Aliquis homo est planta, ergo
Aliquis homo non est animal.

Hic syllogismus euidens est, quare illum negare non potes. Antecedens autem totū est à te cōcessum, quare & consequens confitearis necesse est: hoc autem contradicit assumptioni ipsius syllogismi imperfecti, quam etiam dicebas verā esse. Cogeris ergo velis nolis, contradictorias duas admit-

admittere esse simul veras, aut fateri in Cesare factum prius syllogismum, fuisse consequentiam necessariam.

Inter modos imperfectos ab Aristotele cõmemoratos, duo tantum sunt, qui hanc solam reductionem recipiunt, qua perficiantur, nempe Baroco & Bocardo, Reliquę verò omnes duplici ratione possunt perfici, directo videlicet, & ea quæ est per incommodum.

## DE CONTINGENTI.

*Quomodo definit Aristoteles contingens?*

Ex c. 12. * Contingens est id, quod non est necessarium, quoq; posito nihil sequetur incommodi.

*Cuiusmodi contingens hic definis?*

Rem contingentem, hoc est, quę neque est necessaria, neq; impossibilis, sed potest esse, & etiam potest non esse, vt hominẽ canescere, animal ambulare, & similia: nam his exẽplis Aristoteles vtitur.

*Explica latius iam recitatam contingentis definitionem.*

Contingens est res, quæ cùm non sit necessaria nullum tamen, si esse cõcedatur, sequetur impossibile Hac postrema definitionis parte excluduntur impossibilia, vt chimęram esse, hominem esse equum. Nam ex omni & solo impossibili, rectè sequitur aliud impossibile. Priori autem definitionis parte res necessarias excludimus, vt Deum esse, cælum moueri.

Est ergo contingens mediũ quiddam inter necessa-

cessarium & inter impossibile:quod per vtriusque extremi negationem recte definitum est,& est res non modò iam subsistens,verumetiam quæ esse possit.

Dicitur enim nō minus de his,quæ futura sunt: vel cùm nunquam sint futura,possunt tamen esse,quam de illis quę iam existunt, & interire possunt.

*Ad intelligendam illam sententiam Aristotelis, cū inquit,omnes propositiones ex cōtingenti nō negato in oppositam qualitatē conuerti,declara paucis, quid sit conuersio in oppositam qualitatem.*

*Cōuersio in oppositam qualitatem est,quando ex aiente propositione infertur negās eiusdē subiecti & prædicati,cæteris omnibus nihil mutatis, nisi quod ex vniuersali antecedente, liceat inferre speciale consequens.*

Est autem hæc conuersio necessaria consequētia;sed in solis & omnibus propositionibus ex cōtingenti locum habet,siue modus affirmetur,siue negetur,hoc obseruato,vt eodē modò affectus sit modus in antecedente,& cōsequente,vt sequitur.

Omnem hominem contingit esse album, ergo
Omnem hominem contingit non esse album.
Non contingit cælum quiescere,ergo
Non contingit cælum non quiescere.

Si aliter & aliter afficias modum non sequitur:
Omnem hominem contingit currere, ergo
Omnem hominem non contingit currere,
Hoc est annotandum:Propositiones ex cōtingenti

genti non negato, proprie esse ex contingenti, & exponi per possibile & possibile non. Illas verò quæ cōtingēs negatum habent, voce quidem esse ex contingenti, secundum sensum vero ex impossibili & necessario Unde sensus huius. Nō cōtingit cęlum quiescere, est iste, Necessario cælum quiescit, vel impossibile est cęlum quiescere. Huius autem, Hominem contingit sedere, sensus est, Homo potest sedere, & potest non sedere. Vbi amplius considerandum est, propositiones ex cōtingenti non negato exponi per copulatiuam coniunctionem, ex negato vero, per disiunctiuam.

*Quis est vsus huius tractatus de contingenti?*

Eo adduxit tractationem contingentis Aristoteles, quia syllogismos, qui constant propositionibus ex contingenti conficere docebit, qualis est hic perfectus primæ figuræ:

Omne album contingit esse nigrum, &
Omnem parietem contigit esse albū, ergo
Omnem parietem contingit esse nigrum.

TRANSITIO.

Quoniam huiusmodi syllogismorū rarior vsus est, idcirco accuratiorem eorum conficiendorum rationem ex Aristotele petendam relinquentes, ad alia properemus.

## DE PRÆSVPPOSITIS *& Theorematibus quibusdam.*

Quatuor sunt regulæ syllogismorum, ijs quæ paulo superius expositæ sunt non multū dissimiles, quas præsupposita vocare solent, quod his veluti quibusdam principijs vsus sit sæpius Aristoteles.

Quæ

*Quæ est prima regula seu primum theorema?*

*Omnem syllogismum in aliqua trium figurarum fieri oportet.*

*Quod est secundum?*

*Amplius, in omnibus syllogismis aliquã propositionem aientem esse oportet: & aliquid vniuersè et in totum conuenire.*

*Quod est tertium?*

*Perspicuum est, omnẽ syllogismum tribus terminis, & non pluribus constare,*

*Quod est quartum.*

*Quædã propositiones facilius, quædã verò ægrius vel probantur, vel refelluntur.*

*Explica breuiter quæ ad hæc præsuppposita (vt vocant) rectè intelligenda, scitu necessaria sunt.*

Omissis duobus primis tanquam notis, circa tertium aduertendum, debere ipsum intelligi de syllogismo absolutè vno & non aucto: Interdum enim in syllogismis adijcitur maiori propositioni aut assumptioni alia propositio, velut ipsius probatio & confirmatio, quæ nouum syllogismũ secum adfert, antequam ad conclusionem veniatur.

Et hic vocatur syllogismus auctus, eò quòd augeatur aliqua propositione vltrà consuetam syllogismi formam, vt si quis ita ratiocinetur.

Omnis homo est capax disciplinæ, quia omne animal rationale est capax disciplinæ, & Ioannes

est homo,igitur Ioannes est capax disciplinæ.

Circa quartum præsuppositum aduertēdum, illam propositionum ægrius syllogismo probari, quæ in paucioribus figuris & modis concludi potest: illam autem facilius,quæ in pluribus figuris, aut modis inferri potest.

Atq; hinc clarum est,inter omnes propositiones generalem aientem omnium difficillimè syllogismo probari.Solùm enim in prima figura, & in vnico modo potest concludi.

At specialis negans in omnibus figuris concluditur.Omnium igitur facillime syllogismo probatur.

Sicut autem vniuersalem affirmantem probare est difficillimum,& specialem negantem probare facillimum,ita econtrariò vniuersalem affirmantem euertere est facillimū:difficillimum autem confutare specialem negantem.

Illa enim propositio confutatur facilius, cuius falsitas potest pluribus modis,siue per plura ostēdi.

Illa verò difficilius,cuius falsitas per pauciora monstrari potest.

Vniuersalis autem aiens cōfutatur, & per vniuersalem negantem sibi contrariam, quæ in duabus figuris syllogismo concluditur:& per specialem negantem contradictoriam, quæ in omnibus.

Specialis autem negans non confutatur nisi per vniuersalem aiētem,quæ vnica figura,& vnico modo potest concludi. Illa igitur facillimè confutatur,hæc difficillimè. Vniuersalis autem negans & specialis aiens medio modo se habent,

quan-

quantum attinet ad probari & confutari, vt ex ijs quæ iam dicta sunt facillimè intelligitur: ipseque Aristoteles non obscure significauit, quando huius quartæ regulæ declarationem cõcludit: cuius ,,verba non grauabimur hic cõmemorare. Omni- ,,nò (inquit) intelligendum est, generales & spe- ,,ciales propositiones alias alijs refelli, vt genera- ,,les specialibus, & speciales generalibus. Confir- ,,mari autem specialibus generales non possunt: ,,speciales generalibus possunt. Illud etiam per- ,,spicuum est, facilius esse refellere quid, quàm ,,probare. Ac quemadmodum quidem omnis ra- ,,tiocinatio cõficitur, quodq; ex verbis & propo- ,,sitionibus cõstat, & quam inter se rationem ha- ,,bere debent, prætereà quæ in quaq; forma quæ- ,,stio, & quæ in pluribus, quæque in paucioribus ,,probantur, ex ijs quæ dicta sunt, intelligi potest.

## DE RESOLVTIONE

Postquam syllogismorum σύνθεσιν seu cõpositionẽ absoluit Aristoteles, ἀνάλυσιν, seu dissolutionem eorum in propositiones & terminos tractat, cuius verba, quia pauca sunt, & nulla difficultate inuoluta, in hunc modum transferre operæprecium duximus.

### DE SYLLOGISMORVM ANAlysi in propositiones.

,, *Primum (inquit) dãda est opera, vt duas ratioci- ,,nationis propositiones retexamus, propterea quòd ,,facilius est in maiores partes quid diuidere, quàm ,,in minutas.* *Ex ca. 32*

*V 2 Dein-*

„ *Deinde videndum est, vtra ad totum genus, vtra*
„*ad partẽ accommodetur. Quod si vtraq; sumpta*
„*no sit, ipse alteram debebit ponere. Interdũ enim*
„*nec ij qui scribũt, nec ij qui disputant, proposita ea*
„*quæ de vniuerso genere est, eam quæ in hac intelli-*
„*gitur, assumunt: aut si has sumãt, at eas certè qui-*
„*bus hæ concluduntur, prætermittunt.*

„ *Obseruandum est autem num quid, quod redũ-*
„*daret, sumptum sit, & num quid prætermissum,*
„*quod necessarium esset, quorum hoc quidem sumẽ-*
„*dum est, illud detrahendum, quòad ventum sit ad*
„*duas propositiones. Neq; enim sine his ratiocina-*
„*tiones hoc pacto rogatæ redigi possunt.*

## DE ANALYSI IN VERBA
### siue terminos.

„ *Ac tum demũ (inquit) in verba tria simplicia se-*
„*candæ sunt ratiocinationes. Mediũ autem verbũ*
„*id cõstituendum est, quod in vtraq; propositione*
„*ponitur: quippe cum in omnibus collocandæ ratio-*
„*cinationis formis necessum sit medium verbũ ab*
„*vtraq; propositione contineri. Ac si tum dicat me-*
„*dium verbum, tum dicatur, aut ipsum dicat, alte-*
„*rum autem ei negetur cõuenire, prima erit forma*
„*collocationis. Sin aiat et dicatur et negetur alicui*
„*conuenire, media erit. Si verò alia de eo dicantur,*
„*aut vnum ei conuenire negetur, alterum dicatur*
„*erit extrema. Similis est ratio, si non in totum*
aiant,

„*aiant,aut negēt propositiones, eadē enim medij*
„*verbi dispositio est. Perspicuū est igitur argumen-*
„*tationem eam,in qua idē verbū sæpe non dicitur,*
„*quòd medium verbum non sit sumptum, non esse*
„*habēdam ratiocinationem. Quoniam autem quæ*
„*in quaq; forma quæstio cōcludatur, intelligimus,*
„*in qua vniuersum genus,in qua eius pars:perspi-*
„*cuum est,non esse obseruandas omnes formas col-*
„*locationis,sed eam demū,quæ cuiusq; quæstionis*
„*ac rei propositæ erit propria. Quæ autem pluribus*
„*dispositionis formis concludantur,ex medij verbi*
„*collocatione formam intelligemus.*

Hæc pauca satis per se clara ex Aristotele seligere ac referre libuit: quòd his, vt ille ait, confirmabuntur ea quę suprà dicta sunt, & plurimum hæc consideratio facit ad rectè de syllogismis iudicandum.

## DE SYLLOGISMO
### *ex obliquis.*

ILlos tantùm syllogismos formare docuimus hactenus, in quibus termini omnes recto casu efferebantur. Porrò nunc de illis, qui vnum vel plures in casu obliquo positos habēt, quomodo possint concludere, non inutiliter aliqua dixerimus.

*Quænam sunt potißimum obseruanda in conficiendis syllogismis ex obliquis?*

In primis hoc non est ignorandum, in syllogismo ex obliquis eam vsu venire differentiam, vt nunc medium, nunc extremorum alterū, in obli-

quo ponatur, ex qua re non parua quoq; varietas in concludendo contingit.

Quando enim alterum extremorũ obliqui casus est in præmissis, similiter esse debet & in conclusione: vt,

Omne iumentum est hominis, &
Omnis asinus est iumentum, igitur
Omnis asinus est hominis.

Hic primum verbum vtrobiq; in obliquo ponitur:

Cùm autem ita syllogismum conficio:

Omnis asinus est animal, &
Petri est asinus, igitur
Petri est animal.

Postremum verbũ vtrobiq; similiter ponitur.

Cùm verò medium in obliquo ponitur, tunc maior est adhibenda cautio, vt rectè concludatur.

Interdum enim medium in maiori tantùm ponitur obliquè, interdum in assumptione tantùm, interdum vtrobiq;.

Exemplum primi modi:
Omnis hominis est asinus, &
Petrus est homo, igitur
Petri est asinus.

Exemplum secundi:
Omnis homo est animal, &
Asinus est hominis, igitur
Asinus est animalis.

Exemplum tertij:
Nullus leo est hominis, &
Omnis asinus est hominis, igitur
Nullus asinus est leo.

Fiunt

Fiunt quoq; syllogismi ex omnibus obliquis, quod facile est exemplis declarare.

Ad recte autem concludendum ex obliquis potiùs consulendus est intellectus, quàm regularum multarum traditio exquirenda.

# DE REGVLIS CONSEQENTIARVM.

TRadit Aristoteles in fine primi priorum Analytic. quatuor consequentiarum regulas, præmittens initiò se loqui de oppositis contradictorijs, quorum vtrumq; simul in eadem re nunquã dici potest, in omni autem necessario alterutrum dicitur.

*Quæ est prima regula consequentiarum?*

*Si ex antecedente sequitur consequens, ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.* Ex c. 42.

Vt si sequitur, Homo est, ergo animal est: etiam sequetur, Non animal est, ergo non homo est. Item, si homo est, non equus est, ergo si equus est, non homo est.

*Quid vocat hoc loco Aristoteles antecedens & quid consequens?*

Antecedens vocat terminũ inferentem qui affectus est ad consequens vt minus commune, aut reciprocum. Consequens veró terminũ illatum, qui est magis commune, aut reciprocum.

*Quæ est secunda regula?*

*Ex opposito antecedentis, non necessariò sequitur oppositum consequentis.*

Vt quamuis ſequitur, Homo eſt, ergo animal eſt: non tamen neceſſe eſt ſequi, Nõ homo eſt, ergo non animal eſt.

*Quæ eſt tertia?*

*Conſequens & oppoſitũ antecedentis, eidem conuenire poſſunt.*

Idem enim leo, & animal eſt, & non homo.

*Quæ eſt quarta?*

*Antecedens & oppoſitum conſequentis, nõ conueniunt eidem.*

Vt, non poſſunt vlli ſimul conuenire, homo & non animal.

*Quomodo hæ quatuor regulæ quas iuxta ſententiã Ariſtotelis de vocibus ſimplicibus expoſuimus, propoſitionibus accommodantur?*

*Prima regula ſic accommodatur?*

*Cõtradictoria cõſequentis firmæ conſequentiæ, ſemper infert contradictoriam antecedentis.*

Vt quia ſequitur, Aliquis homo eſt bipes, ergo aliquod animal eſt bipes, neceſſarium eſt vt etiam ſequatur, Nullum animal eſt bipes, ergo nullus homo eſt bipes.

Quòd ſi propoſitione quæ aliter quàm contradictoriè opponitur vtamur, infirma erit illatio. Nam ad contrariam vel ſubcontrariam cõſequẽtis, non neceſſe eſt ſequi contrariam vel ſubcõtrariam antecedentis, quod non eſt difficile exẽplis commonſtrare.

Secun-

*Secunda verò sic:*

*Ex contradictoria antecedentis, non est necesse sequi contradictoriam consequentis,*

*Tertia ad hunc modum:*

*Consequens et contradictoria antecedentis, possunt simul esse vera.*

*Et quarta ad hunc modum:*

*Antecedens & contradictoria consequẽtis, nunquam possunt simul esse vera.*

Exempla sunt in promptu.

TRANSITIO.

Hactenus de prima parte libri nostri quarti. Nunc ad secũdam eius partem ex 2. priorum Aristotelis transeamus.

# LIBRI QVARTI PARS SECVNDA, EX *secundo Priorum Aristotelis.*

## DE SEXTVPLICI SYL-*logismorum facultate.*

PRæcedente parte huius libri, ex suis principijs syllogismos formare docuimus, & in eadem resoluere: hac verò parte agetur de sextuplici syllogismorum potestate, & tribus eorum vitijs, adhibita etiam consideratione aliarum formarum argumentationis, quatenus tanquam imperfectiores, ad syllogismum, vt magis perfectum & firmum reducuntur.

Primùm igitur agit Aristoteles de sex syllogismorum facultatibus, quæ tamen non omnibus conueniunt, vt ex sequentibus planum erit.

*Quot sunt syllogismorũ potestates in hoc tractatu ab Aristotele commemoratæ?*

Sex, videlicet facultas:
- Plura concludendi.
- Colligendi ex falsis verũ, nõ cõtrà.
- In orbem probandi.
- Per conuersionem concludẽdi, aut
- Incommodo vrgendi. &
- Ex contrarijs siue oppositis ratiocinandi.

*Quot modis contingit vnum eundemq́; syllogismum plura concludere?*
*Quatuor modis.*

*Quis*

*Quis est primus modus?*

*Syllogismus concludens vniuersalem, siue affirmantem, siue negātem, etiam cōcludere potest specialem illi subiectam.*

Sed huius nō meminit Aristoteles, ob nimiam eius facilitatem: Et isto modo solùm syllogismi vniuersales, id est, cōclusionem vniuersalem habentes concludunt plura.

*Quis est secundus modus?*

*Syllogismus quilibet potest concludere eam vel eas propositiones, in quas sua conclusio conuertitur.*

*Qua ratione nititur iste modus?*

Hic modus vnà cum primo, nititur hoc axiomate. Quidquid sequitur ex consequente firmæ consequentiæ, idem & ex antecedente eius sequitur. Et ita omnes syllogismi & soli, conclusionem habentes, quæ conuerti potest simpliciter, vel per accidens, concludunt plura.

*Quis est tertius modus?*

*Tertius modus plura cōcludendi est, per assumptionem sub medio.*

Vt si detur hic syllogismus.

Omne animal habet sensum, &
Omnis homo est animal, ergo
Omnis homo habet sensum,

Sic subsumuntur sub eodem medio plura minora extrema.

Omne animal habet sensum, &
Omnis equus est animal, ergo
Omnis equus habet sensum.

RVR-

RVRSVS.

Omne animal habet ſenſum, &
Omnis bos eſt animal, ergo
Omnis bos habet ſenſum, & ſic de cæteris.

Et iſto pacto omnes in vniuerſum ſyllogiſmi ex medio communi, cuiuſcunque figuræ ſint aut modi, poſſunt concludere plura.

*Quis eſt quartus modus?*

*Quando ſub concluſionis ſubiecto fit aſſumptio.*

Hoc eſt, ſub ipſo minore extremo, quod in concluſione accipitur vniuersè. Vt dato hoc ſyllogiſmo,

Omne viuens nutritur, &
Omne animal eſt viuens, ergo
Omne animal nutritur.

Fiet ſub concluſionis ſubiecto, ad hunc modum ſubſumptio:

Omne animal nutritur, &
Omnis homo eſt animal, ergo
Omnis homo nutritur.

RVRSVS.

Omne animal nutritur, &
Piſcis eſt animal, ergo
Piſcis nutritur, etc.

Et iſto modo ſolùm vniuerſales, id eſt, habentes concluſionem vniuerſalem, poſſunt concludere plura.

*Quod eſt diſcrimen inter hunc quartum modum & tertium? Duplex eſt.*

PRIVS.

Hæc ſumptio ſemper fit in prima figura, vt apud Ariſtotelem videre licet, & hac ratione iſte

modus

modus differt à præcedente, qui poteſt etiam in alijs figuris fieri: vt ſi ſubſumam ſub medio in Ceſare aut Feſtino plura extrema, & permaneam in eodem modo.

ALTERVM DISCRIMEN EST.

Quod ſecundum hunc quartum modum concluſiones poſteriores ducuntur ex propoſitione antè probata: hoc eſt, priore ſyllogiſmo cōcluſa: non autē neceſſariò id fit iuxta tertium modum.

### *Quomodo vnus idemq́ ſyllogiſmus plura concludere poteſt?*

Meritò dubitare poſſet quiſpiam, quomodo & qua ratione in hiſce quatuor modis dicamus ſecundum Ariſtotelem, vnum eundemq́ ſyllogiſmum plures inferre concluſiones, cùm reuerà, vbi plures ſunt concluſiones, plures quoque ſint ſyllogiſmi.

Ad quod reſpondemus, ſyllogiſmū plura concludentem eſſe vnum & eundē numero, nō quòd vnus ſyllogiſmus idem numero, plures concludat concluſiones actu & expreſsè, hoc enim fieri non poteſt, ſed quod vnus & idem ſyllogiſmus numero implicitè & vi ſua cenſeatur cōcludere omniū ſyllogiſmorum concluſiones, quæ ratione termini in eo diſtributi, vel plurium terminorū diſtributorum, ex eius præmiſſa aliqua vel concluſio-poſſunt inferri, vt hic ſyllogiſmus:

Nullum animal eſt planta,
Omne brutum eſt animal, ergo.
Nullum brutum eſt planta.

Concludit plura poteſtate, quia complectitur virtute etiam hūc ſyllogiſmum, per ſubſumptionem ſub medio diſtributo:

Nullum

Nullum animal est planta.
Omnis homo est animal, ergo
Nullus homo est planta.

Et hunc per subsumptionem sub subiecto conclusionis distributo:

Nullum brutum est planta,
Omnis equus est brutum; ergo
Nullus equus est planta.

Et quotquot similiter per subsumptionem singularium sub medio aut subiecto conclusionis possunt fieri noui syllogismi.

## *Vtrum vnus idemq́ syllogismus possit perspicuè & obscurè concludere.*

Concedimus quidem vnum eundemq́; numero syllogismum ita diuersas cõclusiones concludere, sed non eandem conclusionem. Quod in Felapton declarari potest.

Nam concludit suam conclusionem obscurè, idque expressè, aliam autem implicitè concludit perspicuè, vt hic syllogismus in Felapton:

Nullum animal est lapis, &
Omne animal est corpus, ergo
Aliquod corpus non est lapis.

Concludit obscurè actu siue expressè, sed implicitè & virtute medij distributi concludit hanc perspicuè in Celarent:

Nullum brutum esse lapidem, dum sic subsumam sub medio:

Nullum animal est lapis, &
Omne brutum est animal, ergo
Nullum brutum est lapis.

Similiter hanc concludit,

Nullus

Nullus equus est lapis,& tot alias, quot species sub animali subsumere licet.

*Quis est vsus huius facultatis?*

Hęc potestas pulchrè declarat,quàm multi syllogismi alij,vnico syllogismo sint comprehensi, & quòd vno concesso, omnes illi quoq; concessi habeantur. Nam quidquid legitimè inferri potest,ex ambabus præmissis,aut ex conclusione alicuius syllogismi concessi, imò etiam ex maiori propositione,facta subsumptione alicuius rei quę continetur sub medio, id vniuersum censetur ex ipso syllogismo ostendi, & in priori syllogismo concessum esse.

## DE SECVNDA FACVLtate syllogismorum.

*Quibus verbis referri solet ex Aristotele ista secunda syllogismorum facultas?*

Ex veris non potest falsum effici: at verò ex falsis verum potest effici:sed nõ à caussa,sed solùm ab effectu. *Ex cap.2 3.& 4.*

*Quid sibi vult quod addit Aristoteles(sed non à caussa,sed ab effectu?)*

Hoc est, contingit ex falsis concludere verum non quòd falsitas præmissarum sit caussa veritatis cõclusionis,hoc enim fieri nõ potest,sed quia videlicet,syllogismus ille ex falsis verum concludens,constat talibus extremis,quæ,cùm ipsi medio non verè iungantur in præmissis, tamen sibi mutuò verè possunt in conclusione connecti.

Et istam esse Aristotelis sentẽtiam, planum est ex

eò

„eo quod addit: Conclusio enim vera non est
„propter præmissarum falsitatem.

*Quis est vsus huius potestatis?*

Munit hæc potestas respondentes, firmatq́; iuniorum iudicia: ne videntes cõclusionem veram esse, & esse necessariam consequentiam, arbitrentur statim & antecedens verum fuisse, cùm circa hoc magna accidat varietas.

Nam verum non solum ex vero, sed etiam ex falso legitimè colligitur. Exempli gratia, ex vtraque præmissa falsa, verum concluditur in Barbara, hoc modo:

Bar Omne animal est arbor, &
ba Omnis pyrus est animal, ergo
ra Omnis pyrus est arbor.

Formam argumentandi certissimam & planè perfectam videre licet qua nõ possit esse euidentior: ambæ autem præmissæ manifestam habent coniunctam falsitatem: conclusione tamen nihil est verius, cùm in ea genus de specie dicatur.

*Ex altera falsa, verum.*

Da Omne animal est homo, &
ri Aethiops est animal, ergo
i Aethiops est homo.

Quandoque verò ex ambabus vel altera falsa, etiam infertur conclusio falsa, vt liquet in his syllogismis:

Da Omnis homo est asinus, &
ri Lapis est homo, ergo
i Lapis est asinus.
Item, omne corpus est animal,
Lapis est corpus, ergo
Lapis est animal.

Vtrum

*Vtrùm ista potestas concludendi ex falsis verum soli syllogismo conueniat?*

Certum est hanc syllogismi potestatem cõcludendi ex falsis verum, item superiorem, videlicet plura concludendi, non soli syllogismo cõuenire. Est enim regula generalis, & axioma certissimum, ex veris nunquam posse nisi verum inferri, in quacunq; argumentatione firma. Ex falsis autem inferi verum, nihil prohibet, iuxta versiculum vulgatum:

*Ex falsis verum est, ex veris nil nisi verum.*

Imò nec omni syllogismo potestas hæc conuenit: non enim illi, qui præmissas veras habet: nec item illi, qui ex falsis falsum concludit.

## DE TERTIA FACVLtate *syllogismorum.*

*Quid est iuxta Aristotelis doctrinam, in orbem probare?*

Est per conclusionem & cõuertentem alterius præmissæ, concludere reliquam. *Ex c.5 6.& 7*

*Quid est in orbem probare?*

*Probare in orbem, nihil aliud est, nisi conclusione & altera propositione sumpta & cõuersa, reliquam cõcludere, quæ sumpta fuit in altera ratiocinatione.*

Cuius exẽpla in explicatione vsus proferũtur.

*Quis est vsus syllogismi in orbẽ facti?*

Plurimum commodi adfert orbicularis syllogismus (qui in solis terminis reciprocis locũ habet) tum demonstratori, tum dialectico, ad probandam alteram syllogismi alicuius præmissam

à respondente negatam, altera concessa. Vt facta hac demonstratione physica:

Bar Omne conflatum ex materia & forma, est mobile, &
ba Omne corpus est conflatum ex materia & forma, ergo
ra Omne corpus est mobile.

Si à discente nō admittatur propositio, in orbem sic ostendetur:

Bar Omne corpus est mobile, &
ba Omne conflatum ex materia & forma, est corpus, ergo
ra Omne conflatum ex materia & forma, est mobile.

Si à discente assumptio non admittatur, in orbem sic ostendetur:

Bar Omne mobile est conflatum ex materia & forma
ba Omne corpus est mobile, ergo
ra Omne corpus est conflatum ex materia & forma.

Sed his de rebus plus satis, quæ in vulgarem disputationem vix vnquam incidunt.

## DE QVARTA FACVLTATE.

*Quid est secundum Aristotelem conuertere syllogismum?*

Ex ca.8. 9. & 10. * „*Conuertere est, conuersa conclusione conficere „ratiocinando, vel postremum verbum medio, vel „hoc postremo non conuenire.*

Hoc est, falsam ostendere præmissam.

*Quid est igitur syllogismus cōuertēs seu cōuersiuus?*

Est.

*Eſt,qui ex contradictoria vel cõtraria concluſionis prioris ſyllogiſmi cum altera præmiſſarũ,interimit reliquã,hoc eſt,infert contradictorium vel contrarium præmiſſæ relictæ?*

*Cur hic ſyllogiſmus vocatur conuertens?*

Eò quòd alteram prioris ſyllogiſmi præmiſſam in oppoſitam conuertat qualitatem, hoc eſt, eam infert concluſionem , quæ cum altera præmiſſarum in qualitate pugnat:Exempli gratia huius ſyllogiſmi in Barbara:

Omne corpus eſt animal,
Omnis ſpiritus eſt corpus,ergo
Omnis ſpiritus eſt animal.

Propoſitio ſic interimitur per ſyllogiſmum conuertentem.

Nullus ſpiritus eſt animal,
Omnis ſpiritus eſt corpus,igitur
Aliquod corpus non eſt animal.

Hic ſumitur contrarium concluſionis.Sufficeret tamen ſumere contradictoriũ , ad eandẽ concluſionem inferendam in Bocardo.

Aſſumptio autẽ, ſeruata eadem propoſitione, ſic interimitur per ſyllogiſmum conuertentem in Baroco:

Omne corpus eſt animal,
Aliquis ſpiritus non eſt animal,igitur
Aliquis ſpiritus non eſt corpus.

*Quis eſt vſus ſyllogiſmi conuertentis?*

Conuertente ſyllogiſmo vtimur, ad euertendã ratiocinationem oppugnantis,oſtenſa falſitate alterius præmiſſæ, etiamſi altera præmiſſa integra ſeruaretur,veraq́; poſsit haberi.

# DE QVINTA FACVLTATE.

*Quid est syllogismus qui ad incõmodum ducit?*

*Ex ca 11. 12.13. & 14.* EST syllogismus, qui ex contradicente enuntiationis veræ cum altera præmissa manifestè vera, colligit conclusionem apertè falsam, ex cuius falsitate regressus fit, ad interimendum enuntiationis veræ cõtradictorium assumptum, vt denique statuatur veritas propositionis veræ priùs negatæ.

Verbi caussa, si hæc negetur: Homo est risibilis, cõuertatur ipsa in oppositam qualitatem, hoc est, accipiatur eius contradicens, & constituatur hunc in modum δι' ἀδυνάτου syllogismus:

Omne animal rationis capax est risibile, at
Nullus homo est risibilis,
Nullus igitur homo est animal rationis capax.

Conclusionem palàm est esse falsam, quare & præmissarum alteram necesse est esse falsam. Eiusmodi autem non est maior, cùm ipsius veritas sit manifesta, ergo falsa erit hæc minor. Nullum hominem esse risibilem: & proinde per legem contradicentium colligendum est, verum esse, hominem esse risibilem, quòd priùs negatum erat.

*Quot sunt discursus in syllogismo incommodo vrgente?*

Manifestũ est quatuor esse discursus, quorum primus est syllogisticus, Reliqui autem tres sunt enthymematici. Primò enthymematico discursu, ex conclusionis falsitate, colligitur alterius præmissæ falsitas: Secũdò, huius vel illius premissæ falsitas, ex aperta veritate præmissæ simul assumptæ.

 Ter-

Tertiò verò, veritas propositionis veræ, in initio negatæ, ex falsitate suæ contradicentis infertur, adhibita contradicentium lege.

*Quis est vsus huius facultatis?*

Ex ijs quæ modò dicta sunt, planũ est, ad quem vsum valeat syllogismus ad incommodũ impellens: nempe ad cõfirmandam veritatem propositionis veræ, priùs alicui propositæ, ac ab ipso negatæ.

## DE VLTIMA FACVLTATE.

*Quis syllogismus ex contrarijs siue oppositis concludere dicitur?*

EX oppositis is dicitur cõcludere syllogismus, in quo ex præmissis cõtrarijs vel contradictorijs infertur conclusio, in qua negatur idem de se ipso. Vt in hoc syllogismo: *Ex ca. 15 16. & 17.*

Omnis homo est substantia, &
Nullus homo est substantia, igitur
Nullus homo est homo.

Ex contradictorijs sic:

Omnis homo est substantia, &
Aliquis homo non est substantia, igitur
Aliquis homo non est homo.

Interdum verò ex præmissis tantùm potestate & imperfectè contrarijs vel contradictorijs, proceditur ad conclusionem, in qua etiam potestate idem de seipso negatur.

Potestate autem oppositas præmissas appellãt, quando ex illis possunt per firmam consequentiam inferri ea quæ propriè & perfectè opponuntur, Vt cùm sic argumentamur:

Omne animal eſt ſubſtantia,&
Aliquis homo non eſt ſubſtantia,igitur
Aliquis homo non eſt animal.

Præmiſſæ non ſunt contradicentes, quoniam non habent idem ſubiectum. Inferunt tamen verè contradictorias,quoniam ſecunda illa, Aliquis homo non eſt ſubſtantia, rectè infert hanc, Aliquod animal non eſt ſubſtantia, quæ perfectè & propriè priori contradicit.

Item in concluſione,cùm dicitur, Aliquis homo non eſt animal, negatur poteſtate idem de ſeipſo, quoniam ex illa rectè infertur iſta, Aliquis homo non eſt homo, in qua expreſsè idem negatur de ſeipſo.

*Quis eſt vſus ſextæ poteſtatis ſyllogiſmi?*

Valet hic ſyllogiſmus ex oppoſitis contra eos, qui fortè vel per imprudentiam,vel per proteruiã admitterent duas propoſitiones oppoſitas vt minimum poteſtate.

Per illationem namq; talem,in qua idem negatur de ſeipſo,manifeſtiſsimè conuincuntur: quoniam ſicut non eſt propoſitio magis manifeſtè vera,quàm aiens illa in qua idem affirmatur de ſeipſo:ita non eſt vlla propoſitio tam perſpicuè falſa quàm illa,in qua idem de ſeipſo negatur.

## DE DEFECTIBVS *ſyllogiſmorum.*

DEfectuum & vitiorum,quæ in ſyllogiſmis & maximè circa illas poteſtates cõmitti ſolent, explicationem, ſuperiùs à nobis conſtitutus ordo,in præſentia poſtulat:quo circa nũc de ijs agemus ſuperfluiſque diligenter reſecatis, quæ ſcitu digna

digna videbuntur, quàm paucissimis fieri poterit, perstringemus.

*Quotuplices enumerantur apud Aristotelem syllogismorum defectus?*

*Triplices enumerantur.*

*Quod est primum vitium?*

„*Petere principium*. Quod tūc ait Aristoteles fie „ri, cùm res proposita minime docetur, vtpote cū per ignotiora concluditur, vel per æque ignota. Vt quando idem per seipsum probatur, & vniuerse, quandocunque antecedens conclusionem non probat. Vt in hoc syllogismo est petitio principij. Ex ca. 18

Omnis homo est homo, &
Omnis homo est homo, ergo
Omnis homo est homo.

Item in isto:

Omnis homo est capax disciplinæ,
Omne animal rationale est homo, igitur
Ome animal rationale est capax disciplinæ.

Conclusio enim est notior propositione, seu prima antecedentis parte.

*Quid iuuat nouisse istiusmodi vitium?*

Vt sedulò vitetur: neq; enim syllogismum tantum & orbicularem maxime, sed quamlibet vitiat argumentationem in qua committitur.

## QVOD EST SECVNdum vitium syllogismi?

Non ex hoc vel illo falsum effici. Ex ca. 19, & 20.

*Quando cōtingit istud vitium in syllogismo?*

Tunc contingere dicit Aristoteles, quando argumen-

gumentando falsitas conclusionis illatæ imputatur alicui propositioni in antecedente, quæ verè non est caussa quamobrem falsa sit conclusio.

Fitq; hoc in syllogismis illis, in quibus est aliqua antecedentis pars superflua, cuiusmodi est iste:

Brutum currit, &
Omne animal est homo, &
Omne brutum est animal, igitur
Omne brutum est homo.

Conclusio est falsa, igitur aliqua propositio antecedentis: non autem illa, Omne brutum est animal, igitur ista, brutum currit.

Hic manifestum est, falsitatē conclusionis imputari illi, quæ non est caussa, quoniam superflua est, & ea ablata æquè sequeretur falsa conclusio.

*Quam affert vtilitatem istius vitij cognitio?*

Continet admonitionem de vera caussa falsitatis conclusionis diligenter inuestiganda, maximè in ratiocinationibus, quibus incōmodo vrgemus.

## QVOD EST TERTIVM *vitium syllogismi?*

*Fallacia contrariæ opinionis*

*Quid est fallacia contrariæ opinionis?*

*Fallacia contrariæ opinionis, est assensus duorum* contrariorum vel contradicentium amborum in vniuersali, aut vnius in vniuersali, & alterius in propria forma; vt assensus harum duarum in propria forma. Omne animal est corpus, &; Nullum albū est corpus, qui est istarum in vniuersali, Omnis cygnus est corpus, &; Nullus cygn⁹ est corpus, quę sunt expresſè contrarię: nec non harum, Omni

nis cygnus est corpus:& aliquis cygnus nõ est corpus,quæ sunt contradictoriæ.

Item assensus harum in propria sua forma, omnis mula est sterilis,&, hæc mula est fœta aut grauida,secundũ quem assentitur quis duobus quodammodo contradictorijs, vni in propria forma & alteri in vniuersali.

## *Quid est propositioni alicui in vniuersali assentiri?*

Est illi assensum præbere,non expressè quidem sed tacitè,nimirũ per assensum alterius propositionis,ex qua ipsa necessariò sequitur,vt qui assentitur huic sibi propositæ, Nullum album est corpus, assentitur in vniuersali istis, Nullus cygnus est corpus,& Aliquis cygnus non est corpus.

## *Quid prodest hunc syllogismi defectum habere cognitum?*

Continetur & hic apprimè vtilis ad quamuis disputationem admonitio: monemur autem ne fallamur,néve simus in cõcedendis propositionibus præcipites & inconsiderati,sed proposita quæcũq; ea erunt,caute perpẽdamus, vt ne ad παλινῳδίαν tandẽ adigamur per syllogismos qui ex concessis propositionibus cõflantur,quemadmodum in sexta potestate syllogismorum facilè erat animaduertere. Vocatur enim hic error,seu fallacia,defectus syllogismorum,quia per syllogismũ talis error & defectus ostenditur. Cõstitutis enim syllogismis ex propositionibus vniuersalibus cõcessis,in quibus opinabatur quis cõtraria vel cõtradicẽtia in vniuersali,cõcludentur aperte eiusmodi opposita in propria forma,quibus cum nemo queat præbere assensum,videatq; quilibet il-

digi,& ad formam argumentandi perfectissimam redigi.

Eò igitur spectat argumentationum aliarum ad syllogismos reductio,vt intelligatur & perspiciatur earũ licèt sint imperfectæ, vis & efficacia non contemnenda.

### *Quam innuit Aristoteles inductionis definitionem in fine capitis?*

* Inductio est,quæ primum verbum medio per tertium conuenire docet. *Ex c. 23.*

Hoc est,inductio est argumentatio non syllogistica,in qua concluditur prædicatum de voce aliqua communi vniuersè sumpta,per hoc,quod idem prædicatum in antecedente omnibus singularibus illius vocis communis verè tribuitur.

### *De qua igitur inductione agit hic Aristoteles?*

Volunt Aristotelem hic nõ de omnibus inductionis formis,de quibus in topicis Tractari solet, differere,sed de ea tantùm,quæ est perfecta, probandi vim habens,aiens,& facta sub subiecto : in qua reperiuntur tres termini distincti,quorũ hęc apud eum sunt nomina:

Primum verbum scilicet positione, quia semper prædicatur.

Tertium seu vltimum positione, quia semper subijcitur.

Medium positione,quod videlicet partim subijcitur,partim prædicatur.

Et hæc omnia intelligenda sunt iuxta ordinem quem habent termini in syllogismo tertiæ figuræ,ad quem Aristoteles censet inductionem esse reuocandam,quod ex eius exemplo paulò superius

rius recitato clarum eſt: Quamuis(mea quidem ſententia)euidẽtius probaretur firmitas inductionis, ſi reductio fieret ad ſyllogiſmum primæ figuræ,vt hanc inductionem:

Plato eſt mortalis,

Pantaleon eſt mortalis,& ſic de cæteris hominibus,

Igitur omnis homo eſt mortalis.

ad ſyllogiſmũ primæ figuræ hoc modo reuocare licet.Quidquid eſt vel Plato vel Pantaleõ, & ſic de cæteris hominibus,eſt mortale:

Atqui omnis homo eſt vel Plato vel Pãtaleon, & ſic de cæteris hominibus,

Igitur omnis homo eſt mortalis.

Nam cùm vitioſus eſſet ſyllogiſmus illæ tertię figurę,ad quem prior ille fiebat reductio,nam terminus qui vniuersè accipitur in concluſione, in antecedente ſpeciatim ſumebatur,non ſatis commode per eum alterius argumentationis firmitas declarari poſſe videtur.per me tamen alijs ſit de hac re libera ſententia. Certũ eſt non niſi ratione materiæ (videlicet propter reciprocationem ſingularium cùm minori extremo)generalem illam concluſionem ſequi.Nam in canone quinto præcedentis capitis 22.aſſeuerat:Si qua duo verba eidem conueniant,eorumq; alterũ & verbum aliud reciprocetur,in eo etiam quod reciprocatur, alterum eorum quæ dicuntur intelligi.

*Cur dixiſti in tua expoſitione(voce communi vniuersè ſumpta?)*

Dixi(vniuerſe ſumpta)ad excludendam hanc argumentationem:

Ioan-

Ioannes est risibilis,
Petrus est risibilis,& sic de cæteris, ergo
Aliquis homo est risibilis.

*An semper expresse sunt enumeranda omnia singularia, quæ voci communi subijciuntur?*

Minime:sed quoniam plerunque infinita singularium multitudo distincte enumerari nõ potest,nos solemus compluribus eorum recensitis, istam adijcere clausulam,& sic de cæteris,vel istã, & non potest dissimile exemplum reperiri, vel aliam,quæ idem valet, Vt:

Hic Philosophus est virtutis studiosus.
Et ille,nec dissimile exemplum inuenitur,
Igitur omnis Philosoph' est virtutis studiosus.

Item miles non est sua sorte cõtentus,nec mercator,nec agricola,nec Iurisperitus,& sic de cęteris,ergo nemo sua sorte contentus est.

Neque hoc stultum est dicere,vt putat Valla, qui sic ratiocinatur: Si hoc constat,quid attinet concludere,ergo omnis Philosophus est virtutis studiosus? Cui respõsum sit,conclusionem inferri,vt respõdens expressè generalem propositionem admittat,cuius nõ audebat vllum singulare reijcere.

Pari sane ratione de syllogismo euidenti & manifesto quæreret: si præmissas concedit aduersarius,quorsum attinet conclusionem inferre?

*Quam inductionem dicis probandi vim habere?*

Quę ex antecedente manifeste verò, cõclusionẽ infert,cuius veritas vel ignorabatur ante, vel certe minus erat perspicua ei,cum quo instituta est disputatio.

Quomo-

*Quomodo inductio, quæ non probat, excluditur à superiori definitione inductionis?*

Excluditur per verbum (δεικνύφσιν, docet vel ostendit) hoc loco docere, quod probare vel demonstrare.

*Quis est vsus inductionis?*

Inductio conducit ad omnem humanã cognitionem, quæ nascitur ab experientia singularium quæ sensu percepimus atque inter se contulimus ex qua collatione commune quiddam statuitur & colligitur. Vnde per inductionem peruenitur in cognitionem principiorum, si incipientes a singularibus, ex illis vniuersalem colligamus. Quare Aristoteles ait syllogismum quidem firmiorẽ esse, sed inductionem magis obuiam, nobisque euidentiorem, cùm iudicium sensuum sequatur.

Hęc prima est via argumentandi, hæc genuit artes, quæ sunt ab experientia, quæ ad sensus pertinet, ortæ, cũ paulatim inductione ex rebus singulis, vniuersalia collecta sunt.

## DE EXEMPLO.

*Quot modis sumitur exemplum apud Aristotelem?*

Duobus videlicet { Impropriè & Propriè.

*Quomodo Aristoteles definit exemplum impropriè sumptum?*

Ex c. 24 * Exemplum est, cùm medio verbo primũ à simili tertij conuenire ostenditur.

Hoc est, Exemplum improprie sumptum, seu indu-

inductio imperfecta (quæ videlicet in hoc ſolum à perfecta, de qua ante dictum eſt, differt, quod in antecedente inductionis perfectæ, omnia ſingularia enumerentur, non autem in antecedẽte imperfectæ inductionis) eſt argumentatio nõ ſyllogiſtica, in qua probatur & concluditur primũ verbum de medio vniuerſe accepto, per id quod eſt ſimile tertio, vel per ſimilia tertio. Aut clarius & fuſius his verbis:

Exemplum improprie dictum ſeu inductio imperfecta eſt argumentatio non ſyllogiſtica, quæ concludit aliquod prædicatum de voce communi vniuerſe ſumpta, per hoc quod idem prædicatum alicui aut aliquibus ſingularibus illius vocis communis, non autem omnibus, in antecedente ſit tributum. Vt, Gracchus eſt occidendus, igitur omnis ſeditioſus eſt occidendus.

*Explica obſcuriora iam recitatæ definitionis vocabula.*

Ad definitionis ipſius intelligẽtiam maiorem, conſideranda ſunt, hęc quatuor vocabula:
- Primum } quæ duo
- Medium } intelligũtur, vt ſuperius, vbi de inductione eſt tractatum.
- Tertium, hic idem ſignificat, ſed pro alijs capitur.
- Simile tertij.

Tertium hic ſignificat quidẽ tertium poſitione, vt in definitione inductionis, ſed accipitur pro alijs. Ibi ſiquidem ſumebatur pro omnibus ſingularibus, quæ ſub medio continẽtur. Hic verò pro vno tantùm ex ſingularibus, quod in exẽplo proprie dicto infertur.

Simile tertij eſt aliud ſingulare eiuſdem medij

ex

in exemplo proprie dicto infertur alterum quod appellatur tertium. Verbi gratia, apud Aristotelē exemplum proprie dictum est hoc. Thebanos pugnare cū Phocensibus est malum, ergo Athenienses pugnare cum Thebanis, est malum.

In quo exemplo tertium est, Athenienses pugnare cum Thebanis, quod hic est subiectum cōsequentis. Simile tertij, Thebanos pugnare cum Phocēsibus, quod subijcitur in antecedente. Primū vero est, malum, quod vtrobiq; prædicatur.

Illa autem duo singalaria conueniunt ambo in hoc communi medio, quod est, cum finitimis bellum gerere, quod non reperitur in exemplo proprie dicto, sed in syllogismo primæ figuræ, ad quem fit exempli reductio, medij obtinet locum.

*Quomodo definitur exemplum proprie dictum?*

* Exemplū proprie dictum est argumentatio, cuius antecedens ad cōsequens rationem habet, non partis ad totum, neque totius ad partem, sed partis ad partem, cùm vtrunq; eidem subijciatur, & notum sit alterum.

*De quo toto, & de qua parte loquitur hic Aristoteles?*

Est hic sermo de toto vniuersali, & parte subiecta, quomodo Socrates pars est ad hominem cōparatus, & homo ad animal. ¶ Et debent hæ partes eiusdem esse totius, non quidem necessariò essentialis, sed vel accidentarij, in quo tamen certū aut saltem probabile est eas conuenire, quodque in caussa est, cur priori cōueniat prędicatū in antecedente.

Vnde

Vnde planum est, hæc non esse exempla vera Socrates ambulat, ergo Plato ambulat, Plato fuit doctissimus, ergo Gorgias fuit doctissimus, Germani sunt candidi, ergo & Hispani: illud enim in quo conueniunt subiecta, nimirum humana natura, non est caussa, cur suis subiectis tribuantur ea prædicata quæ in antecedente collocantur.

Sed hoc proprium est exemplum: Plato est capax disciplinæ, ergo & Gorgias disciplinæ capax est. Conueniunt namque Plato & Gorgias in eodem toto, scilicet homine, qui rationem totam continet cur capaces sint disciplinæ.

*Cur ista pars (& notum alterum) definitioni adiuncta est?*

Vt indicetur antecedens exēpli, debere esse notum & manifestum: alioqui frustra ad comprobationem ignoti assumeretur,

*Quis est vsus exempli?*

Ad persuadendum non repugnanti, atq; ei qui vltrò sequitur, plurimum valet exemplum, quòd doceat magis & ostendat, quam cogat inuitos, qui facile dissimilitudinem comminiscuntur.

Præterea ad ornatum quoque exempla conferunt, sed ab apologis quidem ducta, populo accōmodatiora sunt, ab historijs autem, consultantibus vtiliora. Exempli autem improprie dicti, peculiaris vsus est, vt per ipsum proprie dictum exemplum, ad syllogismum redigatur: vt hoc exemplū proprie dictum, Gracchus est occidendus, igitur & Catilina est occidendus, ita ad syllogismum reduci debet iuxta Aristotelem. Gracchus est occidendus, igitur omnis seditiosus est occidendus: vlterius,

terius, Omnis seditiosus est occidendus, Catilina est seditiosus, ergo Catilina est occidendus.

## DE ENTHYMEMATE.

*Quomodo definit Aristoteles enthymema?*

Ex ca. 27. * Enthymema est imperfecta ratiocinatio ex probabilibus & signis.

*Cuiusmodi enthymema hîc describis?*

Enthymema quòd probādi vim habet, quodq́; ad syllogismum categoricum reduci potest.

*Quæ ratiocinatio vocatur hoc locô imperfecta?*

Non quæ minus euidēs est aut obscura, quemadmodum ante in diuisione ratiocinationis: sed mutilata, vt cui deest altera præmissarum, quę certa est aut verisimilis, qua addita, efficeretur integra & absoluta ratiocinatio.

Hinc Boetius de enthymemate disputans, ratiocinationem imperfectam vocat oratione, in qua non omnibus præmissis antepositis, festinata infertur conclusio: vt

Nullus homo est lapis, ergo
Socrates non est lapis.

Itaq; hac definitionis parte excluduntur in primis omnes integri syllogismi, deinde multæ aliæ argumentationes, quę speciem quidem enthymematis prę se ferunt, sed non possunt reduci ad syllogismum categoricum, per adiectionem pręmissæ veræ, aut probabilis.

*Expone illam partem, ex probabilibus & signis.*

Hoc est, ex antecedente, quod simul est probabile & signum consequentis, vel quod est tātum signum consequentis & non probabile.

*Quid*

*Quid excludit ista pars, à definitione?*

Per hanc partem excluduntur quęuis argumẽtationes, in quibus antecedens non probat consequens.

*Quorsum adiecit Aristoteles definitioni istam partem (ex probabilibus, seu vt habet ipse, ἐκ εἰκότων) cùm sufficiat antecedens enthymematis esse signum consequentis?*

Vt indicaret, quòd, quemadmodum syllogismorum alius est demõstratiuus, alius verò dialecticus, sic & inter enthymemata, aliud cõstat antecedente necessario, aliud probabili tantum.

*Quomodo definitur εἰκὸς aut verisimile ab Aristotele?*

Εἰκὸς est propositio probabilis.

*Quot modis dicitur propositio aliqua esse probabilis? Duobus.*

Vno modo in se spectata, quę scilicet probabiliter est vera, vt Matrem diligere filiũ suum, Omnes homines diligere se amantes, & odisse sibi inuidentes. Huiusmodi probabilia definiuntur in libro 1. Topicorum.

Altero modo dicitur propositio probabilis, facta relatione ad alteram, quam probabiliter infert, siue ipsa in se probabilis sit, siue non. Sic hæ propositiones: Cælius est studiosus literarum, Clitemnestra est mater Orestis, Nũc sol est sub cane, probabiles dicuntur si ad istas comparentur: Cælius non est voluptuarius, Clitẽnestra amat Oresten, Nunc non pluit.

*Vtra significatione accipi debet (probabile) in definitione verisimilis positum?*

Commodissime congruentissimeq; accipi videtur probabile priore modo. Id enim plane sonat ipsius iam ex Aristotele data definitio.

*Quomodo definitur ab Aristotele signum, quod ipse σημεῖον vocat?*

* Signũ est propositio, quę ad demonstrandam rẽ valet, vel necessaria, vel probabilis?

*Quid vocas hoc loco propositionem, quæ ad demonstrandam rem valet?*

Intelligimus omnem eam, quæ alterius probãdæ vim habet, siue necessariò illam inferat, siue tantũ verisimiliter: hinc manifestum est, signum ad aliud referri, sicut etiam nomen ipsum satis indicat.

*Quorsum adiecit Aristoteles istam partem (vel necessaria vel probabilis?)*

Vt ostenderet eam ptopositionem, quæ signũ dicitur, posse esse vel necessariam, vel probabilem in se. Ex quo patet, omne icos relatum ad aliam propositionem, quam necessariò vel probabiliter infert, etiam esse signum, non tamen omne signũ esse icos.

*Expone paucis & dilucidè enthymematis ad syllogismum reuocandi rationem?*

Præmittendum est in primis, omnem syllogismum constare duobus tantum præmissis, & tribus terminis, vt intelligamus, omnem argumẽtationem, quæ per adiectionem vnius præmissæ ad syllo-

ſyllogiſmum reducitur, duabus duntaxat ſimplicibus propoſitionibus poſſe conſtare, videlicet antecedente & conſequente, ac tribus terminis, è quorum duobus, nempe inferente & illato ſemper conſtituetur præmiſſa ea quæ addẽda eſt:

Terminus inferens vocatur, qui in antecedẽte tantum ponitur,& eſt in ſyllogiſmo medium.

Terminus illatus eſt,qui tantum in conſequẽte reperitur.

Reliquus verò, qui tam in antecedente quàm conſequente, vocatur terminus cõmunis, ex quo non poteſt cõfici præmiſſa quæ addenda eſt,quia alioqui idem terminus poneretur in vtraq; præmiſſa & concluſione.

Ex his planum euadit, argamentationes quæ quatuor terminis conſtant,enthymemata quemadmodum hic definita ſunt, non eſſe: vt albedo eſt color,ergo album eſt coloratum:Sed nec omnis argumentatio duabus tantum propoſitionibus,& tribus terminis conſtans,poteſt ad categoricum ſimplicemq́ue ſyllogiſmum reuocari,quia vſu venit interdũ,vt terminus inferens & illatus, ex quibus eſſet præmiſſa aiens conficienda, inter ſe pugnare,ac proinde non poſſunt cõſtituere veram propoſitionem affirmãtem,vt ędificator eſt excellẽs,ergo domus quam exſtruxit,eſt excellẽs. Et ſimilia à cauſſa vel ab effectu:& ideo eiuſmodi argumenta ſolum reuocãtur ad ſyllogiſmos hypotheticos,de quibus poſtea. Alia eſt ratio,ſi addenda ſit negãs præmiſſa,quia tunc illa repugnãtia termini inferentis & illati eſt neceſſaria.

Vt autem ſciri poſſit,vtrum maior, an minor abſit propoſitio:Dicimus inſpiciendam eſſe concluſio-

clusionem. Nam si idem sit attributum cõclusionis & antecedentis, deest minor propositio, quæ conficietur ex subiectis. Sin autem idem vtrobiq; subiectum sit, maior desideratur, quæ ex prædicatis constituenda est.

Ex ijs quæ iam dicta sunt, satis intelligitur, quæ pręmissa desit enthymemati, quâ addita, perfectus redditur syllogismus, verum adhuc obscurũ manet, ad cuius figurę normam eiusmodi syllogismi structura sit facienda, quapropter & illud paucis explica.

Dicimus ad hoc considerandum esse, vtra præmissarum desit.

## SI MAIOR PROPOSITIO DESIT.

Si desit maior propositio, reducetur enthymema ad primam vel secundam figuram.

### AD PRIMAM TANTVM.

*Ad primam figuram tantum, si consequens aiẽs fuerit.*

Vt, equus currit, ergo equus mouetur.

Reducitur ad Darij hoc modo:

Omne currens mouetur,
Equus currit, ergo
Equus mouetur.

Ad secundam autem figuram nequit reduci, quia ibi non est concludendum affirmatè.

### AD SECVNDAM TANTVM.

*Si antecedens sit negans.*

Vt, Spongia non est animal, ergo spongia non est Brutum.

Sic reducitur ad Baroco:

Omne

Omne brutum est animal,
Spongia non est animal, ergo
Spongia non est brutum.

Ad primam figuram nō reducitur, cùm ibi assumptio non posit esse negans.

AD PRIMAM ET SECVNDAM.

*Si antecedens est aiens, & consequens negans.*

Vt dum argumentamur à disparatis, aut oppositis, ab affirmante ad negantem, hoc modo:

Paulus est homo, ergo Paulus non est equus
Cygnus est albus, ergo non est niger.

Quæ enthymemata facilè ad vtranq; figuram reducentur, confecta ex prædicatis propositione, in qua si medium prædicetur, fiet reductio ad secundam: Sin subijciatur, ad primam.

SI MINOR DESIT.

Si enthymemate assumptio absit, ad primam vel tertiam figuram reducetur.

AD PRIMAM TANTVM.

*Si consequens sit propositio vniuersalis.*

Vt omne elementum est corpus, igitur omnis ignis est corpus, reducitur ad Barbara, addita hac minore, Et omnis ignis est elementum.

Ad tertiam autem figuram non reducitur, quia ibi concludenda est particularis.

AD TERTIAM TANTVM.

*Si antecedens sit propositio specialis.*

Vt aliquod animal respirat, ergo aliquod corpus respirat, duntaxat ad Disamis reducitur, addita hac assumptione, & Omne animal est corpus.

Ad figuram primam non reuocatur, quia maior propositio esset particularis.

AD PRIMAM ET TERTIAM.

*Si antecedens sit vniuersale, & cõsequens speciale.*

Vt, Omnis equus hinnit, ergo aliqua substantia hinnit.

Quod enthymema ad primam erit reductum, si medium in assumptione, quæ est addenda, prædicetur. Sin ibi subijciatur medium, fiet reductio ad tertiam figuram.

*An vnum idemq́; enthymema ad secundam & tertiam figuram reduci potest?*

Licèt idem enthymema possit ad primam & secundam figuram reuocari, item ad primam & tertiam, tamen fieri nequit, vt idem ad secundam & tertiam reducatur, quia media affecta sunt opposito modo. Nam in secunda figura medium semper prædicatur, in tertia autem subijcitur semper.

*Quis est vsus enthymematis?*

Vsus enthymematum creberrimus est in communi sermone, vt non emo vestẽ, quia careo, pecunia. Oratores quoq; multò frequentius enthymemate quam syllogismo vtuntur, in hoc communi se accommodantes sermoni.

Et hanc argumentandi formã nomine Ἐνθυμήματος, (Latini cogitationẽ dicũt, qua certum est celerius esse nihil) appellatam apparet, quia hic non longa verborum ambage, vt fit in syllogismis, vtimur, sed breui atque celeri cogitatione videmur moueri.

Dicitur ob eãdem caussam Græcis quoq; Συλλογισμὸς ἀτελὴς, Latinis verò nũc ob celeritatẽ festinatus syllogismus, nũc ob defectam dissimulatio-

lationemq; alterius præmissæ, syllogismus truncatus & mutilus. Dissimulatur enim altera propositionũ de industria, studio breuitatis, cùm odiosum & longum nimis videretur recitare propositionem, quæ se vltrò offert: Quæ tamen propositio in mente interim eius qui ratiocinatur, concipitur: vt,

Nulla planta est inanimata, ergo
Nulla arbor inanimata est.

Vbi assumptio relicta est, quæ ex se adeò facilis est, & cuiuis obuia, vt offendat propemodum, si explicetur.

Alia de caussa nonunquam Oratores enthymemate vtuntur, prætereuntes eam propositionem, quam prosit non exprimi, cùm minùs dilucidè veritas in ea conspicitur: vt,

Alexander est ebriosus, igitur
Parum strenuus est,

Nam quæ prætermissa est propositio non est manifesto vera. Nullus ebriosus est strenuus.

Porrò vtimur enthymemate, aliàs apertè, aliàs tacitè. Sæpe enim cùm nõ videmur argumentari, tamen argumentum vna voce notamus, qualia sunt. Quid agerem cum ebrio? Quid emerem sine nummis?

Apud Liuium de Alexandro. Illéne qui temulento agmine, commessabundus incesit, par esset Romanis? Sunt enim in his verbis enthymemata, temulento agmine, & commessabundus incesit, quæ sic explicari possunt:

Istud agmen est temulentum, ergo
Non est par Romanis.
Iste dux est commessabundus, ergo
Non est par Romanis.

Ita ſolent in omnem ſermonem tacitè ſpargi enthymemata. Plurimùm verò addunt ponderis hoc modo aſperſa. Quare de hoc genere Rhetores præceperunt, ne ſit inanis oratio, ſed vt habeat pleraque verba, etiam cùm non argumentamur, ſenſu aliquo tincta, vt Fabius ait, quæ admoneant auditorem argumenti, aut grauis alicuius ſententiæ.

Cæterùm manifeſta enthymemata innumerabilia vbiq; reperiuntur, quæ quia facilè deprehendi poſſunt (modò nō ſint ignota præcepta de forma enthymematis) nihil opus eſt hîc aſcribere ex auctoribus multa exempla.

Sed aduerte nōnunquā enthymemata eſſe amplificata & ornata pluribus verbis, quæ vt agnoſci queant ab imperitis, detrahendus erit ornatus.

Sæpe etiam auctores ipſi cōiungunt nudas propoſitiones, prorſus Dialecticorum more, vt Demoſthenes in prima Olynthiaca:

Succeſſus ſeu ſecundæ res fatuos reddunt imperitos, ergo

Difficilius eſt retinere parta bona, quàm parare.

Si addas maiorem & terminos nonnihil immutes, ſeruata tamen eadem ſententia, erit abſolutus ſyllogiſmus, & ratione conſequentiæ perſpici poterit, cōfecta terminorum diſpoſitione in Ferio, ad hunc modum:

Nullus fatuus nouit bona parte retinere.
Secunda fortuna eſt fatua, ergo
Secūda fortuna non nouit bona parta retinere.

Cicero ſcribit Rhetores enthymemata propriè appellaſſe, argumenta ex contrario ducta, vt pax eſt ſalutaris, igitur non eſt peſtifera. Verùm in hoc quoque genere apud auctores indicantur magis en-

gis en-

gis enthymemata, quàm explicantur, & plura simul aliquando innuuntur, vt in hac argumentatione Virgiliana:

Nulla salus bello, igitur
Pacem te poscimus omnes.

Quæ sic explicanda forent.

Bellum non est salutare, igitur
Non est poscendum.

RVRSVS.

Pax est salutaris, igitur est poscenda,

Sed apud Dialecticos nomen enthymematis latiùs patet, & omnibus imperfectis syllogismis tribuitur.

Et tamē illud verum est, idoneam & aptam esse materiam ad enthymematum confectionem.

Et maximè perspicua esse enthymemata, quæ ex cōtrarijs cōficiuntur, cōmunis sensus iudicat.

*De alijs argumentationum formis tractatio.*

Expositis iam ex Aristotele argumentationum præcipuis & magis vsitatis formis, non inutiliter aliæ quædam addentur, quas secundarias vocant ex quibus sunt, Sorites, Dilemma, & Violatio. Si quis plures desiderat, in Rhetoricis Trapezūtium consulat.

## DE SORITE.

### *Quid est sorites?*

Sorites, Latinè coaceruatio, est argumentatio, in qua pręedicato primæ propositionis aliud prædicatū quod ei necessariò connexum est, attribuitur, eodēq; modo veluti gradibus quibusdā ascēditur, donec in conclusione vltimū attributum tribuatur

buatur primæ propositionis subiecto. Habet autem locum hæc argumentandi ratio, cùm ab infima specie ad summum genus per media ascendimus, vel cùm à caussis ad proximos effectus transimus, qui rursus sunt caussæ aliorum effectuum.

*Profer exempla huius formæ argumentationis.*

Homo est animal,
Animal est corpus,
Corpus est substantia, ergo
Homo est substantia.

Aliud exemplum per gradus caussarum.

Aphricano industria virtutem,
Virtus gloriam,
Gloria æmulos comparauit, ergo
Aphricano industria ęmulos comparauit.

*Facítne alicubi Aristoteles mentionem huius argumentandi generis?*

Etsi Aristoteles non nominat soriten, tamen formam talium argumentorum & vsum ostendit in antepraedicamentis, vbi recitat regulam, quæ continet soriten.

*Súntne aliquando vitiosi soritæ?*

Nulli fiunt prima propositione negante soritæ legitimi. Et in aientibus debent verba necessariò cohærere, vt species, genera, differentiæ, propria. Item cùm caussis per se ac proprijs annectuntur proprij effectus, vt non valet consequentia in negantibus.

Lapis non est aurum,
Aurum est corpus, ergo
Lapis non est corpus.

Nec

Nec rata est consecutio,cum ea quæ nō necessariò cohærent iunguntur,vt

Quisquis laborat,fit diues,
Qui diues est,splendidè viuit,
Qui splendidè viuit,fit libidinosus,
Qui multum igitur laborat, fit libidinosus.

Eiusdem generis est illud vulgare exemplum ridiculum:

Qui bene bibit,bene dormit,
Qui bene dormit,non peccat,
Qui non peccat,regnum cælorū intrat:ergo
Qui bene bibit,regnum cęlorum intrabit.

Quæ argumentatio ideo est vitiosa , quòd prima & secunda enuntiatio , connexiones habeant fortuitas,non autem necessarias . Nam ebrij non mox dormiunt:nec semper dormiūt, nec dormire caussa est , per quam semper prohibeantur delicta.

## *Quis est vsus soritæ?*

In peruestigatione rerum obscurissimarū vsui plurimū est sorites . Vnde veteres per soriten seu coaceruationem argumentari, & gradatim interrogare solent. Statuerunt enim, quemadmodum & Socrates apud Platonem , Dialecticen versari ἐν τῷ ἐρωτᾶσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι.

# DE DILEMMATE.

## *Quid est dilemma?*

Dilemma est argumentandi ratio , qua argumentum in duas diuiditur partes,& in vtraq; concludimus ratione subiecta:Ea enim illi est natura, vt in ea vtrumuis cōcesserit quispiam , reprehendatur,

datur, & proponens eiusmodi argumentationem, quod vult, cõcludat. Dicitur autẽ à δὶς λαμβάνω quod vtrinq; aduersarium capiat. Vt si quis dicat vxorem esse ducendam: sic dilemmate redarguetur, vxor vel pauper est, vel diues. Si est pauper, necessariorum vitæ præsidiorum egestate, magno oneri erit: si verò diues, nimio fastu elata, erit intolerabilis, & ita vtrumuis dicatur, consequitur vxorem non esse ducendam.

*Quis est vsus dilemmatis?*

Conducit ipsis oratoribus, apud quos dicitur complexio, ad perturbãdos animi affectus, qui sic vtrinq; septus, non facilè prospicit, quomodo se extricare queat. Pendet autẽ ferẽ ex propositione hypothetica, disiunctiua, & conditionali.

Vt si quis culpet familiarem amicum, ita hac argumentandi forma reprehendetur:

Hic aut improbus est aut probus.
Si improbus est, cur vteris?
Si probus, cur accusas?

Phædra in Hyppolito Senecæ, ita probat sibi esse moriendum:

Vel casta es vel incesta.
Morere, si casta es, viro;
Si incesta amori.

Ad hunc modum & Alexander Magnus apud Curtium, cùm hortatur milites, vt ineant prælium, dilemmate id perficit: Aut magnitudo beluarum, aut multitudo hostium vos deterret. Mox vtraque parte confutata, colligit Indos non esse timendos. Cæterùm apud Demosthenem & Isocratem vtriusque partis longiores περιβολὰς cuiuis facilè est animaduertere.

*Quæ sunt optima dilemmata?*

Optima dilemmata sunt, quæ ex cōtrarijs immediatis fiunt. Qua ratione imperfectius Bias argumentatus est, de non ducēda vxore, hoc modo: Aut pulchram duces vxorem, aut deformem. Si pulchram, habebis κοινὴν, sin deformem ποινήν, Igitur vxor ducenda non est.

Omisit ibidem Philosophus tertium, cùm inter pulcherrimam, & deformissimā sit quædam forma media, quam Ennius nunc statam, nunc vxoriam vocauit, quæ nec tędio est marito, nec exposita improborum cupiditati.

## DE VIOLATIONE.

*Quid est violatio?*

Violatio argumentatio est magis Rhetoribus quàm dialecticis vsitata, & Gręcis dicitur βίαιον. Ea autem figura argumētamur, cùm contēdimus aduersariorum rationem pro nobis facere: Aut quando argumentum in aduersarium retorquetur, quasi quis ab hoste telum missum arripiat, & in ipsum conuertat, vt,

Vlysses occidit Aiacem, qui astitit ei recens interfecto. Imò quia astitit interfecto, & non coniecit se in pedes, non occidit Aiacem.

Non sunt Iurisconsultis legendi Oratores & Poetæ, quia tantùm linguæ conducunt: cùm potius quod linguæ prosint, ab ijsdem diligentissimè euoluendi sunt.

Item Christus ieiunauit, ergo nobis non est ieiunandum. Imò quia Christus ieiunauit, nobis est ieiunandum. Omnis enim Christi actio, nostra est instructio: dicente scriptura: quòd qui manet in Christo,

Christo, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.

*Quis est vsus violationis?*

Vsus huius generis argumentandi est, cùm ostendimus id nobis vtile esse, quod aduersarij volunt & contendunt.

## DE HYPOTHETICIS *SYLLOGISMIS TRACTAtio quàm breuissima, sed apprimè necessaria.*

Nihil ab Aristotele, si Boetio creditur, de hypotheticis syllogismis est tractatum: nos tamē, ne discipulis hac in parte desimus, quæ scitu sunt digniora, magisq́; necessaria, subiungemus.

*Quid est syllogismus hypotheticus?*

*Syllogismus hypotheticus est, cuius propositio seu antecedētis prima pars, est enuntiatio hypothetica.*

*Explica latiùs definitionem, & exēplis illustra.*

Habet definitio, quòd possit fieri syllogismus hypotheticus ex sola priore propositione hypothetica, vt si dies est, lux est, sed dies est, ergo lux est: Item ex priori propositione & cōclusione hypothetica, vt si nullum animal est candidum, nullus homo, nullúsque equus est candidus, sed nullum animal est cādidum, ergo nullus homo, nullúsque equus est candidus.

Insuper ex ambabus præmissis hypotheticis, & conclusione categorica, vt si homo sit sentiēs aliquod animal est sentiens, sed homo est sentiens, & leo sentiens, ergo aliquod animal est sentiens.

Præ-

Præterea ex hypotheticis omnibus, vt si homo sit rationis capax, & leo rationis expers, aliquod animal est rationis capax, & aliquod rationis expers: sed homo est rationis capax, & leo rationis expers, ergo aliquod animal est rationis capax, & aliquod rationis expers.

*Quot sunt partes syllogismi hypothetici?*

Hac de re auctorum variæ sunt sententiæ. Sed breuiter dicimus, quòd quemadmodum syllogismus categoricus siue simplex propriæ duabus cõstat præmissis & conclusione: sic & hypotheticus, si verò illis præmissis etiã suæ probationes adiungantur, tunc videbitur quidem syllogismus pluribus constare præmissis, quàm duabus, sed reuerà non constabit, quia probationes adiunctæ non sunt partes syllogismi, sed constituunt nouam argumentationem.

*Quomodo diuiditur syllogismus hypotheticus?*

*Syllogismorum hypotheticorum alius est* { *Conditionalis.* / *Copulatiuus,* / *Disiunctiuus.* }

*Quis syllogismus dicitur conditionalis?*

Conditionalis dicitur, cuius propositio seu antecedentis prior pars est conditionalis.

*Quot modis fit syllogismus conditionalis?*

Conditionalis duobus fit modis, quorum { Prior ab antecedentibus dicitur, / Alter à consequentibus. }

*Quomodo fit syllogismus conditionalis ab antecedentibus?*

Syllogismus conditionalis ab antecedentibus

ad hunc fit modũ: Si homo eſt rationis particeps, homo eſt capax diſciplinæ. Sed homo eſt rationis particeps, ergo homo eſt capax diſciplinæ.

*Quid eſt ſyllogiſmus conditionalis à conſequentibus?*

Syllogiſmus conditionalis à conſequentibus, nihil aliud eſt, quàm argumentatio ab oppoſito contrario vel contradictorio conſequentis, propoſitionis conditionalis ad contradictorium antecedẽtis eiuſdem. Vt, ſi homo eſt quadrupes, homo eſt brutum, ſed nullus homo eſt brutum, ergo nullus homo eſt quadrupes.

*Quid eſt ſyllogiſmus copulatiuus?*

*Syllogiſmus copulatiuus eſt, in quo propoſitio ſeu antecedentis prior pars eſt copulatiua,*

Vt, non & dies eſt, & nox eſt: ſed dies eſt, nox igitur non eſt: vel nox eſt, ergo dies non eſt.

*Quid eſt ſyllogiſmus diſiunctiuus?*

*Syllogiſmus diſiunctiuus eſt, in quo propoſitio, ſeu antecedentis prior pars eſt enuntiatio diſiunctiua.*

*Quot modis fit ſyllogiſmus diſiunctiuus?*

Diſiunctiuum ſyllogiſmum duobus modis fieri tradunt.

Prior eſt, cùm ex poſitione alterius partis interimitur reliqua, vt, Aut dies eſt, aut nox eſt, ſed dies eſt, ergo nox non eſt.

Verùm hic modus ſolùm habet locum in diſiunctiuis, quæ conſtant partibus repugnantibus in veritate.

Alter eſt, cùm vna pars diſiunctiuæ tollitur, vt

altera

altera affirmetur, vt, Petrus aut dormit aut vigilat, sed non dormit, ergo vigilat.

## EPILOGVS.

Hæc de syllogismis hypotheticis, quorum frequens est vsus, breuissimè dicta sufficiant, si cui fortè incesserit cupiditas, plura de his cognoscendi, legat Seuerinum Boëtium, qui duobus libris infinitos propè horum syllogismorum modos est persecutus, magno quidem studio ac diligentia, sed nescio an pari fructu, maximè pro discipulorum adhuc rudium turba, quam nos instituendam suscepimus.

# LIBRI QVARTI PARS TERTIA.

## DE DEMONSTRATIONE,

*Ex Posterioribus Aristotelis.*

Horum Ἀναλυτικῶν Posteriorum Aristotelis non artem totã, sed paucissima quædam, eaq; generalia præcepta, collecturus, cætera ex ipso fonte petenda, ibidemque declaranda, prætermittam. Præcipuè itaq; differemus de syllogismo ἀποδεικτικῷ seu demonstratiuo, qui extra omnem cõtrouersiam absolutissima, perfectissimaq; syllogismi species est: quæ in eo ab alijs differt, quod vel opinionem tantùm illæ, vel etiam deceptionem gignant, demonstratio autem scientiam parit, de qua nobis antequam ad demõstrationem veniamus, paucis est dicendum.

*Quomodo definit Aristoteles scire?*

Ex ca. 2. libr. 1. * Planè ec perfectè scire quisq; censetur, ac non Sophistarum modo (qui incertis ac fortuitis continetur) quando caussam per quã res est, ita ipsius rei caussam esse cognoscit, vt non posse omninò rem aliter habere credat.

*Cur ponit Aristoteles in hac definitione istam partem, ita ipsius rei caussam esse cognoscit?*

Quia non satis est rem illam, quæ caussa est, cognosci, nisi hæc ad effectum suum fuerit relata, & nisi

nisi cognoscatur manifestè illius esse caussa.

*Cur postremam istam partem adiecit (vt non posse omninò rē aliter habere credat?)*

Quia oportet rem esse necessariā, quæ nō possit aliter se habere: alioqui de ea non habetur certa perfectaq; notitia, qualis est scientia.

*Quæ est secunda definitio, qua exlicat Aristoteles, quid sit scire?*

* „ Scire est per demonstrationem rem cognoscere.

Hoc est, firmè perspicueq; cognoscere.

*Da exemplum vtriusq; descriptionis.*

Exempla vtriusq; descriptionis eadem sunt, sicut & definitiones, quanquā verbis diuersę, re consentiunt, vt firma euidésq; cognitio huius propositionis necessarię, Omnis homo est disciplinę capax, quæ habetur per istas demonstrationis præmissas, Omne animal rationale est capax disciplinæ, & omnis homo est animal rationale.

*Quot extant apud Aristotelem demonstrationis definitiones? Duæ:*

RECITA PRIOREM.

* Demōstratio est ratiocinatio, quę scientiam gignit.

RECITA POSTERIOREM.

* Demonstratio est ratiocinatio, quæ ex ijs sumptionibus constat, quæ & veræ sunt & primæ, & (vt sic dicā) immediatæ, & notiores, & priores, deniq; & caussę conclusionis.

*Profer aliquod exemplum demonstrationis.*

Vt hic syllogismus est demonstratio:
Omne animal rationis particeps est disciplinæ capax,&
Omnis homo est animal ratiõis particeps,ergo
Omnis homo est disciplinæ capax.

*Explica latius quæ ad harum definitionum rectam intelligentiam pertinent.*

In primis vtrobiq; definitur propriè strictimq; accepta demõstratio.Loquimur enim de demonstratione propter quid & potissima.

Pro genere autem definiti,sumenda est ratiocinatio,addunt quidam, perfecta seu euidens. Non enim(inquiunt)potest obscura & quæ nõ est euidens argumẽtatio, claram perfectamque efficere cognitionem,qualis est scientia propriè dicta:Sed hoc alijs discutiendum relinquimus.

Præpositio(ex)in definitione hac,denotat caussam materialem,ex qua res constat.

Cætera Aristoteles ipse abundè declarat.

Et in primis quidem ostẽdit, rectè in definitione haberi:quod veras esse prȩmissas oporteat,quia conclusio quȩ sciȩntia apprehẽditur,vera esse debet,& quod falsum est, nunquam veri caussa esse vlla ratione potest.

Subsequentes duas partes(primȩ & immediatȩ) monstrat rectè quoque adiectas esse, quoniam ex demonstrabilibus aut etiam altera demonstrabili, nondum plena haberi conclusionis sciẽtia potest , nisi hæc illi per demonstrationem probata fuerint & cognita.

Declarat denique caussas quoque cõclusionis, item

item notiores & priores esse oportere præmissas demonstrationis. Caussas quidem, Nam tum demum rem scimus, cùm caussam cognoscimus.

Atqui si caussæ sint, necessariò efficitur vt priores sint, & notiores. Ac notiores quidem, non hoc tantummodo, vt verborum vis ac significatio intelligatur, sed etiam, vt quod ita res habeat, seu quòd veræ sint, cognoscamus.

*Quot modis dicuntur aliqua priora seu notiora?*

Duobus, videlicet { Priora nobis & Priora omninò seu naturæ ordine.

*Quomodo definit Aristoteles priora nobis?*

* *Nobis sunt priora & notiora, quæ nostris sensibus magis obiecta sunt.*

*Quomodo definit Aristoteles omninò & per se notiora?*

* *Omninò ac per se sunt priora & notiora, quæ sunt à sensibus remotiora.*

*Quænam sunt à sensibus remotiora, & quænam illis magis obiecta secundum Aristotelem?*

„ Remotiora quidem sunt, res vniuersæ. Viciniora autem res singulæ.

*Quid est ex primis constare, iuxta Aristotelis doctrinam?*

Ex primis constare demõstrationem, id ita intelligendum est, vt ex proprijs principijs constare eam intelligamus. Demonstrationis autem principium, est propositio immediata.

*Quid est propositio immediata?*

* *Immediata propositio, est propositio, quæ nulla est alia prior, per quam ipsa confirmari possit.*

Cuiusmodi est ista, Animal rationale, est disciplinæ capax.

*Quid autem est propositio?*

* *Est enūtiationis pars altera, in qua vnum de vno enuntiatur.*

Hoc est, vel enuntiatio aiens vel negans vnius attributi & subiecti.

*Quid est dialectica propositio?*

* *Dialectica propositio est, vtrauis sine vllo discrimine pars contradictionis, ad probandum aliquid sumpta.*

Hoc est, quæ interrogata respondēti permittit libere vtramuis contradictionis partem eligere. Vtraq; enim pars, Dialecticè disputari potest.

*Cur hoc loco inducit Aristoteles mētionem dialecticæ propositionis, præsertim cùm à demonstrationis natura longissimè absit?*

Quia iuxta vulgare dictum, Contraria iuxta se posita, magis elucescunt, perfectiusq; cognoscuntur; cùm igitur dicturus esset Aristoteles de propositione demonstratiua, dialecticæ propositionis, quæ illi contraria est, oportunè præmisit definitionem.

*Quomodo definitur propositio demōstratiua?*

* *Propositio demonstratiua est, altera tantùm, atque ea demum, quæ vera est.*

Hoc

Hoc est, quæ interrogata, respondenti non permittit liberum vtramuis partem reddere, sed veram duntaxat, quæ sola conducit ad tradendam rei alicuius disciplinam.

*Quotuplicia sunt principia immediata?*

* Duplicia, videlicet { Positio seu Thesis. & Pronunciatum.

*Quid est positio secundum Aristotelem?*

* *Positio, est propositio immediata, quæ quanquā demōstrari non possit, non tamen ita aperta, & per se manifesta est, vt necesse sit, iam antè cognitā esse ei, qui artem aliquam discere velit.*

Hoc est, Positio est propositio immediata, quæ licèt non possit ostendi per priora, nō tamen opus est, vt à discente præsciatur, sed accipienda est à docente.

Vt omne compositum ex materia & forma, est mobile.

Diuiditur deinde ab Aristotele positio in suppositiones, quas postulata Euclides appellat, & in definitiones, si cum definitis considerentur: quāuis alias sine ijs (quemadmodū & 8. capite huius libri) spectari soleant. Quod ex vocabuli etiam diuersitate facilè est colligere. Cū enim hoc in loco ὁρισμος, alibi passim ὅρος ab Aristotele definitio appellatur.

*Quid est pronuntiatum?*

* *Pronuntiatū est propositio immediata, quæ ita per seipsa est perspicua, vt non possit non esse omni-*

*bus, multò antè cognita & perspecta, quàm quidquam doceatur.*

Id est, quæ per se statim cognoscitur esse vera, sine præceptoris opera. Nam qui habita terminorum cognitione tam stupidus est, vt huiusmodi propositioni non videat esse acquiescendum, cæcus est, & ad disciplinam capessandam inutilis, vt, Quidlibet est vel non est, De quauis re est affirmatio vel negatio vera. Huiusmodi apud Euclidem sunt, communes animi notiones.

Addit post hæc Aristoteles, principia demõstrationis notiora esse conclusione: eò quod caussæ sint: iuxta illud commune dictum:

* *Semper enim id magis tale est, quod caussa est, vt tale sit alterum.*

Quare si propter principia scimus & credimus conclusionem, illa scimus & credimus magis.

Porrò illi communi sententiæ tribuunt talem sensum: Quando effectus & vera caussa conueniũt in nomine aliquo, perfectius de caussa quam effectu nomen illud dicitur, vt igni magis conuenit calidum esse, quam ijs, quę sunt ab igne calefacta.

## DE PROPRIETATIBVS *principiorum demonstrationis.*

Ex c. 4. EXplicatis ijs, quæ demonstrationis definitionem ingrediebantur, tradit Aristoteles conditiones quasdam principiorum demonstrationis, potissimum simplicium, hoc est, terminorum & horum ratione, coniunctorum etiam.

*Quotuplices sunt proprietates principiorum demonstrationis?*

Dici-

Triplices, nempe { Dici de omni, Per se, & Vniuersè.

## DE OMNI.

*Quid est dici de omni?*

*De omni id dicitur, quod ita in alterum cadit, vt nec sub illo genere, partē vllā accipere possis, cui nō conueniat: nec vllū tempus inuenire, in quo de illo non dicatur.*

Hoc est, quod vere conuenit, non tantum alicui inferiori aut denominato subiecti communis, sed omni: neq; solum aliquando, sed semper. Sic animal dicitur de omni homine, similiter rationale, atq; risibile.

*An subiectum vniuersè accipi necesse est, vt prædicatum de omni dicatur?*

Istud ambiguum esse videtur: Rectius tamē dicemus, non esse necessarium, vt expresse generalitatis nota adijciatur, quoniam nec tēporis vniuersitas exprimi solet. Et ipse Aristoteles aliquando demonstrationis exempla proferens, nō ambabus vtitur vniuersalibus propositionibus, cûm tamen ambas velit ex attributis, quæ de omni dicantur, constare.

*Quæ cōparatio est inter dici de omni, vt hîc & vt in Prioribus Analyticis consideratur?*

Est comparatio excessi & excedentis, vtrunque enim alterum excedit, ab eodēq; vicissim exceditur, vt cuius vtriusque loci exempla consideranti clarissimum esse potest.

## PER SE.

Quot

*Quot sunt sunt modi per se?* Quatuor.

*Quæ dicuntur per se conuenire, iuxta primũ modum?*

* *Per se illa primo modo conueniunt, quæ in explicanda rei natura atq; essentia adhibentur.*

Vt animal & rationis particeps, per se conueniunt homini.

*Quæ secundo modo per se conueniunt?*

* *Secũdo modo per se insunt, quæcunque rem aliquã ita consequuntur, vt cùm quid illa sunt, definitione explicatur, necesse sit rẽ ipsam in definitione accipi.*

Sic risibile per se inest homini, quia describũt risibile, esse hominem risus capacem.

*Quis est tertius modus per se?*

Tertius modus (qui non, vt cæteri, est modus quo aliquid alteri conuenit, aut tribuitur, sed existit) hoc pacto ab Aristotele describitur.

* *Ea per se esse dicuntur, quæ cùm appellantur, in nullo subiecto esse intelliguntur.*

Hoc est, quæ subiecto non inhærent. Cuiusmodi sunt substantiæ (siue primæ, siue secundæ) non autem accidentia.

*Quomodo describit Aristoteles quartum modum per se?*

* *Quarto modo ea per se dicimus, quæ suapte natura ac propter se alteri conueniunt.*

Hoc est, tunc prædicatum subiecto per se conuenit, quando subiectum, determinatã prædicati caussam

caussam continet, vt iugulatus interijt.

*An omnes propositiones, in quibus quarto modo per se conueniunt attributa subiectis, etiam sunt ordinatæ & de omni?*

Quòd si probatorum auctorum exemplis adhę reamus, facendum nobis est, nõ omnes eiusmodi esse, vt manifestum est de istis, Aedificator ædificat, Musicus canit, Album videtur. Iugulatus interijt, si propter iugulationem secuta est mors.

VNIVERSALE.

*Quomodo hoc loco definit Aristoteles vniuersale?*

* *Vniuersale est, quod et in omni inest, & per se rei cõuenit, & hoc ipso, quòd res talis est, ita vt de eo concludatur, in quo primùm omnium cernitur.*

Vt, risibile hominis est vniuersale, quia omni homini inest, eique per se conuenit, & primùm de eo demonstratur.

*An hîc eodem modo accipitur vniuersale, quo in tractatione quinq; vocum?*

Non, sed multò strictius, nihil enim hic est vniuersale alterius, nisi eidem etiam per se insit.

*Explica partes definitionis.*

Quid sit dici de omni, prius dictum est. Per se autem intelligimus primo aut secundo modo: verùm ne quis fallatur, existimās aliud esse per se, & hoc ipso quod res talis est, dicit Aristoteles, illa duo eadem esse, Est enim (inquit Themistius) alterum alteri ita consentaneum cõnexũq;, vt separari alterum ab altero non possit.

Estne

*Estne præter eam, quam vulgò demonstrationẽ accuratam, seu propter quid appellant, aliud etiam demonstrationis genus?*

Ex c. 10. *Est nimirum demonstratio, quod sit.*

*Quid est domõstratio, quòd sit, siue impropria?*

*Est syllogismus quo ab effectu ad caussã, vel à caussa non immediata & proxima ad proprium effectũ tendimus.*

*Quotuplex est igitur demonstratio impropria, siue quod sit?*

Duplex, Vna quæ procedit ab effectu ad caussam, vt,

Quæcunque non micant, propè sunt,
Planetæ non micant, igitur
Planetæ propè sunt.

,,Hæc enim demonstratio (inquit Aristoteles) nõ ,,cur ita sit ostendit, sed tantum quòd ita sit: non ,,enim quia non micant, prope sunt, sed contrà, ,,quia propè sunt à terra, propterea non micant.

Item hæc,

,, Omne quod in formam semper rotundam ac-
,,crescit, rotundum est:
,, Luna autẽ in hunc semper modum accrescit,
,, Rotunda est igitur.

,,Atq; hæc quidẽ ratiocinatio, quòd sit res, osten-,,dit: Nõ enim huiusmodi luminis accretio, caus-,,sa est, cur globosa sit luna: sed contra, quia glo-,,bosa est huiusmodi semper luminis accessiones ,,capere conspicitur.

Altera dicitur demonstratio, quòd res sit, quæ effectum demonstrat per caussam, sed aliquanto longius petitam, vt,

Omne

Omne corpus mixtum est mobile,
Omne saxum est corpus mixtum;ergo
Omne saxum est mobile.

# DE IGNORATIONE.

Postquam Aristoteles de ijs omnibus quę ad demonstrationem,vt inter reliquas argumentationum formas maxime perspicua, ita citra controuersiam efficacissima,pertinere videbātur,copiosissime disseruisset , quædam de ignoratione, ex diametro cum sciētia pugnante subiecit,vt op positi consideratione magis perfectiusq́; alterum oppositum intelligeretur, ita enim natura comparatum est,vt si opposita simul in conspectum veniant,alterum alterius illustret patefaciatq́; naturam:proinde & nos Aristotelem sequentes strictim & paucis de ignoratione agemus. *Ex ca.12.*

*Quid est ignoratio?*

*Ignoratio siue inscitia, nihil aliud est,quàm scientiæ priuatio.*

*Quotuplex est ignoratio?*

| | | |
|---|---|---|
| * Duplex est ignoratio videlicet. | { | Ignoratio puræ negationis<br>&<br>Ignoratio prauæ affectionis. |

*Quid est ignoratio puræ negationis?*

*Ignoratio puræ negationis est nuda sciētiæ priuatio.*

Vt ignoratio,qua infans ignorat omnem hominem esse disciplinæ capacem.

*Quid est ignoratio prauæ affectionis?*

*Ignorationē prauæ affectionis,ita describit Aristot.*

* *Ignoratio atq; inscitia,nō illa quidē quæ ex ne- gatio-*

Luna autem à sole illustratur; ergo
Luna ex ea parte qua solem spectat, est lucida.

*Cur hoc loco inducit Aristoteles mentionem solertiæ?*

Quia, vt ex eius exemplo iam recitato manifestum est, solertia in demonstrationibus frequenter locum habet.

## DE QVÆSTIONVM generibus.

*Ex libro secundo de demonstratione.*

NON multò post, quatuor quæstiones tradit Aristoteles, quibus omne genus dubitationū quæ circa res obscuras incidere possunt, cōplexus est: & maximè illarū, quarum perfecta explicatio scientiam gignit, cuius gratia hoc loco de quæstionibus, ab illo agitur: maximè verò quòd ad inuestigationem medij demonstrationis omnes cōducant, quamuis tamen alio atq; alio modo. *Ex ca. 1.*

Harum hic est ordo:
- An sit.
- Quid sit.
- Quod sit, vel quale sit.
- Quamobrem sit.

Priores duæ, simplices sunt. Fiunt enim de resumpta cum verbo (est) secundo (vt vocant) adiacente, vt, An homo sit, & Quid homo sit.

Duæ posteriores vocantur coniunctæ. Plura enim complectuntur, nimirum subiectum & præterea prædicatum quoq; distinctū à verbo, est, vt, An homo sit risibilis, Quare homo sit risibilis.

Hoc tamē monendum apparet, tertiam, quam

dicimus,quæſtionem,non tam interrogationem videri,quam aſſeuerationem,Græcè ὅτι ἐςί Latinè quia eſt, vel potius quod eſt,ſeu quod res ſit, talis quamuis per quęſtionem proponi poſsit, An res eſt talis?ſeu,An prædicatum ineſt ſubiecto?

¶ Ad harum quæſtionum explicationem maiorem,nonnulla ſunt dicta ſuperius, vbi methodum themata ſimplicia explicandi tradidimus.

¶ Quærit poſtremò hoc loco Ariſtoteles,& fuſe diſputat de notitia principiorum, quomodo eam aſſequamur,quę quidem quęſtio nequaquam hoc loco imtempeſtiua eſt:eius enim recta explicatio demonſtrationis tractationi multum lucis afferre poteſt.Quapropter quid de ea ea ſentias,paucis expone.

In hac quæſtione diſsident à Platonicis Peripatetici. Illi enim arbitrabantur ab ipſo ortu inditos nobis eſſe habitûs, quibus cognoſcimus principia & concluſiones:eos tamen non latere, neq; à nobis poſſe animaduerti quòd inſint,niſi ſtudio adhibito.Hinc quoq; affirmabant,omnē noſtram ſcientiam eſſe recordationem.Contra,Peripatetici exiſtimabant ab ortu animam rationalem nudam eſſe ab habitu omni,ſe perinde habere,atque tabulam raſam,in qua nihil eſt depictum, ac in nobis iam adultis per inuētionem aut doctrinam gigni,habitus cognoſcendi principia & concluſiones,frequenti actuum iteratione,quemadmodum etiam virtutes.

Abſurdum quippe putabant,dicere aliquem in noſtris animis ineſſe habitum nobis inſcientibus, & quem non facilè animaduerteremus nobis ineſſe.

Pro solutione autem quæstionis dicit Aristoteles, neque habitus seu notitias principiorum inesse à natura, neq; ab alijs habitibus notioribus fieri, sed à sensu. Et addit, quod habitus seu notitia principiorum, dicatur, νοῦς, Latini vocant intellectum: Habitus verò seu notitia conclusionis ἐπιστήμη, seu scientia.

*Quis est vsus eorum quæ dicta sunt in tertia quarti libri parte?*

Quę tertia huius quarti libri parte hactenus recensuimus, eò spectant, vt melius intelligatur natura demonstrationis, cuius lōge maxima est vtilitas. Vt enim taceam, quod summum locū inter omnes argumentationis species iure obtinet: parens etiam est, quæ nobis scientias, quibus mūdus inferior nihil prę̄stantius, nihil admirabilius, nihil homine dignius habet, tanquam diuinā quādam sobolem peperit. Quamobrem suprà quoque definita demōstratio, est syllogismus, qui rei sciētiam efficit ac parit.

*Quis est vsus eius doctrinæ, quæ toto hoc libro quarto tradita est?*

Ex nulla Logices parte plus fructus percipitur, quàm ex hac, in qua argumentationum formulæ tractātur. Quis enim simplicium vocum, quarum discrimina primo libro, domicilia verò & classes in categorijs tradita sunt: Quis propositionū, quarum in natura libro tertio explicata est, vsus fuerit, nisi ex eis contexamus argumentationes: & enuntiationū enūtiationi, legitimo ordine & modo connectentes, quid verum, quid falsum sit, in omni sermone perscrutemur.

Hoc itaque libro primùm videre licèt, quæ vis & quanta vtilitas sit Dialecticę. Cùm enim in omni oratione, argumẽtatione vtamur, neque de argumentatione vlla rectè iudicare possint huius artis imperiti, & nulla controuersia sit, quæ nõ sit conferta argumentis, quid intelligent hi, qui non norunt argumẽta legitimo ordine disponere aut perspicere, quomodo singula membra cohæreant.

Profectò tanquam cæca nocte nauigantes, nullam certam sententiam isti tenere posse videntur qui ad lectionem cuiuscunque scripti, hoc instrumentum non adferunt.

Non mediocris est negotij animaduertere, vbi totum argumentum quis recitet, vbi partem eã, quæ erat infirmior, dissimulauerit.

Hoc qui non aduertit, eum sæpe falli, temereq́; iudicare necessum est.

Sæpe etiam miscentur argumentis Rhetorum schemata. Ornatus autem, quamuis propositum reddat illustrius, tamen cùm de argumento iudicare voles, detrahendus erit: Et argumentationis membra, tanquam nuda ossa, erunt intuenda, vt cognoscatur, an satis firma sint.

Frequenter autem decipi cõtingit auditores copia orationis, & obruuntur eorum ingenia, & oculi mentis perstringuntur, vt pro certis amplectãtur incerta & vana, pro veris falsa.

Sic Demosthenes vicit Aeschinem, quanquam in deteriore caussa hoc syllogismo:

In consilijs publicis honestas sequenda est,
Ergo honestatem secutus sum,
Igitur rectè consului.

Miras autem tragœdias agit tum in maiore, tũ

in minore amplificanda, & orationis impetu iudicũ animos perturbat,& in suas partes pertrahit, commemorat exemplũ Cyrsili, quòd illum vnà cũ vxore lapidibus obruerint Athenienses, quanquam vtiliter consulentem, quia vtilitatem præposuisset honestati,& consuluisset, vt Athenienses dederent se Persis.

Addit etiam vim minori per collationem, nihilo feliciores esse eos, qui se cum Philippo coniunxerint.

Item miserrimam fuisse futuram seruitutem, præterquam quòd turpis esset, etc.

Hæc tamen omnia, si quis ad dialecticam reuocet, infirma sunt, quia maior ita vera est, honestatem esse præcipuè spectandam, vt si multa sint honesta, delectus quidem habeatur honestorum, eaque sequamur, quæ minimum habent periculi.

Nam etiam si erat honestũ Athenis vlcisci iniurias a Philippo acceptas, tamen fuerat id periculosum: itaq; quod proximum erat faciendum fuit, vt pax redimeretur sine turpitudine, & sine publico periculo.

Huius generis innumerabilia exempla quotidie animaduertere licebit, vbi copia orationis obruti auditores assentiuntur incertis, eaque satis firma esse ducunt, cũ excerpere nuda argumenta ex oratione non possunt.

Proinde in omnibus longis caussis hoc faciendum est, vt ad Dialecticam argumenta omnia exigantur,& nuda considerentur, vt iudicari de eis rectius posit.

Neq; verò in oratione omnes versus ad præcepta dialectices exigi debent, sed ars quędam est, videre argumenta præcipua,& quibus vnaquæque

caussæ nititur, hæc sunt ad dialecticas formas adstringenda.

Quæ ad ornatum seu explicationem argumentorum pertinent, ea sunt oratoria, & in sua disciplina proprias habent præceptiones.

Id & Quintilianus monuit, quem locum, cùm doceat, & quis sit Dialectices vsus, & quatenus ea sit vtendum, non grauabimur referre.

Sic autem habet institutionum Oratoriarum libro quinto:

„ Namque ego, vt in oratione, syllogismo quidem aliquando vti, nefas non duco, ita constare „totam, aut certe confertam esse aggresſionum „& enthymematum stipatione minime velim.

„ Dialogis enim & Dialecticis disputationibus „erit similior, quam nostri operis actionibus, quę „quidem inter se plurimum differunt.

„ Namq; illi homines docti, & inter doctos ve„rum quærẽtes, minutiùs & scrupulosius scrutã„tur omnia, & ad liquidum confessumque perdu„cunt, vt qui sibi & inueniendi, & iudicandi ven„dicent partes, quarum alteram τοπικὴν, alterã „κριτικὴν vocant.

„ Nobis ad aliorum iudicia componenda ora„tio est, & sæpius ad omninò imperitos, aut alia„rum certe ignaros literarum, loquendum est, „quos nisi delectatione allicimus, & viribus tra„himus, & nonnunquam turbamus affectibus, „ista, quæ iusta ac vera sunt, tenere non possu„mus.

„ Locuples & speciosa vult esse eloquentia, quo„rum nihil consequetur, si conclusionibus certis „& crebris, & in vnam prope formam cadentibus „concisa, & contemptum ex humilitate, & odium

„ex quadam seruitute & ex copia satietatem, et ex „amplitudine fastidium tulerit.

„ Feratur igitur non semitis, sed campis, non „vti fontes angustis fistulis colliguntur, sed vt la„tissimi amnes totis vallibus fluat, ac sibi viam, „si quando non acceperit, faciat, etc.

Ita Fabius monet in oratione liberiùs disputãdum esse, sed cũ iudicare de caussa voles, ornatus argumentis detrahendus erit, eaq; iustis formis syllogismorum illigare oportebit.

¶ Nullę enim Rhetorum probationes certæ solidęq; existunt, nisi ijs formulis, quas hic quartus liber explicat, circumscribi queant. Quod qui non videt, totius Dialecticæs fructu, sese frustrari sciat.

# LIBRI QVINTI PARS PRIOR.

## EX PRIMO TOPICOrum *Aristotelis.*



VM Dialectica duabus partibus inuentione & iudicio constet, & vtcunque absoluta sit præcedenti libro argumentandi ratio, quę ad iudicium pertinet: reliquum est, nūc vt de inuentione, quæ locos tradit, & à Græcis τοπικὴ dicitur, agamus. Nolim tamē vulgato errore deceptū quempiam arbitrari, hāc scientiam nihil præter materiæ inuentionem exhibiturā dialectico, nihilq́; prorsus iudicij illi allaturam esse, cū sit certū, neq; hanc, neq; aliam vllam ferè Logices esse partem, quæ non simul cōtineat, lectoribusq́; aliquo modo proponat, & ea quæ ad inuentionem pertinent, & quę ad iudiciū: quāuis id iudicij nō semper circa partiū argumētationis iuncturā cōnexionéq; versetur. Id quod apertissime Boetius asseuerat in cōmētarijs, quos in Ciceronis ad Trebatium Topica scripsit.

Vnde factum est quod alij in ea sint sententia, vt dicant Aristotelem in suis libris non tam eam spectasse Logices diuisionem, qua in inuētionem & iudicium distribuitur, quàm qua in artem apodicticam & dialecticam. Atque ad apodicticam seu demonstrandi rationem pertineant libri posteriorum Analyticorum: ad dialecticam Topico-

picorum libri. Præcedentes verò ad vtranq; dirigi quia principia tradunt vtriq; communia Elenchi autem sophistici, vel ad neutram partem, quia vitia potius continent, quàm veram argumentandi scientiam, vel ad dialecticam, quia vitium illud in dialecticis syllogismis solet irrepere. Quamobrem etiam subiunxit Topicorum libris.

In hac autem Topica arte quamuis eam cōstet potissimum ad inuentionem pertinere, illaq; proponi, quibus cognitis probabilia argumenta ad vnamquamque propositam quæstionem, facilè inueniamus, nihilominus quædam etiam generales propositiones, & axiomata, seu regulæ certissimæ traduntur, secundum quas Dialecticos construamus syllogismos: & simul de Dialectici syllogismi partibus, tum remotis, tum propinquis, earumq; ordine iudicemus. Sed nunc quæ sit materia Topicorum, breuiter ostendamus.

Topices materiam plerīq; esse existimāt, syllogismum dialecticum. Quorum sententiæ consonat Philosophus apertè in primi Topicorum initio, dum sic habet:

„ Ac primùm quidem quid sit ratiocinatio dicendum est, quæque eius genera, vt ratiocinatio „dialectica, quoniam hoc sermone eam inuestigamus, quid sit, intelligatur.

Proinde & nos, illius vestigijs insistētes (vt initio nos esse facturos promisimus) ab eodem initio huius quinti libri tractationem auspicabimur.

*Quomodo definit hoc loco Aristoteles ratiocinationem?*

* Ratiocinatio est oratio, in qua quibus- *Ex ca. 1.*

dam positis, aliud quiddam quàm quæ posita sunt, ex ijs ipsis quæ posita sunt, efficitur necessariò.

*Explica clarius sententiam verborum huius definitionis.*

Hæc definitio explicāda est, vt ea, quam in præcedēti libro declarauimus. Nodum in scirpo quæritant, qui hanc definitionem ab illa distinguere nituntur

*Quorsum ergo inculcat hîc Aristoteles eandem eiusdemq́; rei definitionem?*

In eum vsum ac finem repetita hæc ratiocinationis definitio est, quod de quadam illius diuisione in subsequētibus, vtilis omninò & necessarius habendus sit sermo, quodq́; ex hac ratiocinationis definitione pendeat, vter contentiosorum syllogismorum videatur esse syllogismus, & reuerà syllogismus sit: & vter videatur, non autem sit.

*Quæ est illa syllogismi diuisio, cuius occasione hoc loco eius definitio repetita fuit?*

* *Syllogismorum alius*
- *Demonstratiuus,*
- *Dialecticus,*
- *Contentiosus,*
- *Fallax, quem Aristoteles vocat ψευδόγραφον.*

*Recita demonstrationis definitionem quam hoc loco habet Aristoteles.*

* Demōstratio est, cùm ex veris & perspicuis conclusio est, aut certè eiusmodi, quæ à quibus-

quibusdam perspicuis & veris caussam cognitionis sumunt.

Hoc est, Demonstratio generatim accepta, est ratiocinatio, constans ex præmissis necessarijs vsque quæ sub demonstrationem non cadunt, aut ex talibus, quæ probari possunt per propositiones primò veras, siue immediatè id fieri possit, siue non, nihil enim hoc refert. Nam hic syllogismus,

Omnis homo est particeps sensus,
Socrates est homo, ergo
Socrates est particeps sensus.

Sub posteriori hac parte continetur: cuius tamen maior nõ potest probari immediatè per primò veram, sed mediatè probatur per hanc, Omne animal est particeps sensus, quæ rursus per hanc probatur, Omne corpus animatũ sentiẽs, est particeps sensus, quæ est immediata & primò vera.

*Quæ demonstratio continetur sub hac definitione?*

Omnis demonstratio, tam propter quid, quàm quia est. De quibus in vltima parte libri quarti est dictum.

*Quomodo definit Aristoteles dialecticum syllogismum?*

* Dialectica ratiocinatio est, quæ ex probabilibus concluditur: vt,

Omnis mater diligit filium,
Maria est mater, ergo
Maria diligit filium.

*Quomodo definit Aristoteles vera & perspicua?*

* Vera & perspicua ea sunt, quæ non ab ab alijs, sed à seipsa fidem habent.

Vt,

Vt, Contradictoriæ non possunt simul esse veræ, nec simul falsæ: Omne animal rationale est capax disciplinæ.

*Quomodo definiuntur probabilia ab Aristotele?*

* Probabilia sunt, quę probantur aut omnibus, aut plurimis, aut certè sapientibus: atque ijs vel omnibus, vel plurimis, vel ijs, quorum spectata est, & perspecta sapientia.

*Explica partes huius definitionis.*

Definiuntur hîc propositiones verisimiles. Ea dicuntur probari aut videri, quibus noster intellectus infirmè assentitur vt metuat ne oppositum verum sit. Et hinc exclusa sunt omnia demõstrationum principia, simul & conclusiones, quibus nõ adsentimur cum eiusmodi metu aut suspiciõne, sed firmiter & manifestò.

Porrò, sequens huius finitionis particula (omnibus aut plurimis, etc.) varietatẽ probabiliũ explicat. Sunt etenim inter probabilia quædã, quæ omnibus probãtur & doctis & indoctis, seu vulgaribus. Vocula enim (omnibus) non solùm ad vulgares indoctos & rudes referenda est, sed ad omne genus hominum. Eiusmodi sunt, Matrem suum filium diligere, Fratres mutuùm amare, Figulum odisse figulum, Benefacienti repetendum esse beneficium, etc.

Alia sunt, quæ non omnibus probantur seu videtur, sed plurimis, & maiori hominum parti tam ineruditorum quàm eruditorum, vt sunt, Parandas esse opes, Honores expetendos esse: Præstare Rempublicam ab vno, quàm à pluribus principibus regi.

Alia

Alia sunt, quæ duntaxat sapientibus videntur. Atque horum quædam omnibus videtur sapientibus, vt, Cælum hæc inferiora gubernare. Meliorem esse opibus eruditionē. Melius esse iniuriam pati, quàm inferre. Præstare nomen bonum, quàm multas habere diuitias.

Alia non omnibus, sed plurimis solùm probantur, vt, Virtutem maximè expetēdam esse. Felicitatem in virtutis perfectissima operatione consistere.

Vltimo ac postremo loco sunt ea, quæ solùm probātur maximè probatis seu sapientissimis ver satissimisq; in aliqua disciplina, vt sunt, Non ponēdas esse ideas à rebus singulis re vera distinctas: Aspectum fieri recipiendo, non extramittendo.

*Quæ est definitio syllogismi cōtentiosi?*

Contentiosus syllogismus aliàs appellatur syllogismus sophisticus, cuius ex Aristotele quidam duas definitiones, vulgò tamen vnam duntaxat faciunt, hanc videlicet:

* Contentiosus syllogismus ratiocinatio est, quæ ex ijs progreditur, quæ probabilia videntur, nec sunt: aut quę ex probabilibus, vel quæ probabilia videntur, constans conclusio necessaria esse videtur, nec est.

*Quæ ratiocinatio continetur sub primo definitionis huius membro?*

Sub primo membro continetur contentiosus peccans in materia tantùm, qui tamen est bonus secundum formam, vt iste:

Quidquid habet oculos, potest videre,

Quid-

Quidquid non eſt priuatum oculis, habet oculos ergo
Quidquid non eſt priuatū oculis, poteſt videre.

Item ex Gellio.

Quidquid non perdidiſti, habes,
Cornua non perdidiſti,
Habes igitur cornua.

*Quæ ratiocinationes continentur ſub ſecundo membro?*

Sub ſecundo membro continentur ſyllogiſmi qui peccatum admittunt in forma tantum: vt,

Omnis mater diligit quem lactat,
Omnis nutrix diligit quem lactat, igitur
Omnis nutrix eſt mater.

Item:

Quod ego ſum, tu non es,
Ego ſum homo, ergo
Tu non es homo.

*Quæ ratiocinationes continentur ſub tertio membro?*

Vitioſi in materia & forma ſimul, vt,

Nulla oppoſita ſunt ſimul vera,
Quædam ſubcontraria ſunt oppoſita, ergo
Nulla ſubcontraria ſunt ſimul vera:

*Quæ eſt definitio ratiocinationis fallacis?*

Ratiocinatio fallax eſt, quæ ex proprijs initijs nonnullarum artium, non veris, efficitur, & conſtat: vt,

Omnes lineæ ab eodem puncto ductæ ad idem punctum, ſunt æquales,
Sed linea recta & linea curua, ductæ ſunt ab eodem

dem puncto ad idem punctum, ergo
Linea recta, & linea curua sunt æquales:
Item:
Quolibet numero quantumuis magno, alius maior esse potest,
At numerus infinitus est numerus, ergo
Numero infinito potest alius esse maior.

*Expone latiùs partes huius definitionis.*

Syllogismus pseudographus ex scientijs Mathematicis, & præcipuè ex ipsa Geometria nuncupationem videtur desumpsisse: in qua si falsa descriptio principiorum per syllogismum designetur, ab ea dicitur syllogismus fallax & pseudographus.

Particula (proprijs initijs) fallacē separat à dialectico syllogismo & contentioso.

Postrema autem huius finitionis parte (non veris) separatur, fallax syllogismus à demonstratiuo: qui licèt eadem materia siue remota, siue propinqua, hoc est, eodem principio constent, alia tamen atq; alia ratione eo vtuntur: Demōstratiuus quidem, tanquam vero certissimeq; cognito: fallax autem, in falso sensu, quāquam id ceu verum assumat ex imperitia, leuitate aut temeritate, is qui argumentatur, dum eum latet falsitatis caussa.

Est itaque syllogesmus fallax, cuius mētio hoc in loco fit, qui ex principijs alicuius sciētiæ proprijs malè intellectis, conclusionem colligit. Ad quem reuocanda est omnis præterà vitiosa demonstratio.

*Quis est vsus iam recitatæ diuisionis syllogismi?*

Operæpretium est, materiam syllogismi diligenter

genter expēdere. Nam alia eſt materia neceſſaria, alia probabilis, alia falſa, idq́; vel palàm, vel occultè, quod veri ſpeciem prę ſe ferat. Quod vt moneret Ariſtoteles, hanc induxit diuiſionem. Sed ſpeciatim de ſingulorum membrorum vſu dicemus, omiſſo tamen demonſtrationis, qui alio loco eſt declaratus.

*Quis eſt vſus dialectici ſyllogiſmi?*

Poſt demonſtrationem, quę certiſsima veri indagatrix ad rei veritatem ſcrutādam & inueniendam cum primis efficax eſt, ſyllogiſmus Dialecticus ſecūdas iure obtinet, minorem quidem & debiliorem, ſed tamen non paruam vim adferens ad eiuſdem veritatis inquiſitionem. Et quemadmodum propterea demonſtratio, mater ſcientiarum dicitur, quòd ſcientię nihil ſint aliud, quàm habitus cōcluſionum quæ eliciuntur ex præmiſsis demonſtrationis, quæ gignendi ſcientiam vim habent: ita quoq; ſyllogiſmus Dialecticus, origo & fons verarum opinionum rectè appellabitur.

Quandoquidem opiniones veræ, habitus ſunt concluſionum, quæ ex pręmiſsis Dialecticis concluduntur, quarum proprium eſt opinionem parere.

Huius proinde ratione ſyllogiſmus iſte ad exercitationes ſcholaſticas ſeu diſputationes, quæ in ludis literarijs excolendi acuendiq́; ingenij gratia ſuſcipiuntur, item ad obſiſtendum aduerſarijs, & Sophiſtas coarguendos & confutandos, potiſsimum valet. Nam & qui ſe exercēt, & qui alijs obſiſtunt, nihil agunt aliud, quàm vt de themate, quod probandum vel confutandum proponitur, opinionem in auditoris animum ex probabilibus inducant.

Quis

*Quis est vsus syllogismi contentiosi & fallacis?*

Qui vim propriumq́; horũ syllogismorum effectum, deceptionem esse & ignorantiã pro scientia sese venditantem putabit, haud dubiè ipsos prorsus inutiles iudicaturus est. Verùm simul atque cogitabit ita naturà comparatum esse, vt falsum sub veri specie plerunq; obrepat, horum syllogismorum notitiam magnopere sibi profuturã intelliget. Quemadmodum enim illi, qui noctu in tenebris ambulant, ignorantes quibus in locis terræ sint hiatus aliqui, sæpissimè cadunt in foueas: contrà, qui soli naturam exploratam habẽt, cauere sibi quò minus labantur, possunt: ita quoque verisimile est, eos, qui deceptiones ac imposturas nesciunt, circumueniri, qui verò sciunt, falli non posse.

Ergo eatenus nobis vtiles sunt nothi isti & adulterini syllogismi, quatenus cognita ipsorũ natura, non patiamur nobis à Sophistis, & cauillatoribus, qui ijs frequenter vti solent, adeò imponi, vt falsum pro vero, aut verum pro falso recipiamus.

Quin & hoc vsu venire videmus, vt vnum oppositorum ex altero intelligatur. Quare penitius introspecturus est germani syllogismi naturam qui spurios iam cognouerit: rectiusq́; demonstrationem, si ei contrarium fallacẽ cognoscat, & Dialecticum syllogismum, natura contentiosi perspecta, est intellecturus.

## DE PRINCIPIIS MATE-
*rialibus syllogismi dialectici.*

Ex ca.3. *Quotuplicia secũdum Aristotelem sunt principia materialia syllogismi dialectici?*

Duplicia, videlicet
- Remota, & sunt
  - Definitio
  - Proprium
  - Genus
  - Accidens.
- Propinqua, & sunt
  - Propositio Dialectica, &
  - Problema Dialecticũ, sub quo cõtinetur propositũ.

## DE MATERIA REMOTA *syllogismi dialectici.*

*Quid est definitio?*

Cap.4. * Definitio seu terminus est oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit.

*Quale definitionis genus hîc describitur?*

Definitio essentialis. Appellatur autem terminus, metaphora sumpta ab agrorum terminis. Nam si quempiam ambigere contingat de re aliqua, quid ipsa sit, reddita definitione terminatur atque finitur eius rei natura non secùs, quàm terminus.

Et populos, vrbesq́;, & regna ingentia finit.

*Redde alijs verbis definitionis sensum?*

Definitio hũc habet sensum. Definitio est oratio imperfecta, rei substantiam explicans.

Vt, animal rationis particeps.

Cicero in Topicis hanc definitionis descriptionem mutuatur.

Quid

*Quid est proprium?*

* Propriũ est, quod quid sit res non explicat, in soloq; inest, & vicissim de re dicitur.

Hoc est, Proprium simpliciter & absolutè acceptum, est prædicatum, quod non explicat rei substantiam, soli autem inhæret, & reciprocatur cum subiecto, cuius est proprium. Vt proprium est hominis, esse Grammaticæ capacem.

*Expone paucis omnes proprij acceptiones de quibus hoc in loco agit Aristoteles.*

Eas tres proponit. Aliud enim vocatur propriũ simpliciter, & omninò quod nunc est definitum, aliud proprium ad aliquid collatum. Id autem est quod sic alicui accidit, vt nõ alteri, ad quod comparatur.

Huiusmodi proprium duplex est. Nam quoddam est, quod alicui accidit speciei, non autem omni illius indiuiduo. Vt medicum esse, ad hominem, cui competit ratione Hypocratis, Galeni, alteriusve vt cum alio qui medicæ facultatis expers est comparatur.

Alterum est, quod alicui speciei, eique toti accidit, non autem soli: quæ quidem species ad aliud refertur, cui idipsum non conuenit, quemadmodum bipes propriũ est homini, collato ad equum, canem, cæteraque animalia quadrupedia.

Illud apud Porphyrium dicitur propriũ primo modo, hoc verò secundo.

Tertium proprij genus est, Proprium aliquando. In hac significatione canescere, pubescere, homini propria sunt. Item & à dextris esse, si omnis atq; solus homo à dextris sit.

Hæc propria palàm est pertinere ad propria tertij modi, apud Porphyrium.

*Quid est genus?*

* Genus est, quod de pluribus, specie autem differentibus dicitur in quæstione qua quid sit res, quæritur.

*Explica sententiam huius definitionis.*

Generis descriptio, eo explicãda est modo, quo in Porphyriana Isagoge.

*Quid est accidens?*

Accidẽtis duas Aristoteles definitiones recitat.

PRIOR EST.

* Accidẽs est, quod nihil horum est, nec genus, nec definitio, nec proprium, rei autem conuenit.

POSTERIOR.

* Accidens est, quod cadere potest in rem vnam aliquam, & in eandem non cadere.

*Expone alijs verbis sententiam harũ definitionum.*

*Ex. ca. 6.* Similes sunt duabus postremis Porphyrianis, ad eundemque modum explicandæ.

*Quot modis dicitur aliquid idem?*

Tribus, videlicet { Aut numero, Aut specie, Aut genere. }

*Quem horum modorum cognitio fructum adfert?*

Modorum eiusdem, & item diuersi cognitio ad 4. prædicatorum (sic enim hoc loco vocant dialectici, definitionem, proprium, genus & accidens) tractationem, rectè intelligendam est vtilis & necessaria.

Quo-

*Quomodo definit Aristoteles eadem numero?*

* Numero eadem sunt, quorum & nomina plura, & res vna est.

Vt, vestimentum, & vestis, Tullius & Cicero.

*Quomodo eadem specie?*

* Specie eadem sunt, quę multa sunt, neq; specie differunt.

Vt Socrates & Plato.

*Quæ dicuntur eadem genere secũdum Aristotelem?*

* Genere eadem dicuntur, quę eidem generi subijciuntur.

Vt homo & equus.

*Quotuplicia apud Aristotelem sunt eadem numero?*

Reuera sunt quadruplicia, licèt Aristoteles triplicia tantũmodo faciat, duos primos modos in vnum confundens.
- Eadem numero
  - Nomine, vt vestimẽtũ & tunica.
  - Definitione, vt animal rationis capax, & homo.
- Qui duo modi sunt præcipui & maximè proprij.
- Eadem numero proprio, vt disciplinæ capax, & homo.
- Eadem numero accidente, vt Socrates & sedẽs, Socrates & musicum.

*Quot modis dicitur aliquid diuersum?*

Tribus, videlicet
- Diuersum numero,
- Diuersum specie,
- Diuersum genere.

*Quomodo definiuntur diuersa numero?*

Diuersa numero, sunt diuersa indiuidua eidem speciei prædicabili subiecta. Vt Ioannes & Petrus. In genere, verò numero differunt, quæcunque diuersum constituunt numerum.

*Quæ dicuntur diuersa specie?*

Diuersa specie sunt plura indiuidua, sub diuersis speciebus infimis subiecta, vel diuersæ species infimæ, vel vna species, & alterius speciei indiuiduũ. Vt Bucephalus & Alexander, homo & equus. Ioannes & equus.

*Quæ diuersa genere?*

Diuersa genere, sunt diuersorum generũ indiuidua, aut species sub diuersis generibus comprehensæ, vel etiam ipsa genera diuersa.

Ex c. 7 *Repete summatim communionem & differentiam attributorum inter se.*

Omnia attributa prædicantur

- Vel
  - Vicissim
    - ad naturã pertinẽt, vt termin⁹, Ὅρος. (seu definitio.
    - & non pertinẽt ad naturam vt Ἴδιον. (proprium.
  - Non vicissim
    - & ad naturã pertinẽt, vt genus. Γένος.
    - & ad naturã nõ pertinẽt, vt accidẽs. Συμβεβηκός.

*Quis est horum vsus?*

Hæc attributa eo consilio Aristoteles persecutus est, vt materiam, ex quã dialecticus syllogismus constat, cognosceremus. Tractatio autem de

eodem

eodem,rerum conuenientijs & differentijs cognoscendis seruit,& ad multas definitiones, maximè autem eas,quas habet in sua Isagoge Porphyrius rectè intelligendas,plurimùm conducit.

## DE MATERIA PROpinqua *syllogismi dialectici.*

### *Quid est propositio dialectica?*

* Propositio dialectica, est interrogatio probabilis, quæ non sit contra opinionem, vel omnium,vel cõplurium,vel sapientum: & sapiẽtum, aut omniũ,aut permultorum, aut eorum, quorum maximè perspecta est & spectata sapientia. *Ex.ca.8.*

### *Explica partes huius definitionis.*

Prima huius definitionis pars(interrogatio)idẽ valet,quod propositio interrogata simplici interrogatione,id est,sub altera duntaxat contradictionis parte.

„ Dialectica enim propositio (quemadmodum „in cap.1.lib.1.Priorum Analyticorum annotaue„rat)si interroget disputator, repugnantiæ inter„rogatio est:sin ratiocinationem conficiat, eius „quod & videtur & est probabile assumptio.

Dixi(simplici interrogatione)ad excludendam dialecticam quæstionem, quæ secundum Aristotelem ad sui rationem perfectam, duplicem exigit interrogationem.

Vocula (probabilis) reijcit ab hac definitione propositiones apertè veras aut falsas:vbi cõplures (probabile)sumunt,eo quo prius descriptũ est mo do,asserentes ita rectè dialecticam propositionem

definiri. Dialectica propositio est interrogatio probabilis, quæ non est admirabilis & paradoxa: reliquas autem partes adhiberi tantummodo maioris declarationis caussa, vtpote quę indicent tot propositionum dialecticarum esse genera, quot sunt probabilium.

Verùm hoc intellige, si eas partes, scilicet, vel omnium etc. ad probabile referas cum alijs interpretibus. Verùm noster interpres eas ad posteriorem partem retulit, μὴ παράδοξος, id est, non admirabilis vel quę nō sit cōtra opinionē omnium.

Porrò ea parte definitionis (quæ non sit cōtra opinionem) dialecticam propositionem à positione aut proposito separat.

*Quid est problema dialecticum, siue vt Perionius vertit, quæstio dialectica?*

Problema dialecticum, est quæstio, aut ad expetēdum & fugiendum, aut ad veritatem cognitionemq; pertinens, idq; vel per se, vel quia adiumentum afferat ad aliquid aliud, quod horum altero genere continetur: de qua aut neutrām in partem, aut contrà plerique ac sapientes sentiunt, aut sapiētes contrà, ac pleriq;, aut vtrique ipsi secum discordant.

*Expone partes definitionis?*

Prima definitionis pars θεώρημα speculatio, si Aphrodisiēsi credimus, pro quæstione posita est, quemadmodum & noster interpres vertit. Etenim speculari (inquit) pro quærere mos eius est dicere:

Pars

Par sequens(pertinens)id est,conferens,seu cuius cognitio est vtilis ad expetēdum bonum,& fugiendum malum,intellige morale. Nam problemata, quæ sub hac parte continentur,moralia sunt,vt,vtrum voluptas sit summum bonum, an non?

Omnia porrò problemata dialectica, ambigua esse debent & quæstione digna,hoc est, de quibus homines sani iudicij dubitant,vel contraria sentiunt:exempla sunt, Vtrum virtutes sint connexę an non? Vtrum decem sint categoriæ,an non? Vtrum sol sit exiguæ magnitudinis,an non? Vtrū sol sit maior tota terra,an non?

*Quomodo definit Aristoteles propositum?*

* Propositum seu positio est admirabilis sententia,contraq; opinionem omnium,aliquius eorum, quorum in Philosophia illustris est,& peruagata fama.

Vt, Vtrum omnia continuò fluant & mutētur, sicut dixit Heraclitus,an non? Vtrum omnia sint vnum ens,quemadmodum Melissus asseruit, an non?

*Quis vsus vsus eorum quæ allata sunt de propositione dialectica,de problemate seu quæstione, & proposito?*

In eum finem atq; vsum tradit Aristoteles dialecticę propositionis & problematis notitiā, quia principia sunt materialia propinqua syllogismi Dialectici. Propositio enim dialectica antecedentis obtinet locum,problema verò consequentis, „Vt Aristoteles cap.3.his indicat verbis:Probatio-

„nes(seu argumētationes)ex propositionibus cō-
„ficiuntur,& ratiocinationes de quęstionibus seu
„problematibus sunt. Cęterùm propositum ideo
„tractatū est,quòd problematis dialectici species
„quędam existat,quod idem ille sic declarat,Pro-
„positum quidem(inquit)etiam quęstio est, non
„omnis autem quæstio propositum:quandoqui-
„dem nōnullæ quęstiones sunt eiusmodi,de qui-
„bus neutram in partem sunt sententiæ.

## DE INDVCTIONE.

POst considerationem terminorum atq; propositionum,ex quibus conflatur dialecticus syllogismus,& omnis argumentatio dialectica, addit Aristoteles non solùm syllogismum, sed & inductionem, argumentationem dialecticam esse:ob idq; eam hoc loco iterum definit, & nonnulla ad eam pertinentia obiter pertractat, quod & nobis iuxta constitutum ordinem, faciendum est.

*Quomodo definit hoc loco Aristoteles inductionem?*

Ex ca.10. * Inductio est ex rebus singulis ad vniuersas progreßio.

Hoc est,inductio est legitima argumentatio,in qua progredimur à singularibus ad vniuersale distributum:Vt,

Gubernator peritus & doctus est optimus,&
Auriga peritus & doctus est optimus, ergo
In omni facultate,quicunque est peritus &
exercitatus is est optimus.

*Quot sunt inductionis species?*

Duæ

Duæ ſunt: { Altera enim eſt perfecta, / Altera verò imperfecta. }

*Quam vocas inductionem perfectam?*

Perfectam voco, in qua omnia ſingularia enumerantur.

*Quam imperfectam?*

Imperfecta eſt, in qua non omnia enumerãtur ſingularia, ſed aliqua duntaxat.

*Recita alias inductionis diuiſiones, quas hoc loco ſolent commemorare.*

Diuiditur vtraq; inductio in { Affirmantem, & Negantem. }

Et rurſus { In eam quę fit enumeratis ſingularib. à parte ſubiecti antecedentis. / Et eam, quę fit enumeratis ſingularib. à parte attributi antecedentis. }

*Profer exemplum inductionis, in qua ſingularia ex parte ſubiecti enumerantur.*

Hic ignis eſt calidus, &
Ille ignis eſt calidus, ergo
Omnis ignis eſt calidus.

Nam ſingularia in ſubiecto colloeantur.

*Profer exemplum inductionis, in qua ſingularia ex parte attributi enumerantur.*

Socrates eſt prudens & modeſtus & temperans, idem eſt iudicium de cæteris virtutibus, ergo eſt omni virtute præditus.

*Quod eſt diſcrimen inter ſyllogiſmum & inductionem iuxta Ariſtotelis doctrinam?*

Inter

Inter inductionem & syllogismum non inductiuum, est hoc discrimen, quod inductio verisimilior, apertiorq; est, sensuumq; iudicio familiarior & notior, ac sæpius in populi ore versatur, id est, antecedens inductionis est nobis verisimilius clarius, & ad sensum notius, quàm antecedens syllogismi.

Ratiocinatio autem magis vrget, ad eosq; qui contradicunt refellendos potentior est.

*Quis est vsus inductionis?*

De vsu inductionis in quarto libro abundè dictum est. Quapropter ne eius inutilis repetitio cuiquam molesta sit, ea supersedendum hoc loco putamus.

TRANSITIO.

Hęc de prima parte τοπικῶν, qua syllogismi dialectici natura eiusque partes tum remotæ, tum propinquæ sunt declaratæ. Nunc de locis agendum est.

LIBRI

# LIBRI QVINTI PARS SECVNDA.

## DE LOCIS DIALECTICIS.

LOcos Dialecticos, ex quibus omnis generis argumentandi materia petẽda est, consultò cum Aristotele distulimus hactenus, eos deinceps tractaturi, sed admodum breuiter, non solùm ne immodicè nobis sub manibus opus crescat, quod iam videmus iustam propemodum excessisse magnitudinem, dum omnia diligenter distinguere titulis, tabulis, literarumq́ue elegantiũ varietate studemus, vt plus lucis & gratiæ adsit præceptis: verumetiam ob eã caussam breuiores erimus in locis argumentationum tractandis, quia extant Rodolphi Agricolæ (viri profectò nunquam satis laudati, etiam à laudatissimis viris) libri de inuẽtione dialectica, adeò accurate copioseq; scripti, vt eruditorum iudicio longe vincant omnes in hoc genere tum Græcos, tum Latinos.

Quare hîc contrahemus locos in exiguum cõpendium, & tanquam in tabula spectandos proponemus, vt sine magno negotio percipere oculis omnes & complecti animo adolescentes possint.

Cùm autem hanc quasi negotij summã cognouerint, magnopere conducet legere Agricolã, qui totã hanc rem diligentissime tractauit & excussit.

Aristoteles autem, quem maxime velim omnibus studiosis in manibus esse, hac in parte confusior videtur, vt solent primi rerum inuẽtores minus

nus ordinatè res singulas locis suis constituere, quod à posteriorum diligentia est expectandum. Vt enim res ipsas primum inuenire maximũ est & difficillimum: ita post inuentionem non adeò magni est negotij, inuentas expolire & in ordinẽ redigere.

Quanquam igitur hactenus Aristotelis ordinẽ sedulò sumus secuti, hac tamen in parte ab Aristotelis cõmentatoribus Themistio atq; Boetio ordinem mutuari maluimus.

Priusquam verò ad locos argumentorum mõstrandos transeamus, quid locus sit, & quomodo diuidatur, edisseramus.

## DE LOCO ET EIVS *diuisionibus*.

### *Quid est locus?*

Locus vulgò definitur esse sedes argumẽti: vel alijs verbis, est index, ostendens ex quo fonte sumendnm sit argumentum, quo confirmãda est propositio, de qua dubitatur.

### *Quid est argumentum?*

Argumentum in Topicis Ciceronis describitur esse, ratio rei dubiæ faciens fidem, ab arguendo dictũ, quòd videlicet rem arguat, hoc est, probet. Nam arguere, veteres etiam ostendere dixerunt. Hinc illud Virgilij:

Degeneres animos timor arguit.

### *Quid inter est inter argumentum & argumentationem?*

Argumentum, vt iam diximus, est ratio rei dubię faciens fidem, seu id quod à differente ad the-

matis

matis veritatem comprobandam affertur. Argumentatio verò est tota ipsa ratiocinatio, ipsum thema vnà cum eius probatione complectés. Sed differentia sæpe confunditur, cùm & docti dicant argumentorum species pro formis argumentationum.

*Quotuplex est locus?*

Duplex ab auctorib. locus distinguitur:
- Locus maxima, seu axioma dialecticum, &
- Locus, qui est differentia maximæ, seu vocabulū, quo potissimum vnum axioma ab alio discriminatur.

*Quomodo definitur à dialecticis locus maxima?*

Locus maxima, est vniuersalis quędam propositio per se nota, ex qua sumitur argumentum, & argumentatio ipsa vim & confirmationem suam inde accipit: Vt, illa propositio apud Ciceronem: Contrariorum contraria sunt consequentia: & item hæc propositio: Cuicunq; conuenit definitū & definitio conuenit.

*Quem vocant locum differentiam maximæ?*

*Locus differentia maximæ, à dialecticis, vocatur is, quo maxima à maxima differt.*

Vt definitio, locus est differentia maximæ, similiter definitū, his enim secernitur posterius axioma à nobis iam recitatū à priori, quod ex Ciceronę afferebatur. Nam ad locum contrariorum pertinebat.

Quis

*Quis est usus huius diuisionis loci?*

Axiomata ista ad disputandum & iudicandum conducunt. Nam si cum proteruo agas altercatore, ad hæc sæpe, vt ad sacram ancoram, confugiẽdum est.

Vt si huius enthymematis, Bellum est caussa malorum, erit igitur pax bonorum origo, & procreatrix, negetur consecutio, probatio non aliunde constabit, quam ex illo axiomate, seu canone, Contrariorum contraria sunt consequentia.

Loci differentiæ axiomatum, memoriã iuuant. Nã cùm sint axiomata pene innumerabilia, opus fuit differentijs, quarum paucitas facile poſsit retineri.

*Quomodo diuiditur locus differentia maxima?*

Locus qui est differentia maximæ diuiditur in locum. { Internum, Externum & Medium.

*Quid est locus internus?*

*Locus internus est, qui cõtinet argumẽta, quæ sumuntur à substantia rei, de qua instituitur quæstio, vel rei substantiam comitantur.*

*Recita diuisionem loci interni.*

Locus internus subdiuiditur in { Locum à substantia. & A comitantibus substantiam.

*Quid est locus à substantia?*

*Locus à substantia dicitur, qui continet argumẽta, quæ ad substantiam rei controuersæ pertinent.*

*Quid est locus à comitantibus substantiam?*

Locus

*Locus à comitantibus substantiã dicitur, qui continet argumenta, quæ non sumuntur ab ipsa rei, de qua quæritur, substantia, sed ab aliquo, quod substãtiam eius comitatur.*

*Quid est locus externus?*

*Locus externus est, qui continet argumenta, quæ sunt omninò separata à substantia rei, de qua quæritur.*

*Quid est locus medius?*

*Locus medius est, qui continet argumenta, quæ partim conueniunt cum re, de qua habetur quæstio, & partim differunt.*

*Quis est vsus istius diuisionis loci?*

Vsus huius diuisionis facilè intelligetur ex exemplis. Vt si proponatur quæstio, Num omnis homo sit capax disciplinę? Ad hanc quæstionem terminandam adfero argumentum ab ipsa hominis definitione, quæ proculdubio ad ipsius substantiam siue essentiam spectat, & talem conficio argumentationem:

Omne animal rationale est capax disciplinæ, igitur

Omnis homo est capax disciplinæ,

Locus proinde tam maxima, quàm differentia maximæ, vnde hoc argumentum depromptũ est, vocatur internus.

Interdum verò, argumentum sumitur ab eo, quod prorsus cohæret extra substantiam eius, de quo quęritur: estque omninò illi externum. Vt si proponatur hęc quæstio, Num auaritię sit virtus? adhibebitur argumentum à contrario, dum hoc

pacto argumentamur: Auaritia est vitium, non est igitur virtus. Hic manifeste cernis, argumentum duci à vitio ad virtutem, quæ penitus sunt à se mutuò aliena. Interdum verò argumentũ ducitur ab eo, quod partim conuenit cum eo de quo fit quæstio, & partim differt. Vt si quæratur, Num iustitia sit bona? Ad quæstionis dissolutionem adfero argumentum: Qui iustus est, bonus est, Igitur iustitia est bona: Hic à iusto ad iustitiam argumẽtum ducitur. Inter iustitiam autem & iustum, est aliquid differentiæ, & aliquid conuenientiæ. Differunt enim in finali terminatione atq; in minus principali significatione. Conueniunt autem in significatione præcipua, vnã enim eandemq; rem concretum & abstractum primaria significatione declarant.

*Vt reliqua huius considerationis explicatio facilior clarior'q; reddatur, omnes locos, de quibus in præsentia agendum est, cõgruo ordine in vnũ schema collectos recita.*

LOCVS

- **LOCVS**
  - Locus maxima.
  - Locus differentia maximae:
    - Internus
      - A sub stãtia
        - Definitio,
        - Definitum,
        - Descriptio,
        - Descriptum,
        - Interpretatio,
        - Interpretatum.
      - A comitantib. substantiã,
        - A toto aut partibus eiusdẽ,
          - A toto vniuersali, vel parte subiecta.
          - A toto integrali, vel eius parte.
          - A toto in quãtitate, aut partib. eiusdẽ.
          - A toto in modo, vel parte in mòdo.
          - A toto in tempore, vel parte eiusdem.
          - A toto in loco, aut parte eiusdẽ
        - A caussa & effectu.
          - A caussa efficiente, vel effectu eius.
          - A caussa materiali, vel effectu eius.
          - A caussa formali, vel eius effectu,
          - A finali caussa, vel effectu finalis caussæ.
        - A generatione
        - A corruptione
        - Ab vsibus
        - A cõmuniter accidentibus.
    - Externus
      - Locus ab oppositis
        - Relatis
        - Priuantibus
        - Contrarijs
        - Contradicentibus
      - A disparatis.
      - A maiore vel minore
      - A simili vel dissimili.
      - A proportione, aut disproportione, vel etiam transmutata proportione.
      - Ab auctoritate.
      - A transsumptione.
    - Medius
      - A coniugatis,
      - A casibus,
      - A diuisione.

# DE LOCIS A SVBSTANTIA,
## *& primum de definitione.*

### *Quid est definitio?*

Definitio est oratio,qua quid sit res propriè,explicatur per partes essentiæ.

### *Quot modis ducuntur argumenta ex loco definitionis?*

*Aristo. libr.2. Topic.*

Quatuor modis: videlicet
- Affirmatè duobus
  - Ex parte subiecti : vt,Omne animal rationis particeps est disciplinæ capax, ergo omnis homo est disciplinæ capax.
  - Ex parte attributi:vt, concha est corpus animatum sentiens, ergo concha est animal.
- Negatè duobus
  - Ex parte subiecti:vt, Nullum animal rationis expers, est disciplinæ capax , ergo Nullum brutum est disciplinæ capax.
  - Ex parte attributi; vt , simia non est animal rationis capax,ergo simia nõ est homo.

### *Recita axiomata,quibus nituntur illæ argumentationes,quarum argumentum siue probatio ex loco definitionis depromitur.*

Quidquid tribuitur definitioni , tribuitur item definito.

Cui-

Cuicũq; tribuitur definitio, eidẽ & definitum.

Quidquid remouetur à definitione, & a definito remouetur.

A quocunq; remouetur definitio,& definitũ.

## DE DEFINITO.

*Quid est definitum?*

Definitum est,cuius natura & propria ratio definitione explicatur.

*Quot modis ducuntur argumenta ex loco definiti?*

Quatuor modis: videlicet

- Affirmate duob'
  - Ex parte subiecti;vt,homo est albus,ergo animal rationis capax est album.
  - Ex parte attributi:vt, concha est animal,ergo cõcha est corpus animatum sentiens.
- Negate duobus,
  - Ex parte subiecti:vt, Homo non est brutũ,ergo animal rationis particeps nõ est brutũ.
  - Ex parte attributi:vt , simia non est homo,ergo simia non est animal rationis capax.

*Recita axiomata,à quibus hoc genus argumentãdi,à definito argumentum mutuans, vim habet.*

Quidquid tribuitur definito,tribuitur item definitioni.

Cuicunq; tribuitur definitum,eidem & definitio.

Quidquid remouetur a definito,& à definitione remouetur.

A quocũq; remouetur definitum, & definitio.

## DE DESCRIPTIONE ET Interpretatione.

*Quid est descriptio?*

Descriptio est oratio, quæ declarat rem per ea quæ ad naturam eius non pertinent, siue propria sint, siue accidentia.

*Quomodo ducuntur argumenta à descriptione?*

*Vide Aristot. ca. 2. li. 2. Top.*

Eodẽ modo quo à definitione, affirmatè nimirum & negatè, ex parte subiecti, & ex parte attributi, vt

Animal rudere natum, est tardum, ergo Asinus est tardus.

*Quid est interpretatio?*

Interpretatio est non rei definitio, sed nominis etymologica explanatio.

*Quomodo ducũtur argumenta ab interpretatione?*

Eodem modo quo à definitione, si modò par & æqualis sit interpretatio ei nomini, cuius declarationem continet, alioqui enim infirma esset ex hoc loco ducta argumentatio.

*Recita aliquod exemplum argumentationis ex hoc loco desumptæ.*

Seruatorem animarũ nostrarum decebat peccatores suscipere, ergo Iesum decebat id facere.

*Quæ sunt axiomata quibus confirmãtur ratiocinationes, à descriptione vel interpretatione, argumentum mutuantes?*

Quemadmodum est idem modus argumentãdi in his locis, qui fuit in definitione commõstratus ita quoq; axiomatum tanta est inter se similitudo

litudo, vt ex illis ea quæ ad hos locos pertinent, facilè quiuis intelligere & conficere posſit.

*Cùm ſæpe ducantur argumēta à differentia, à proprio & ſynonymo, cur iſta in catalogo locorum non collocantur?*

Quia ſub tribus iam recenſitis locis tres iſti cōprehenduntur. Sub loco enim à definitione, comprehenditur locus à differentia, ad ſpeciem cōſtitutam? vt,

Concha eſt ſenſu prædita, ergo
Concha eſt animal.

Sub loco à deſcriptione, locus a proprio: vt,

Modeſtia eſt per ſe laudabilis,
Igitur eſt virtus.

Sub loco ab interpretatione, locus a ſynonymis: vt,

Gladius eſt, igitur enſis eſt.

*Recita canones horum locorum.*

Quemadmodum modus argumentandi hic & in definitione eſt idem, ita quoq; canonum eadē planè eſt ratio: Itaque ſuperuacaneum eſſet, eos commemorare.

## DE LOCO A TOTO vniuerſali.

*Quid eſt totum vniuerſale?*

Totum vniuerſale vocant id quod generalius eſt, ſeu magis commune, quemadmodum genus ſe habet reſpectu ſuarum ſpecierum, & ſpecies reſpectu indiuiduorum.

*Quot modis ducuntur argumenta à toto vniuerſali?*

*Vide etiã Aristot. cap.2.*

Quatuor modis, videlicet

Affirmate duobus,
- Ex parte subiecti: vt, Omnis virtus est expetenda, ergo iustitia est expetenda.
- Ex parte attributi, vt; hoc animal omni sensu preditum est, ergo & olfactum habet.

Negate duobus,
- Ex parte subiecti: vt, nullum vitium laudandum est, ergo nec ebrietas.
- Ex parte attributi: vt, Lapis non habet sensum, ergo nec visum.

*Recita axiomata huius loci.*

Cum quo conuenit magis commune vniuerse sumptum, cum eodem conuenit & minus cõmune.

Cum quo non conuenit magis commune, nec etiam id quod angustius est conueniet.

## DE PARTE SVBIECTA.

*Quid est pars subiecta?*

Pars subiecta, nihil aliud est, quam id quod angustius est seu minus commune.

*Aristot. cap.2*

*Quot modis licet argumentari à parte subiecta, ad totum vniuersale.*

Quatuor

Quatuor:
- Affirmatè duobus
  - Ex parte ſubiecti: vt, cōcha vel vnicum, vel duos tātùm ſenſus habet, Igitur aliquod animal vel vnicū, vel duos tantùm ſenſus habet.
  - Ex parte attributi: vt, Videt, ergo ſentit.
- Negatè totidem
  - Ex parte ſubiecti: vt, Lapis non eſt præditus ſenſu, ergo aliquod corpus non eſt præditum ſenſu.
  - Ex parte attributi: vt, talpa non habet viſum, ergo non habet omnem ſenſum.

*Recita canones.*

Quidquid parti ſubiecti conuenit, conuenit & toti vniuerſali, ſpeciatim accepto.

Cuicunque tribuitur pars ſubiecta, ei totum quoque vniuerſale, ſpeciatim tribuitur.

Quod remouetur à parte ſubiecta, remouetur & à toto vniuerſali ex parte.

A quo remouetur pars ſubiecta, remouetur & ex parte totum vniuerſale.

*Quæ conditiones ſunt obſeruādæ, vt firma ſit ea argumentatio, quæ à toto vniuerſali, aut parte ſubiecta argumentum mutuatur?*

Obſeruandum eſt, cùm à toto vniuerſali proceditur, vt ipſum ſemper vniuersè accipiatur, niſi velis ad omnes partes diſiūctiuè enumeratas procedere, hoc pacto:

nus ordinatè res singulas locis suis constituere, quod à posteriorum diligentia est expectandum. Vt enim res ipsas primum inuenire maximũ est & difficillimum: ita post inuentionem non adeò magni est negotij, inuentas expolire & in ordinẽ redigere.

Quanquam igitur hactenus Aristotelis ordinẽ sedulò sumus secuti, hac tamen in parte ab Aristotelis cõmentatoribus Themistio atq; Boetio ordinem mutuari maluimus.

Priusquam verò ad locos argumentorum mõstrandos transeamus, quid locus sit, & quomodo diuidatur, edisseramus.

## DE LOCO ET EIVS *diuisionibus.*

### *Quid est locus?*

Locus vulgò definitur esse sedes argumẽti: vel alijs verbis, est index, ostendens ex quo fonte sumendnm sit argumentum, quo confirmãda est propositio, de qua dubitatur.

### *Quid est argumentum?*

Argumentum in Topicis Ciceronis describitur esse, ratio rei dubiæ faciens fidem, ab arguendo dictũ, quòd videlicet rem arguat, hoc est, probet. Nam arguere, veteres etiam ostendere dixerunt. Hinc illud Virgilij:

Degeneres animos timor arguit.

### *Quid inter est inter argumentum & argumentationem?*

Argumentum, vt iam diximus, est ratio rei dubię faciens fidem, seu id quod à differente ad the-

matis veritatem comprobandam affertur. Argumentatio verò est tota ipsa ratiocinatio, ipsum thema vnà cum eius probatione complectés. Sed differentia sæpe confunditur, cùm & docti dicant argumentorum species pro formis argumentationum.

*Quotuplex est locus?*

Duplex ab auctorib. locus distinguitur:
- Locus maxima, seu axioma dialecticum, &
- Locus, qui est differentia maximæ, seu vocabulū, quo potissimum vnum axioma ab alio discriminatur.

*Quomodo definitur à dialecticis locus maxima?*

Locus maxima, est vniuersalis quędam propositio per se nota, ex qua sumitur argumentum, & argumentatio ipsa vim & confirmationem suam inde accipit: Vt illa propositio apud Ciceronem: Contrariorum contraria sunt consequentia: & item hæc propositio: Cuicunq; conuenit definitū & definitio conuenit.

*Quem vocant locum differentiam maximæ?*

*Locus differentia maxima, à dialecticis vocatur is, quo maxima à maxima differt.*

Vt definitio, locus est differentia maximæ, similiter definitū, his enim secernitur posterius axioma à nobis iam recitatū à priori, quod ex Cicerone afferebatur. Nam ad locum contrariorum pertinebat.

Quis

*Quis eſt vſus huius diuiſionis loci?*

Axiomata iſta ad diſputandum & iudicandum conducunt. Nam ſi cum proteruo agas altercatore, ad hæc ſæpe, vt ad ſacram ancoram, confugiẽdum eſt.

Vt ſi huius enthymematis, Bellum eſt cauſſa malorum, erit igitur pax bonorum origo, & procreatrix, negetur conſecutio, probatio non aliunde conſtabit, quam ex illo axiomate, ſeu canone, Contrariorum contraria ſunt conſequentia.

Loci differentiæ axiomatum, memoriã iuuant. Nã cùm ſint axiomata pene innumerabilia, opus fuit differentijs, quarum paucitas facile poſsit retineri.

*Quomodo diuiditur locus differentia maxima?*

Locus qui eſt differentia maximæ diuiditur in { Internum, Externum & Medium. } locum.

*Quid eſt locus internus?*

*Locus internus eſt, qui cõtinet argumẽta, quæ ſumuntur à ſubſtantia rei, de qua inſtituitur quæſtio, vel rei ſubſtantiam comitantur.*

*Recita diuiſionem loci interni.*

Locus internus ſubdiuiditur in { Locum à ſubſtantia. & A comitantibus ſubſtantiam. }

*Quid eſt locus à ſubſtantia?*

*Locus à ſubſtantia dicitur, qui continet argumẽta, quæ ad ſubſtantiam rei controuerſæ pertinent.*

*Quid eſt locus à comitantibus ſubſtantiam?*

*Locus*

*Locus à comitantibus substantiã dicitur, qui continet argumenta, quæ non sumuntur ab ipsa rei, de qua quæritur, substantia, sed ab aliquo, quod substãtiam eius comitatur.*

*Quid est locus externus?*

*Locus externus est, qui continet argumenta, quæ sunt omninò separata à substantia rei, de qua quæritur.*

*Quid est locus medius?*

*Locus medius est, qui continet argumenta, quæ partim conueniunt cum re, de qua habetur quæstio, & partim differunt.*

*Quis est vsus istius diuisionis loci?*

Vsus huius diuisionis facilè intelligetur ex exemplis. Vt si proponatur quæstio, Num omnis homo sit capax disciplinę? Ad hanc quæstionem terminandam adfero argumentum ab ipsa hominis definitione, quæ proculdubio ad ipsius substantiam siue essentiam spectat, & talem conficio argumentationem:

Omne animal rationale est capax disciplinæ, igitur

Omnis homo est capax disciplinæ,

Locus proinde tam maxima, quàm differentia maximæ, vnde hoc argumentum depromptũ est, vocatur internus.

Interdum verò, argumentum sumitur ab eo, quod prorsus cohæret extra substantiam eius, de quo quęritur: estque omninò illi externum. Vt si proponatur hęc quæstio, Num auaritię sit virtus? adhibebitur argumentum à contrario, dum hoc

pacto argumentamur: Auaritia est vitium, non est igitur virtus. Hic manifeste cernis, argumentum duci à vitio ad virtutem, quæ penitus sunt à se mutuò aliena. Interdum verò argumentū ducitur ab eo, quod partim conuenit cum eo de quo fit quæstio, & partim differt. Vt si quæratur, Num iustitia sit bona? Ad quæstionis dissolutionem adfero argumentum: Qui iustus est, bonus est, Igitur iustitia est bona: Hic à iusto ad iustitiam argumētum ducitur. Inter iustitiam autem & iustum, est aliquid differentiæ, & aliquid conuenientiæ. Differunt enim in finali terminatione atq; in minus principali significatione. Conueniunt autem in significatione præcipua, vnā enim eandemq; rem concretum & abstractum primaria significatione declarant.

*Vt reliqua huius considerationis explicatio facilior clariorq; reddatur, omnes locos, de quibus in præsentia agendum est, cōgruo ordine in vnū schema collectos recita.*

LOCVS

LOCVS

- Locus maxima.
- Locus differentia maximæ.
  - Internus
    - A substãtia
      - Definitio,
      - Definitum,
      - Descriptio,
      - Descriptum,
      - Interpretatio,
      - Interpretatum.
    - A comitantib. substantiã,
      - A toto aut partibus eiusdẽ,
        - A toto vniuersali, vel parte subiecta.
        - A toto integrali, vel eius parte.
        - A toto in quãtitate, aut partib. eiusdẽ.
        - A toto in modo, vel parte in (mõdo.
        - A toto in tempore, vel parte eiusdem.
        - A toto in loco, aut parte eiusdẽ
      - A caussa & effectu.
        - A caussa efficiente, vel effectu eius.
        - A caussa materiali, vel effectu eius.
        - A caussa formali, vel eius effectu,
        - A finali caussa, vel effectu finalis caussæ.
      - A generatione
      - A corruptione
      - Ab vsibus
      - A cõmuniter accidentibus.
  - Externus
    - Locus ab oppositis
      - Relatis
      - Priuantibus
      - Contrarijs
      - Contradicentibus
    - A disparatis.
    - A maiore vel minore
    - A simili vel dissimili.
    - A proportione, aut disproportione, vel etiam transmutata proportione.
    - Ab auctoritate.
    - A transsumptione.
  - Medius
    - A coniugatis,
    - A casibus,
    - A diuisione.

# DE LOCIS A SVBSTANTIA, *& primum de definitione.*

*Quid est definitio?*

Definitio est oratio,qua quid sit res propriè,explicatur per partes essentiæ.

*Quot modis ducuntur argumenta ex loco definitionis?*

*Aristo. libr.2. Topic.*

Quatuor modis: videlicet

- Affirmatè duobus
  - Ex parte subiecti : vt,Omne animal rationis particeps est disciplinæ capax, ergo omnis homo est disciplinæ capax.
  - Ex parte attributi:vt, concha est corpus animatum sentiens, ergo concha est animal.
- Negatè duobus
  - Ex parte subiecti:vt, Nullum animal rationis expers, est disciplinæ capax, ergo Nullum brutum est disciplinæ capax.
  - Ex parte attributi; vt, simia non est animal rationis capax,ergo simia nō est homo.

*Recita axiomata,quibus nituntur illæ argumentationes,quarum argumentum siue probatio ex loco definitionis depromitur.*

Quidquid tribuitur definitioni, tribuitur item definito.

Cui-

Cuicũq; tribuitur definitio, eidẽ & definitum.

Quidquid remouetur à definitione, & a definito remouetur.

A quocunq; remouetur definitio,& definitũ.

## DE DEFINITO.

*Quid est definitum?*

Definitum est,cuius natura & propria ratio definitione explicatur.

*Quot modis ducuntur argumenta ex loco definiti?*

Quatuor modis: videlicet

- Affirmate duobus
  - Ex parte subiecti,vt,homo est albus,ergo animal rationis capax est album.
  - Ex parte attributi:vt, concha est animal,ergo cõcha est corpus animatum sentiens.
- Negate duobus,
  - Ex parte subiecti:vt, Homo non est brutũ,ergo animal rationis particeps nõ est brutũ.
  - Ex parte attributi:vt , simia non est homo,ergo simia non est animal rationis capax.

*Recita axiomata,à quibus hoc genus argumentãdi,à definito argumentum mutuans, vim habet.*

Quidquid tribuitur definito,tribuitur item definitioni.

Cuicunq; tribuitur definitum,eidem & definitio.

Quidquid remouetur a definito,& à definitione remouetur.

A quocũq; remouetur definitum, & definitio.

## DE DESCRIPTIONE ET Interpretatione.

*Quid est descriptio?*

Descriptio est oratio, quæ declarat rem per ea quæ ad naturam eius non pertinent, siue propria sint, siue accidentia.

Vide Aristot. ca. 2. li. 2. Top.

*Quomodo ducuntur argumenta à descriptione?*

Eodē modo quo à definitione, affirmatè nimirum & negatè, ex parte subiecti, & ex parte attributi, vt Animal rudere natum, est tardum, ergo Asinus est tardus.

*Quid est interpretatio?*

Interpretatio est non rei definitio, sed nominis etymologica explanatio.

*Quomodo ducũtur argumenta ab interpretatione?*

Eodem modo quo à definitione, si modò par & æqualis sit interpretatio ei nomini, cuius declarationem continet, alioqui enim infirma esset ex hoc loco ducta argumentatio.

*Recita aliquod exemplum argumentationis ex hoc loco desumpta.*

Seruatorem animarũ nostrarum decebat peccatores suscipere, ergò Iesum decebat id facere.

*Quæ sunt axiomata quibus confirmãtur ratiocinationes, à descriptione vel interpretatione, argumentum mutuantes?*

Quemadmodum est idem modus argumentãdi in his locis, qui fuit in definitione commõstratus ita quoq; axiomatum tanta est inter se similitudo

litudo, vt ex illis ea quæ ad hos locos pertinent, facilè quiuis intelligere & conficere posſit.

*Cùm ſæpe ducantur argumēta à differentia, à proprio & ſynonymo, cur iſta in catalogo locorum non collocantur?*

Quia ſub tribus iam recenſitis locis tres iſti cōprehenduntur. Sub loco enim à definitione, comprehenditur locus à differentia, ad ſpeciem cōſtitutam: vt,

Concha eſt ſenſu prædita, ergo
Concha eſt animal.

Sub loco à deſcriptione, locus a proprio: vt,

Modeſtia eſt per ſe laudabilis,
Igitur eſt virtus.

Sub loco ab interpretatione, locus a ſynonymis: vt,

Gladius eſt, igitur enſis eſt.

*Recita canones horum locorum.*

Quemadmodum modus argumentandi hic & in definitione eſt idem, ita quoq; canonum eadē planè eſt ratio: Itaque ſuperuacaneum eſſet, eos commemorare.

## DE LOCO A TOTO vniuerſali.

*Quid eſt totum vniuerſale?*

Totum vniuerſale vocant id quod generalius eſt, ſeu magis commune, quemadmodum genus ſe habet reſpectu ſuarum ſpecierum, & ſpecies reſpectu indiuiduorum.

*Quot modis ducuntur argumenta à toto vniuerſali?*

*Vide etiã Aristot. cap.2.*

Quatuor modis, videlicet

- Affirmate duobus,
  - Ex parte subiecti: vt, Omnis virtus est expetenda, ergo iustitia est expetenda.
  - Ex parte attributi, vt; hoc animal omni sensu preditum est, ergo & olfactum habet.
- Negate duobus,
  - Ex parte subiecti: vt, nullum vitium laudandum est, ergo nec ebrietas.
  - Ex parte attributi: vt, Lapis non habet sensum, ergo nec visum.

*Recita axiomata huius loci.*

Cum quo conuenit magis commune vniuersè sumptum, cum eodem conuenit & minus commune.

Cum quo non conuenit magis commune, nec etiam id quod angustius est conueniet.

## DE PARTE SVBIECTA.

*Quid est pars subiecta?*

Pars subiecta, nihil aliud est, quam id quod angustius est seu minus commune.

*Aristot. cap.2*

*Quot modis licet argumentari à parte subiecta, ad totum vniuersale.*

Quatuor

Quatuor:
- Affirmatè duobus
  - Ex parte ſubiecti:vt,cõcha vel vnicum,vel duos tãtùm ſenſus habet, Igitur aliquod animal vel vnicũ, vel duos tantùm ſenſus habet.
  - Ex parte attributi: vt, Videt,ergo ſentit.
- Negatè totidem
  - Ex parte ſubiecti:vt, Lapis non eſt præditus ſenſu,ergo aliquod corpus non eſt præditum ſenſu.
  - Ex parte attributi: vt,talpa non habet viſum, ergo non habet omnem ſenſum.

*Recita canones.*

Quidquid parti ſubiecti conuenit, conuenit & toti vniuerſali,ſpeciatim accepto.

Cuicunque tribuitur pars ſubiecta, ei totum quoque vniuerſale,ſpeciatim tribuitur.

Quod remouetur à parte ſubiecta, remouetur & à toto vniuerſali ex parte.

A quo remouetur pars ſubiecta, remouetur & ex parte totum vniuerſale.

## *Quæ conditiones ſunt obſeruãdæ,vt firma ſit ea argumentatio,quæ à toto vniuerſali,aut parte ſubiecta argumentum mutuatur?*

Obſeruandum eſt, cùm à toto vniuerſali proceditur,vt ipſum ſemper vniuersè accipiatur,niſi velis ad omnes partes diſiũctiuè enumeratas procedere,hoc pacto:

Aliquod animal est rationis expers.
Ergo vel homo rationis expers est, vel brutum.

E diuersò à parte ad totum nō vniuersum semper est progrediendum, nisi ab omnibus partibus copulatiuè enumeratis progrediaris, quod fit in inductione perfecta.

Præcipiunt nonnulli, à toto ad partem affirmatè nō sequi, nisi positum sit prius, partem eam de qua futura est conclusio, in rerum natura cohęrere. Neq; econtrariò à parte ad totum negatè, nisi præmissum sit, partē iam existere: quod eruditiores docent nō magni esse momenti: Nam existentia illa, etiam si non exprimatur, facilè semper intelligitur in propositione, quæ in mēte retinetur, dum enthymema conficitur. Si cui tamē placebit istas existendi rationes, quas nos consultò omisimus, addere, nihil repugnamus.

ADMONITIO GENERALIS.

Quoniam circa singulos penè locos solent plures adduci vitiosæ argumentationes, potissimum enthymematicæ, aduersus omnes huiusmodi generalis potest vna responsio adhiberi, si dicamus, eatenus valere argumentationem enthymematicam ex locis desumptam, quatenus ex propositione expressa, cum ea quæ in mente tenetur, efficax potest confici syllogismus vel simplex seu categoricus, vel vt minimum hypotheticus & cōnexus. Vbi verò id fieri non poterit, nō valebit enthymema. Exempli gratia, hæc argumentatio sumpta à specie non valet: Auis volat, igitur omne animal volat, quoniam adiecta propositione, quæ subintelligitur, hic habetur vitiosus syllogismus: Auis volat, & omnis auis est animal, igitur omne animal volat.

Simi-

Similiter istud enthymema: Animal currit, igitur homo currit, vitiosum est; quia syllogismus, ad quem reducitur est vitiosus, iste videlicet: Animal currit, & omnis homo est animal, igitur homo currit. Maiore enim speciali in prima figura, nihil sequitur. Ad hanc formam examinare licebit & redarguere quamuis sophisticam & captiosam argumentationem.

## DE TOTO INTEGRALI.

*Quid est totum integrale?*

Totum integrale est, quod resultat ex partibus quantitatem habentibus.

*Quomodo argumentari oportet à toto integrali?*

A toto integrali fiunt argumentationes ad singulas partes principales, idq; tātum affirmatè, vt:

Domus est, ergo

Fundamentum est, & parietes & tectum.

Nititurque eiusmodi argumentatio hoc axiomate:

Posito toto integrali, poni necesse est & quamlibet partem eius principalem.

Ad partes autem minus principales, non valet illatio, nisi à perfectione totius argumētemur, vt:

Domus omnino perfecta est, ergo

Focus est, & penu, & fenestræ, etc.

Negatè non valet argumentatio, à toto ad singulas partes. Neq; enim aptè concluderetur sic:

Domus non est, ergo fundamentum non est, aut parietes.

Ad omnes verò partes simul sumptas, sub disiunctione valet: Si enim domus non est, vel fundamētum, vel parietes, vel tectum abest. Cuius argumen-

gumentationis robur ſitum eſt in hoc axiomate.

Si totum non eſt, neceſſe eſt aliquam eius partem non eſſe.

## DE PARTE INTEGRALI.

*Quid eſt pars integralis?*

*Pars integralis eſt, quæ cum alijs partibus reddit quantitatem totius.*

*Quotuplex eſt pars integralis?*

Duplex, videlicet { Principalis, ſine qua totum conſiſtere nequit, vt caput, venter. Minus principalis, qua ſublata, totum nihilominus cohærere poteſt, vt pes, manus, digitus.

*Quomodo argumentamur à parte integrali?*

A parte integrali ad totum fit argumentatio tantum negatè, nimirum à negatione ſingularum partium, ad negationem totius, Vt ſi dirutum ędificium tectum non habet, non eſt domus. Prætereà, Si focum non habet, aut penu, non eſt domus perfecta. Quod argumentandi genus his canonibus dirigitur:

Ablata parte aliqua principali, totum eſſe non poteſt: Si deſit pars minùs principalis, totum non eſt perfectum.

*An nulla ratione licet à partibus integralibus argumentari affirmatè?*

A partibus ſigillatim non ducitur argumētum affirmatè: ab omnibus tamen coniunctim rectè ducitur. Si enim fundamētum, parietes & tectum habet, domus eſt. Cuius argumentationis hic eſt canon:

Poſitis

Positis omnibus partibus, aptè inter se cohærentibus, necessariò ponitur totum.

*Estne prætereà ratio alia ex loco à toto integrali & eius parte argumentum ducendi, quàm per eas propositiones, quæ constant (vt loquuntur) ex verbo est, secundo adiacente?*

Est alia. Sępe enim scriptores ex eo quod aliquid conueniat toti, idem eius quoq; parti conuenire concludunt, & econtrariò. Sic Boëtius colligit res humanas prouidentia regi, quia mundus (cuius res humanæ partes sunt) prouidentia regitur.

Similiter magica ars ostenditur mala, ex partiũ consideratione, quia partes, videlicet consultatio dæmonum, & pactum cum dæmone mala sunt.

Sic quoq; ostenditur, Passio Domini nostri Iesu Christi maximè esse miseranda, singularũ partium ipsius passionis indignitate explicata ad hũc modum:

Ecce Deus & homo Christus, qui singula corporis sui membra, hominum obsequijs dedicauerat, cuius caput, os, guttur, lingua, docẽdis ignorãtibus plurimum laborauerunt: cuius aures quemuis admiserunt: cuius oculi multa semper miseratione pauperes respexerũt: cuius manus plurimos sanarunt: cuius pedes terram docendi gratia, multo labore itineris perambularunt: cuius genua in oratione pro nobis sæpe, multùm & diu terræ affixa, hæserunt: cuius cor multa pro nobis solicitudine frequẽter anxium fuit: cuius intestina omnia pro nobis subinde exhausta fuêre laboribus: denique qui totum sese, quantusquantus erat hominũ obsequijs dedicauerat: Ecce hîc modò ab ingratissimis

ſimis hominibus à capite ad pedes vſq; affligitur, & leproſo ſimilis redditur, caput corona ſpinea pungitur,& arundine cæditur, cerebrum & oculi vigilijs deficiunt,aures cum barba vellicãtur crudeliter,humeri ligno graui onerãtur, manus diris ſtringuntur vinculis,palmæ & volæ horridis perfodiuntur clauis,lingua felle vexatur & aceto, deniq; mẽbra vniuerſa flagellis atteruntur, & roſeo perfuſo ſanguine madent.Quis tantam nõ exhorreſcat miſeriam?tantam non execretur crudelitatem & ingratitudinem?

Sic hominis poſſumus vilitatem oſtendere,ex ſingularum conſideratione partium:

Quæſo te, quid homine ſecundum corpus vilius?quid capitis vertex,niſi teſta quædam fictilis: quid cerebrum intus reconditum niſi lactea quędam coagulatura?quid oculi, niſi congelatus humor?quid nares,niſi meatus immũdæ putredinis? quid aures,& ipſæ ſuas profundentes ſordes? quid deniq; venter,inteſtina omnia, deniq; totus ipſe homo,niſi vas quoddam fictile,& ſaccus ſtercoraceus,ſordibus & fœtore pleniſsimus? Quid igitur ſuperbis terra & cinis, impurum ſterquilinium, imò ſtercus ipſum,& filius ſtercoris?

Eodem modo & ſingularum virtutum:item & ſcientiarum atq; artium omnium prę́ſtãtiam vtilitatemq́; partium ex quibus conſtant commemoratione,oſtendere licebit.

## DE TOTO EX QVANTITATE.

### *Quid eſt totum in quantitate?*

Totum ex quantitate eſt,cõmunis vox vniuerſe accepta. Quod à toto vniuerſali in eo ſolùm dif fert,

fert, quod signum vniuersale semper præfixum habeat. Propter quod à toto vniuersali, & à toto ex quantitate eædē fiunt argumētationes: ijsdéq; dirigūtur canonibus. Ita enim hîc argumētamur:

Omnis planta viuit, ergo
Omnis arbor viuit.

## DE PARTE TOTIVS ex quantitate.

*Quid est pars totius ex quantitate?*

Pars totius ex quantitate, nihil aliud est, quàm pars subiecta, quatenus ad magis commune, distributum vniuerseque acceptum refertur.

*Quomodo argumentandum est à parte totius ex quantitate?*

A partibus omnibus simul, progrediendum est ad totum, quod fit in inductione perfecta, siue aiente, siue negante, tam ex parte subiecti, quam ex parte attributi. *Aristot. cap. 2*

*Quæ sunt regulæ, quibus istæ argumentationes diriguntur?*

Cum quo conueniunt vniuersæ partes totius ex quantitate, cum eodem quoq; cohæret totum.

A quocunque separantur vniuersæ partes totius in quantitate, ab eodem quoque totum separari, necesse est.

## DE TOTO EX MODO.

*Quid est totum ex modo?*

Totum ex modo est, vox aliqua, quatenus per alias voces magis adstringi, eiusq; significatio cōtrahi potest.

Vt animal totum ex modo est, si cōferas ad animal

mal candidum. Rurſus, animal candidum totum ex modo eſt, ſi ad animal candidum bipes inſtituatur collatio.

*Quot modis argumentari licet à toto ex modo?*

Quatuor modis:
- Ex parte ſubiecti duobus
  - Affirmatè, vt, Omnes homines ſunt capaces diſciplinæ, ergo: Et homines rudes ſunt capaces diſciplinæ.
  - Negatè, vt, Nulli homines ſunt odio habendi, ergo, Nec homines mali.
- Ex parte prædicati totidẽ,
  - Affirmatè, vt: Deus fecit omnia animalia, ergo etiam animalia reptilia.
  - Negatè, vt: Deus nullos homines vult perire, ergo nec homines peccatores, ſed magis vt conuertantur & viuant.

*Quæ ſunt axiomata quibus nituntur argumentationes ex hoc loco deſumptæ?*

Cum quo conuenit totum ex modo vniuerſè ſumptum, cum eodem & pars eius conueniet.

A quocunque in vniuerſum remouetur totum ex modo, ab eodem eius quoque partem remoueri, eſt neceſſe.

## DE PARTE EX MODO.

*Quid eſt pars ex modo?*

Ari. ca.4 *Pars ex modo eſt, vocabulũ cui aliæ voces quibus eius ſignificatio contrahitur, adiunctæ ſunt.*

Vt,

Vt, homo probus, homo improbus, ſi cōferantur cum hoc nomine, homo.

*Quot modis licet argumētari à parte ex modo?*

Quatuor modis:
- A ſubiecto duobus,
  - Affirmatè: vt, Homines frugi ſunt laudandi, ergo, Homines ſunt laudandi.
  - Negatè: vt, Homines impij nō ſeruantur, ergo, Aliqui homines nō ſeruantur.
- Ab attributo totidem modis:
  - Affirmatè: vt, Pater amat bonos filios, ergo amat filios.
  - Negatè: vt, cygnus nō eſt animal nigrū, ergo cygnus non eſt omne animal.

*Recita canones.*

Cum quo conuenit pars in modo, & totum.
Cum quo non conuenit pars, nec totum.

ADMONITIO.

Quandoquidem eadem eſt argumentandi ratio, à toto ex modo, quæ eſt à toto vniuerſali, & à parte ex modo, eadem cum ea quæ eſt à parte ſubiecta, conditiones eædem quæ ibi traditæ ſunt, ad hunc quoque locum pertinere exiſtimandum eſt. Obſerua tamen ne pro parte ex modo (vbi aſtringentes & contrahentes voculæ adiectæ ſunt) vtaris dicto (vt vocant) ſecundum aliquid, id eſt, vel voculas diminuētes, vel peruertētes ſignificationem præcedentis, pro contrahentibus apponas, de qua re latiùs in reprehēſionibus ſophiſtarum.

## DE TOTO EX LOCO & tempore.

*Quid est totum ex loco?*

*Totum ex loco, nominatur aduerbium, quod omnem locum significat.* Vt vbiq;, nusquam.

*Quid est totum ex tempore?*

*Totum ex tẽpore, est aduerbiũ, vniuersum tempus comprehendens.* Vt, semper, nunquam.

*Quomodo desumuntur argumẽta ab istis locis?*

Desumuntur argumenta { Affirmatè: vt, Vbiq; sunt boni, ergo & Romæ. Negatè: vt, Nusquam desunt mali, ergo nec Romæ.

## A TOTO EX TEMPORE *similiter.*

Semper Christus verum dixit, ergo
Etiam tunc, quando dixit, De omni verbo otioso, reddendam esse rationem.

Nunquam mentita est veritas, ergo
Nec tunc, quãdo esse difficile dixit, diuitem ingredi in regnum cælorum.

*Recita axiomata, à quibus suum robur habent hæ argumentationes.*

Quemadmodum isti loci re vera continentur sub toto vniuersali, ita quoq; argumentationum quę ex ipsis depromptę, sunt vim & firmitudinem in illius loci axiomatis positã esse, manifestũ est.

## DE PARTE EX LOCO, & parte ex tempore.

*Quid est pars ex loco?*

*Pars ex loco est, quicquid particularẽ locũ significat* Vt hîc, in foro.

Quid

*Quid est pars ex tempore?*

*Pars ex tempore, est vox quæ speciale quoddam tempus significat.* Vt, hodie, cras.

*Quomodo argumētandum est à parte ex loco, & à parte ex tempore?*

Tantùm negatè valet argumentatio: vt,
Romæ non est vsus cereuisiæ, ergo
Non est vbique cereuisiæ vsus.
Dum prandetur, voce orandum non est,
Non semper igitur voce orandum est.

*Quæ sunt regulæ, iuxta quas dirigendæ sunt istæ argumentationes?*

Quemadmodum (vti antè dictum est) totum ex tempore & ex loco, sub toto vniuersali continentur, ita quoq; partem ex tempore, & partem ex loco sub parte totius vniuersalis comprehendi manifestum est, ex quo cōsequitur, horum locorum argumentationes ex illius axiomatis vim suam atque firmitudinem habere.

Affirmatè ab vna parte non valet argumentatio: ab omnibus simul sumptis efficaciam habet. Vt: Si Deus est in cœlo, & in inferno, & in mari, etc. Deus vbique est.

## DE LOCO A CAVSSIS & effectis.

*Quid est caussa?*

Caussa est, cuius vi sequitur aliud.

Effectus enim causam natura sequitur, licèt nō semper tēpore. Nā simul & sol exoritur & dies fit.

*Recita diuisionem caussæ.*

| | |
|---|---|
| Caussarum alia est | Efficiens<br>Materia<br>Forma<br>Finis. |

## DE CAVSSA EFFICIENTE & eius effectu.

*Quid est caussa efficiens?*

Efficiēs caussa est, quæ principium motus præstat, vt aliquid fiat.

*Quid est effectus causæ efficientis?*

Est id, quod à caussa efficiente producitur.

*Quomodo diuiditur caussa efficiens?*

| | |
|---|---|
| Caussarum efficientium alia | Necessaria, Sine qua effectus cū quo indissolubilē habet connexionem, existere non potest, vt Solis presentia super horizontem est caussa necessaria diei.<br>Sufficiens tantum, Quæ cùm nō sit necessaria, sufficit tamē ad effectum producendum, vt, iugulatio caussa sufficiens est mortis, non necessaria tamen, cùm alia etiā ex caussa mors inferatur. |

*Quomodo argumentandum est à caussa efficiente necessaria, & qui ei respondet effectu?*

A causis & effectis necessarijs ducuntur argumenta, tam aientia, quàm negantia: vt,

Sol a nobis abscedit, igitur
Aduesperascit.
Sol nōdū exortus erat, cùm Troia deuastaretur,
Non est igitur interdiu Troia deuastata.

Ab effectis, Vt, dies fit, Igitur sol oritur.
Luna hoc anno non patietur eclipsin, igitur
Non erit hoc anno interpositio terrę, inter solem & lunam.

*Quibus axiomatibus nitūtur eiusmodi argumentationes?*

Posita caussa efficiente necessaria ponitur effectus eius.

Ablata caussa efficiente necessaria, necessariò aufertur & effectus.

Posito effectu, ponitur & illius necessaria caussa,

Ablato effectu, aufertur & caussa necessaria.

*Quomodo dicuntur argumēta à caussis sufficientibus, & earum effectis?*

A sufficientibus caussis tantùm affirmatè, & ab earundem effectis negatè tantùm, licet argumentari. Vt sequitur:

Si hic iugulatus est, interijt,
Si non interijt, non est iugulatus.

*Súntne prætereà alia caussarum efficientium genera, in quibus peculiaris reperitur argumentandi modus?*

Sunt, videlicet caussa { Potentia, quæ exprimitur, voce potentiam, vel habitum denotante. Vt, pistor, ædificator.
Actu, quæ exprimitur, voce quæ actum declarat. Vt, pinsens, ædificans. }

*Quomodo argumentandum est ab his generibus caussarum, & earum effectis?*

A caussa potentia argumentandum est ad effe-

ctum posse esse,hoc modo:Si ædificator est, ædes esse possunt,nisi videlicet aliunde sit defectus.Itē, ædificator est bonus, igitur ædes possunt esse bonæ.

A caussa actu,effectum fore aut fieri concludimus:Vt,ędificans est,igitur ædes fiunt:aut sic,igitur ædes erunt,subaudi,si pergat artifex.

Ab effectorum pręsentia argumentamur fuisse aliquando caussam:Vt,Domus est,ergo ædificans seu ædificator fuit.Item, Domus est bona, igitur bonus fuit ædificator. Insuper ex hoc quod effectus fiat, infertur caussæ efficientis præsentia. Si enim domus fit,necesse est eum qui ædificet,esse.

*Recita axiomata,quibus nituntur argumentationes ista.*

Axiomata,quę ad efficientes caussas pertinent, sunt ista:

Præsente caussa potentia, effectus eius (quantum ad effectricem pertinet partem) esse potest: præsente verò caussa efficiente actu,eius effectum fieri,necesse est.

Qualis est facultas & vis producens efficientis caussæ,talem quoq; esse eius effectum, probabiliter concluditur.

Quod quidē axioma nō modò in his,sed etiam in superioribus caussæ efficientis generibus locum habet.

Axiomata ad earum effectus pertinentia, sunt hæc:

Si sit effectus, caussam efficientem siue potentia,siue actu,fuisse,necesse est.

Si sit effectus,caussam actu,esse necessariò,consequitur.

Qua-

Qualia ſunt, quę ab efficiēte cauſſa proficiſcuntur, talem quoque eſſe vim productricem eorum, probabiliter colligitur.

## DE CAVSSA MATERIALI, & eius effectu.

*Quid eſt materia?*

Materia eſt, ex qua aliquid fit: vt, lapis, materia eſt ſtatuæ lapideæ.

*Quid eſt effectus cauſſæ materialis?*

Cauſſæ materialis effectus eſt, id quod ex materia conſtat, vt ſtatua lapidea effectus eſt cauſſę materialis, reſpectu lapidis ex quo conſtat.

*Quotuplex eſt cauſſa materialis?*

Duplex:
- Permanēs, Quæ in re effecta permanet in ſua natura: Sic lapides & ligna ſunt materia domus.
- Tranſiens, Quæ non manet in effecta re, ſed mutatur, & formā accipit aliam. Sic farina & aqua, ſunt materia panis.

*Quomodo ducenda ſunt argumenta ab iſtis generibus cauſſarum materialium eorúmque effectis, & quibus axiomatis nituntur?*

Ab vtriſq; conſimili modo affirmatiuum ducimus argumentum Similiter enim proceditur à poſitione materiæ, ad effectum poſſe eſſe. Vt: Ligna & lapides & calx adſunt, poteſt igitur domus haberi, videlicet ex parte materiæ.

Aqua & farina ſunt, poteſt igitur fieri panis.

*Axioma.*

Posita caussa materiali, potest effectus esse quātum videlicet ad materiam attinet.

Negatè autem dissimiliter ab vtriusq; ducitur argumentum. Negata enim præsentia caussę permanentis, colligimus etiam effectum non adesse: vt, Ferrū nō adest, igitur arma ferrea non adsunt.

*Canon.*

Remota caussa materiali præmanente, remouetur effectus.

A negatione verò materię transeuntis, non sequetur, nisi effectum non fieri concludas hoc modo: Non est farina, non fit igitur panis. Vel, nisi sic argumenteris: farina non fuit, igitur nō est panis.

Ab effectu ad caussam materialē affirmatè solum argumētamur: & in permanēte quidē caussa, ab esse ad esse: in transeunte, ab esse ad fuisse. Vt,

Arma ferrea sunt, igitur ferrum est.

Panis est, igitur farina fuit.

*Canones.*

Posito effectu caussæ materialis permanentis, ponitur simul & caussa.

Posito effectu caussæ materialis transeuntis, necesse est materiam ipsam antecessisse.

Negatiuè nō sequitur: Arma ferrea nulla sunt, igitur ferrum non est.

Ducunt insuper argumenta ex his locis per adiectionem attributorum, bonum & malum: Vt, farina mala fuit, igitur panis non est bonus. Panis bonus est, igitur farina fuit bona.

*Canones.*

Materiæ bonitatis & vitiū in effectu reperitur.

Si ef-

Si effectus bonus est. necesse est omnes caussas habuerit bonas

## DE CAVSSA FORMALI.

*Quid est caussa formalis?*

*Caussa formalis est, per quam res est id quod est, & à qua effectus suum nomen accipit.*

Sic anima rationalis, forma est hominis, scientia scientis.

*Quid est effectus caussæ formalis?*

*Effectus caussæ formalis est, id quod à caussa formali esse, & nomen accipit.*

Vt, homo respectu animæ rationalis.

*Recita diuisionem formæ.*

Formarū alia
- Essentialis, quę est pars rei, & est rei.
  - Mortalis, vt forma equi.
  - Immortalis, vt, anima ratiōalis
- Accidētalis, quæ merum accidens est.

*Quomodo est argumentandum ex his formis, et earum effectis?*

Ex omnib. his formis argumētamur bipartitò
- Affirmate vel.
  - Albedo est igitur album est.
  - Scientia est, igitur sciens est.
  - Aīa bruti est, igitur brutū est.
- Aduertendū tamen est, de anima rationali, vt ex eo quod insit colligamus hominē cohærere in rerum natura. Non enim sequitur.
  Anima rationalis est, igitur homo est
  Sed sequitur: Anima rationalis inest corpori, igitur, homo est.
- Negatè sic argumētamur: Si non adest albedo, neq; album aderit.

Ab effectu ad caussam, vt brutum est, ergo anima bruti.

Brutum non est, igitur nec anima bruti.

*Recita canones, ad quos diriguntur argumentationes ex his locis deducta.*

Posita caussa formali, ponitur effectus, & contrà.
Sublata caussa formali, tollitur effectus, & contrà.

Illud tamen sciendum, hos canones in anima rationali propter peculiarem eius conditionem non habere locum, cùm enim sola inter caussas formales sit immortalis, sola potest separata ab effectu, concrere. Itaq; neq; ex eo quod ipsa supersit (vt paulò antè diximus) recte concluditur effectū superesse: neq; ab effectus negatione valet ratiocinatio ad probandū eius interitum, falsa enim & impia esset eiusmodi argumentatio. Petrus non est in cælo, igitur anima Petri non est in cælo.

*Estne alia argumentandi ratio à forma, quàm ad eius effectum?*

*Arist. c. 1.* Est. Nam Aristoteles docet arguméta formari ab eo quod forma insit ad denominationem subiecti. Atq; hoc est quod dici consueuit, Ab inesse ad denominare.

Vt, cygno inest albedo, ergo ipse est albus,
Animæ inest doctrina, ergo est docta.

Ad similem modum in formis substantialibus sequitur: Huic corpori animato inest rationalis anima, ergo est homo. Cuius argumétandi generis hic est.

*Canon.*

Vnumquodq; subiectum à forma quam sibi inhærentem habet, recte denominatur.

## DE CAVSSA FINALI.

*Quid est finis?*

*Finis est, cuius gratia aliquid fit.*

*Quomodo ducenda sunt argumenta à caussa finali?*

A caussa finali argumenta ducuntur, ex attributis bonum & malū. Vt, Si beatitudo est bona, igitur virtus est bona. Virtus enim refertur ad beatitudinem consequendam, tanquam ad finem.

Sanitas bona est, igitur amaræ potionis sumptio bona est. Deambulatio quoq; post cœnam, & alia huiusmodi quæ ad sanitatem tāquam ad optatum finem destinantur.

*Quæ sunt axiomata huius loci?*

Cuius finis bonus est, ipsum quoq; bonum est, nisi sit ex eorum genere quæ per se mala sunt.

Cuius finis malus est, ipsum quoq; malum est.

*Quid est effectus caussæ finalis?*

*Est id, quod ad finem aliquem destinatur.*

Vt deambulatio quæ caussa sanitatis instituitur, effectus est sanitatis.

*Quomodo argumentandū est ab effectu caussæ finalis?*

Ab effectu caussæ finalis ad causam ita argumentamur:

Omnia ad Iurisprudentiam necessaria, ab homine comparari possunt, igitur Iurisprudentia ab homine comparari potest. Omnia ad domus ædificationem necessaria haberi possunt, igitur domus extrui potest.

*Canon.*

Quandocunque omnia ad finem aliquem necessariò

cessariò destinata, haberi possunt, ipsum quoq; finem obtineri posse iudicandum est.

*Quis est vsus locorum caussæ & effectus?*

*Caussarum & effectorum varius est & multiplex vsus?*

Nam ad deliberationes plurimū valent, cùm in deliberatiuo genere duo præcipue quærantur: Alterum quidem, sit ne vtile id de quo deliberatur? Alterum verò, an fieri possit? illud ex fine, hoc ex efficientibus colligi debet. Nam quidquid vtile est, id alicui rei consequendæ, vtile sit oportet.

Et quidquid fieri posse volumus, id maxime ex efficientis facultate poterit ostendi. Quin & effecta fidem facultatis faciunt.

Item in demōstratiuo genere cùm laudare aut vituperare volumus, præcipui loci sunt effecta & finis.

Deniq; in genere iudiciali, cum de facto & voluntate dubitabatur, promuntur argumenta a fine, vt copiosissime tractat Lodouic' Viues de instrumento probabilitatis.

Quare in omni genere dicendi plurimū caussæ valebunt. Atq; ob id Boetius vniuersalem & omnibus caussis communem dedit canonem hunc: Vnaquæq; res ex caussa spectari debet.

Hoc est, de vnaquaq; re iudicandum est ac disserendum ex caussis.

## DE GENERATIONE.

*Quid est generatio?*

*Arist. c. 3.* *Generatio nihil aliud est, quàm rei cuiuspiam productio, qua res primum exoritur & esse incipit.*

Vt,

Vt est hominis ortus,plantæ germinatio, domus ædificatio.

*Quomodo argumentandum est à generatione?*

Ita argumentamur:Scipionem Africanum natum fuisse ciuitati Romanæ,bonum fuit , igitur Scipio Africanus bonus fuit.

Contra? Catilinam natum esse ciuitati Romanæ malum fuit, igitur Catilina illi fuit malus & noxius.

Christum nasci fuit optimum , Christus igitur optimus fuit.

*Recita canones ex Aristotele,ad quos dirigũtur hæ argumentandi rationes.*

Quarum rerum ortus & origo est in bonis , eæ etiam in bonis sunt.

Quarum origo est in malis,eæ etiam in malis numerabuntur.

## DE GENERATO.

*Quid est generatum?*

*Generatum est id,quod per generationem seu productionem exoritur,& in rerum naturam prodit.*

Vt homo natus,plãta producta,domus ædificata.

*Quomodo argumentandum est à re producta ad generationem?*

Ad hunc modum argumẽtamur: Catilina perniciosus fuit Reipub.Romanę,ergo Catilinæ ortus perniciosus fuit Reip.Romanæ. Cicero multum profuit Ciuitati Romanæ,igitur eius generatio vtilis fuit Romanis.

*Quod est axiomata, quo nituntur eiusmodi argumentationes?*

Quale est ipsum generatum,talem quoq; eius genera-

generationem & exortum esse consequitur.

Quæ regula de bonitate & pernicie tātummodo est intelligenda, quod ex ipsis quoq; exemplis satis est manifestum.

## DE CORRVPTIONE.

*Quid est corruptio?*

*Arist.c.3.* *Corruptio nihil aliud est, quam rei cuiuspiam interitus.*

*Quomodo argumentandum est à corruptione?*

Per attributa, bonum & malū, vt, si seditiosos homines supplicio afficere, Reipublicæ bonum est, ipsi homines seditiosi mali sunt, & incommodi Reipublicæ.

Virgilij mors p̄matura, rei literariæ mala fuit (alioqui limatiora adhuc & tersiora haberentur eius opera. Igitur Virgilius rei literariæ dum viueret commodus fuit.

*Recita ex Aristotele canones, ad quos dirigūtur argumentationes ex hoc loco deprompta.*

Si interitus & euersio rerum sit in malis, res ipsæ ducentur in bonis.

Si interitus rerum sit in bonis, res ipsæ erūt in malis.

## DE CORRVPTO.

*Quid est corruptum?*

*Corruptum est id quod interijt, & in rerum natura iam esse desiit.*

*Quomodo argumentandum est à corrupto?*

Argumētamur ex eo, quòd res quę interijt bona fuit,

fuit eius interitum & corruptionem perniciosam fuisse,& contrà,si id quod interijt malum fuerit, eius interitum & corruptionem salutarem fuisse? hoc modo:Cicero Romanis erat vtilis, ergo eius interitus Romanis fuit luctuosus:Catilina perniciosus fuit Romanis,igitur eius interitus illis fuit iucundus.

*Canones.*

Rei bonæ,molesta est priuatio.
Rei malæ,iucunda est ablatio.

*Quid obseruandum est in his locis corruptionis & rei corruptæ?*

Hîc obseruandum est,vt accipiantur ea, quæ per se bona vel mala sunt.Nam in ijs quæ per accidens,siue alterius comitantis gratia, bona vtiliaq́ue habentur , non est efficax & firma argumentatio.

Non enim sequitur:Mors Christi bona fuit ergo ipse malus fuit,cùm viueret.Nã bona fuit per aliud dũtaxat, eò quod eam nostra salus sit secuta.Per se autem adeo bona non fuit,vt etiam inanimata,sol, terra,petrę exhorruerint tam crudelem innocentissimi agni mortem.

## DE VSV.

*Quid est vsus?*

*Vsus est rei cuiusq; ad suum finem accommodatio.*

Vt vsus cibi & potus,est valetudinem & vires corporis conseruare.Vsus vini,est languẽtem stomachum excitare, & animum mœrore fractum, recreare.

*Quomodo argumentaris ab vsu?*

Hoc modo,bonus est vini vsus(animũ scilicet homi-

cor hominis exhilarare, mœrentes & deiectos erigere, stomachum debilem confirmare) ergo vinũ est bonum.

Vsus artis magiæ malus est, ergo
Ars magica est mala.

*Axiomata.*

Cuius vsus bonus est, ipsum quoq; bonũ est
Cuius vsus malus est, idipsum malum est.

*Quot sunt obseruanda in argumentationibus huius loci?*

Duo sunt obseruãda { Alterũ est, vt de his loquamur, quæ per se bonum aut malum vsum habent, & non per accidens. Alterum est, ne pro vero rei vsu, sumatur abusus.

Nam si quis argumẽtari velit ex abusu, nõ colliget inde rei vitium & prauitatem, sed potius hominum abutentium peruersitatem.

*Quæ est vtilitas trium istorum locorum?*

Locorum a generatione, corruptione & a rerũ vsu, maxima est vtilitas in ijs distinguendis, quæ vere bona sunt, a malis.

## DE COMMVNITER *accidentibus.*

*Quæ dicuntur communiter accidentia?*

*Vide etiã Aristote. cap.2.* *Communiter acicidentia sunt res, tali inter se colligatæ vinculo, vt sese comitẽtur vel semper, vel ferè semper.*

Vt sunt concipere & parere, florere & fructum proferre.

Quotu-

*Quotuplicia sunt communiter accidentia?*

Dupliciasut { Quædam se semper consequuntur: Vt, pirus & pomus, prius frondescunt quã florescant:& antè florescunt quàm fructus ferant.
Quædam frequenter admodum, & fere semper: Vt, Bacchanaliorũ celebratione aut Encæniorum, consequuntur ebrietas & multorum vulneratio. }

*Quomodo argumentandum est à communiter accidentibus prioris generis?*

Ducuntur argumenta necessaria { Affirmatè & Negatè. }

Affirmate quidem ab eo quod tempore est posterius, hoc modo:

Pomus floret, ergo fronduit: Item, fructum habet, ergo & flores & frondes habuit: Mulier ista peperit, ergo concepit.

Negate verò argumentamur ab eo quod tẽpore prius est: vt, mulier hæc non cõcepit, non igitur peperit.

*Recita axiomata, quibus eiusmodi argumentationes nituntur.*

Communiter accidentium si quod posterius est cohæreat, id quod prius est, fuisse necesse est.

Si quod prius est non adsit, nec quod consequẽs est, aderit.

*Quomodo ducuntur argumenta ex communiter accidentibus secundi generis?*

Ex cõmuniter accidentibus secundi modi du-

cũtur argumẽta, non quidem necessaria, sed probabilia duntaxat, hoc modo: Bacchanalia hodie celebrantur, Igitur multi fient ebrij, aliqui vulnerabuntur.

Hic homo molitur quippiam magnę industrię igitur patebit hominum inuidiæ. Iuxta illud Ecclesiastæ: Omnes labores hominũ & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi.

Huius generis sunt argumenta, quę à naturalibus signis & physiognomicis sumutur. Vt, manè rubet cælum, non erit igitur hodie aeris clementia.

Hic homo crispos in extremitate habet capillos, ergo boni est animi.

Similiter argumenta, quę à prodigijs, monstris aut portentis sumuntur. Quale est, cùm argumẽtamur ex cometa, aut alio aliquo portento, magnum malum aliquod vel patriæ, vel principi imminere. Item cùm apud Virgilium, Aeneas fugiendum ex eo loco esse concludit, audita Harpyę voce.

Itẽ argumẽta, quæ ducuntur ex gentilium augurijs, aruspicis, & alijs diuinationũ generibus.

*Quibus axiomatis nituntur argumentationes ex communiter accidentibus, secundi generis desumptæ?*

Istis.

Ex communiter accidentibus, quæ nõ necessariò inter se sunt deuincta, si id posterius est, sit verisimile est, id quod prius est, antecessisse.

Ex communiter accidentibus, quæ non habent necessariam inter se colligationem, si prius est alterum postea consecuturum, est probabile.

*Quid*

*Quid obseruandū est in ducēdis argumentis, ex isto loco communiter accidentium?*

Hic obseruandum est, ne argumentū ducamus ex ijs, quæ nec semper, nec plerūq;, sed vel rarius vel indefinite se mutuò cōsequuntur. Hinc enim suspiciones duntaxat fallaces & odiosæ proficiscuntur: vt comptus est, ergo adulter: hæc formosa est, igitur & impudica. Sunt hæ argumentationes sophisticę, non dialecticę suspiciosi hominis, non viri prudentis.

*Quis est vsus istius loci?*

Loci à communiter accidentibus vsus, latissime est sparsus. Confert in primis plurimum in genere iudiciali, ad probandum factum.

Vtilis est præterea in laudationibus & vituperijs, in consolationibus, in deliberationibus, vbi conjecturam facimus ex eo, quod communiter & fere vsu venit. Ad hęc in naturalibus, vbi monstra ostētaq; rerum coniecturam faciunt, vt defectus solis lunæq;, item stellæ crinitæ, quæq; alia vel videri solent, vel audiri, quibus insignium populorum ac vrbium clades auguramur. Quin & de moribus futuris vaticinamur ex hoc loco: fortis erit, quoniā lato est pectore: liberalis futurus est, quandoquidem lata illi frons est.

## DE LOCIS EXTERNIS, ET primùm de oppotsiis.

*Quomodo definiuntur opposita?*

Opposita (vt in postprædicamentis dictum est sunt voces ita inter se repugnantes, vt neutra earum cum alia eodem modo pugnet, cuiusmodi

ſunt, pater & filius, videns & cæcus, albus & niger, homo & non homo.

*Quotuplicia ſunt oppoſita?*

Quadruplicia videlicet, { Relata, Priuantia, Contraria, Contradicentia.

*Quomodo argumentandum eſt à relatis oppoſitis?*

Ab affirmatione vnius, ad alterius negationẽ, hoc modo: Auguſtus fuit Octauij filius, ergo non fuit pater eiuſdem.

*Quid hîc obſeruari debet.*

Hic obſeruandum eſt, vt ad idem & in eadẽ re fiat comparatio. Vnde non ſequitur: Hic eſt pater, ergo non eſt filius. Neq; ſequitur: Hic homo eſt illo homine ſuperior, ergo non eſt eodem inferior: qui enim in vno ſuperior eſt, in altero inferior eſſe poteſt. Qua de re iucunda eſt concertatio patris & filij apud Gellium in noctibus Atticis.

*Eſtne alio ratio argumentandi, à relatis oppoſitis?*

Eſt, argumentamur enim & hoc modo. Pater eſt, ergo filius eſt: Item, Auguſtus fuit Octauij filius, ergo Octauus fuit pater Auguſti.

Deniq; & hoc modo Pontius Pilatus damnauit Ieſum, ergo Ieſus à Pontio Pilato damnatus.

*Recita canones.*

Vnus eſt communis omnium oppoſitorum, videlicet iſte:

Cuicũq; tribuitur vnum oppoſitorum, de eodẽ negatur alterum.

Alter huic loco peculiaris eſt.

Oppoſita relata, cùm ſint ſimul naturę ordine, & poſi-

& posita se mutuò ponunt, & interempta se mutuò interimunt.

## DE CONTRARIIS.

*Quotuplicia sunt contraria?*

*Vide Aristo. ca. 3.*

Duplicia, { Alia medium habent, & Alia carent medio.

*Quomodo ducuntur argumenta ab isto duplici genere contrariorum?*

In habentibus medium ab affirmatione tantũ proficiscimur ad negationem, vt liberalis est, nõ est igitur auarus.

In medio carentibus duobus modis argumenta instituuntur, quando subiectum capax adhibetur.

Ad hũc modum { Affirmatè: Hoc animal est sanum, non est igitur ægrum. Negate, Hoc animal non est sanũ, igitur est ægrum.

*Quæ sunt regulæ, ad quas diriguntur huius loci argumentationes?*

Quando ab affirmatione vnius contrarij, tẽdimus ad negationem alterius, eiusmodi argumentatio vim suam accipit à communi oppositorum canone iam recitato.

Alterum verò argumentãdi genus à negatione videlicet vnius contrarij medio carentis, ad affirmationem alterius, hoc nititur axiomate.

Medio carentium, si vnum subiecto capaci nõ insit, alterum inesse necesse est.

## DE PRIVANTIBVS.

*Quot modis argumentari licet à priuantibus?*

Duobus.

Prior eſt omnibus oppoſitorum generibus communis, videlicet ab affirmatione vnius, ad negationem alterius, vt homo cæcus eſt, igitur non videt.

Alter eſt priuantibus, cum nõnullis alijs oppoſitis proprius, nimirum à negatione vnius ad alterius affirmationem: ſi modo accipiatur ſubiectum capax, & tẽpus à natura definitum: Vt, Puer iſte non poteſt loqui, & tempus a natura conſtitutum iam præterlapſum eſt, quo ſolet loquendi facultas haberi, igitur mutus eſt.

*Recita canones argumentationum iſtius loci?*

Prior argumentandi modus fit iuxta commune omnium oppoſitorum canonẽ, quem ſuperiùs in relatorum tractatione cõmemorauimus. Alter hac regula dirigitur.

Priuantium, ſi vnum ſubiecto capaci non ineſt tẽpore a natura definito, neceſſe eſt alterũ ineſſe.

## DE CONTRADICENTIBVS.

*Quomodo argumentãdũ eſt à contradicentibus?*

A contradicentibus, quæ Cicero aientia & negantia appellat, affirmate argumentamur & negate. Cuiuſmodi conſequentię tractatæ ſunt in initio ſecundę partis, libri Περὶ Ἑρμηνείας.

Paulus eſt ſyncerus, ergo.
Paulus non eſt non ſyncerus.

Item,

Item, Lapis non est homo, igitur
Est non homo.

Intelligunt, si sit, propter cauillationes.

*Quæ est regula istiusmodi argumentationum?*

De quauis re vera est affirmatio vel negatio, de nulla verò simul.

Possumus & in contradicentibus propositionibus argumentari, hoc modo: Si hæc vera est.

Milo est absolutus, illam necesse est falsam esse,

Milo non est absolutus, sed hæc argumentandi ratio non ad hunc locum, sed ad legem contradicentium pertinet, quę sic habet:

Contradicentes propositiones nunquam simul aut veræ, aut falsæ esse possunt.

*Estne alia ratio argumenta ex oppositis ducendi, quàm quæ modò exposita est?* *Ex ca. 3.*

Aristoteles habet quendam argumentandi modum in quatuor istis oppositorũ generibus, quem appellat consequentiã ἐπὶ ταῦτο, hoc est, in ipso & ex contrario.

Ex contrario consequentia dicitur, in qua ex duobus oppositis, inferuntur duo alia opposita, variato atq; transmutato ordine: Vt,

Omnis homo est animal, ergo
Omne non animal; est non homo.

Item, si homo est, animal est, Igitur si non animal est, erit & non homo.

Rursus, Si quid est homo, ipsum est animal, ergo si quid sit non animal, erit & non homo.

In ipso, sine directa consequentia erit, si in cõsequente idem oppositorũ seruetur ordo, qui est in antecedẽte: Vt, Omnis prudentia est virtus, ergo omnis

go omnis imprudentia est vitium.

Si prudentia est, virtus est, ergo si imprudentia est, vitium est.

Si quis prudens est, est virtute præditus, ergo si quis imprudens est, is & prauus erit.

Porrò interdum inter se commiscentur opposita diuersi generis: Vt, Si lumen visum oblectat, tenebrę contristant.

Iusti in perpetuum viuent, igitur iusti in perpetuum morientur.

Huiusmodi exempla sexcéta ex libris tum prophanis, tum sacris quisque colligere pôterit; quæ mirã habẽt vim ad affectus commouendos, oppositis sic ad inuicem collatis. Vnde vsum harum consequentiarum maximum esse, facile intellitur.

## DE DISPARATIS.

*Quæ dicuntur disparata?*

*Vide Aristot.ca.2.* *Disparata dicuntur voces inter se ita repugnantes, vt singulæ cũ alijs quoq; similem habere repugnantiam deprehendantur.*

Vt sunt homo & equus, lapis & planta.

*Quomodo argumentandum est à disparatis?*

In his argumentamur quemadmodum in omnibus oppositis, ab affirmatione vnius ad negationem alterius: Vt, Est leo, ergo non est simia.

A negatione verò ad affirmationem nulla est argumentatio efficax.

*Quæ est regula argumentationum istius loci?*

Cuicunq; conuenit vnum disparatorum, de eodem negatur alterum.

*Quas*

*Quas conditiones habet omnibus repugnantibus communes?*

In omnibus his oppositorum & disparatorum locis, in vniuersum obseruandum est, vt opposita seu disparata prædicentur, & sint vel integra prædicata, vel eorum partes principales. Nam si collocentur opposita ex parte subiecti, non est firma argumentatio. Non enim sequitur:

Album est, igitur nigrum non est.

Album est coloratum, igitur nigrum non est coloratum.

Item, Si opposita adhibeantur tantū, tanquam partes minus principales attributi, non valebit similiter argumentatio. Vt non sequitur:

Video album, igitur non video nigrum.

Posside o asinum, Non igitur possideo bouem.

Verūtamen si opposita sumātur vt partes principales, legitima est argumentatio. Rectè enim sequitur à contrarijs:

Hic est homo albus, igitur non est homo niger.

Hoc est animal sanum, igitur non est animal ægrum.

## DE MAIORE.

*Quid est maius?* *Ex ca 4.*

*Maius est, quod magis est verisimile.*

Vt Hectoré posse defendere Troiam maius est, hoc est, magis verisimile quàm Aeneam pôsse.

Similiter virum magno oneri gestando sufficere, quàm puerum, verisimilius est.

Probabilius etiam est, puerum imbecillem esse quàm virum.

*Quomodo ducitur argumentum à maiore?*

Ducitur negatè tantū, idq; tribus modis:

*Mutato subiecto tantùm*, vt, Hector non poterat Troiam defendere, neque igitur Aeneas potuisset. Puer non est ineptus ad ferendos studij labores, neque igitur vir.

*Mutato prædicato tantùm*, vt, Exercitus hic valet expugnare arcē parum munitam: non igitur expugnabit munitissimam ciuitatem.

*Vtroque simul*, vt, vir fortis nequit ferre centum pondo lapillorum, ergo puer nō gestabit mille pondo lapillorum.

*Quod est axioma, quo continentur argumentationes à maiori?*

Si id quod magis videtur, non est verum, neq; id quod minus videtur, verum erit.

Aristoteles verò, singulis modis singula tribuit axiomata, dicens:

„ Cùm vna res duabus comparatur: si cui verisimilius est conuenire, non conueniat, ne illi quidem cui minus.

„ Cùm duæ res cū vna conferūtur, si quæ magis conuenire videtur nō cōueniat, nec quę minus.

„ Cùm duæ res duabus comparantur, si quæ alteri magis videtur conuenire non conueniat, ne reliqua quidem reliquæ conueniet.

## DE MINORI.

*Quid est minus?*

Ex ca. 4. *Minus est, quod minus est verisimile.*

Vt,

Vt, Aeneam posse Troiam defendere, quàm Hectorem minus est verisimile.

*Quot modis licet argumentari à minori?*

Totidē modis, quot à maiori, sed affirmatè tātùm.

Tribus igitur modis, videlicet
- *Subiecto tantùm mutato*, vt, Solus Hungariæ rex potuit Turcā reprimere, multò igitur magis poterūt reprimere Turcā oīm Christianorū cōiūcti exercitus.
- *Prædicato tātū mutato*, vt, lex permittit Sabbatis liberare bouē, ergo & hominē
- *Vtroq; simul*, vt, Christus pro nobis grauissima pertulit supplicia, nos igitur vel modica, pro eius amore ferre debemus.

*Quod est axioma, in quo situm est robur eiusmodi argumentationum?*

Si id quod minus videtur, verum est, id quoq; quod magis videtur, verum erit.

Secundum Aristotelē verò tribus diuersis modis, tres distinctæ assignantur regulæ.

„ Cùm vna res duabus cōparatur, si cui minus „probabile est conuenire conueniat, ei etiam cui „verisimilius.

„ Cùm duæ res cum vna cōferuntur, si quę minus videtur conuenire conueniat, ea etiam quæ „magis conuenire videbitur, conueniet.

„ Cùm duæ res duabus comparantur, si ea quæ „minus conuenire alteri videtur conueniat, re„liqua etiam reliquæ conueniet.

## DE SIMILIBVS.

*Quæ dicuntur similia?*

*Similia*

Ex ca. 4. *Similia dicuntur, quæ similem vel æqualem veritatis speciem habent.*

*Quomodo sunt argumenta à similibus ducẽda?*

Ducuntur ab his argumenta
- *Affirmatè*, vt: immoderatius diuitias cõcupiscere, vitiosum est, & vanum, igitur immoderatius quoq; prophanis disciplinis operã dare, vitiosum est & vanum.
- *Negatè*, vt: Niniuitæ non perierunt, quia pœnitentiam egerunt, neq; igitur nos peribimus, si illorum pœnitiam imitemur.

*Quod est axioma, quo nituntur argumentationes ex loco similium deprompta?*

De similibus idem est iudicium.

*Firmáne est ista argumentãdi ratio à simili?*

Similia plus ad illustrãda negotia, quàm ad probandum cõducunt: Nam infirma ferè argumenta inde ducuntur, cùm nulla sit tanta similitudo, quæ per omnia conueniat, si vulgatę huic sententiæ est credendum. Omnis similitudo claudicat. Sæpe tamen, quia delectat collatio, tanquam rei pictura in oculos incurrens, multùm prodest.

## DE PARI.

*Quid interest inter locum similium & parium?*

Locus à pari non videtur omninò à loco similium discrepare. Vt, Lex est, Qui patrem necasse iudicatus erit, deijciatur in profluentẽ. Ex qua cõsequitur, Ergo & qui matrem necasse iudicatus erit, ob par & æquale flagitiũ parem luet pœnam.

Qua

*Quæ est vtilitas huius loci similiũ seu parium?*

Huius loci magna est vtilitas, cùm leges, quod in vno est expressum, in simili statuisse intelligun tur, sic in Theologicis controuersijs, & alijs cuius uis generis à pari ratione, de alijs quæ scripto vel præcepto non sunt expressa, sententia feretur.

## DE DISSIMILI.

*Quæ dicuntur hîc dissimilia?*

*Dissimilia (vt hoc loco considerari debent) sunt, quæ cum re aliqua comparata, nõ similiter ad eam affecta sunt.*

Vt, anima hominis & anima bruti dissimiles sunt, si in immortalitate conferãtur, quia immortalitas in animam hominis cadit, non autem in anima bruti. Rursus, eadẽ immortalitas aliena est ab anima bruti, non autem ab anima hominis.

Ad hunc modum non ita affectum est bipes ad equum, quemadmodum ad hominem, Sed homo bipes est, Ergo equus bipes non est. Vel contra: Equus non est bipes, igitur homo bipes est.

*Quod est axioma?*

Dissimilium ratio est dissimilis.

ADMONITIO.

Aduertendum est, non tam crebrum esse dissimilitudinis vsum, quàm similitudinis: profuerit tamen ex bonis auctoribus similia dissimiliaque excerpere, quia miram quandam lucẽ sæpe caussis afferunt.

## DE PROPORTIONE.

*Quid est proportio?*

*Proportio est, rationũ seu cõparationũ similitudo.*

*Profer*

*Profer exemplum argumentationis ex hoc loco desumptæ.*

Vt, Quemadmodum nauta ad nauim: ita præfectus Reipublicæ ad ipsam Rempublicam affectus est: Sed nauta deligitur, qui peritissimus est, non sorte, Ergo præficietur Reipublicæ, nō quem sors dederit, sed qui ad Reipublicæ administrationem aptissimus iudicabitur.

Item in numeris: Velut sex se habent ad quatuor, ita duodecim ad octo, sed ibi est proportio sesquialtera, Ergo & hic.

*Quo axiomate nitūtur istiusmodi argumētationes?*

De ijs, quæ eādem habent proportionem, idem est iudicium.

*Quam affert vtilitatem huius loci cognitio?*

Multus huius loci vsus est, in æstimandis præmijs & supplicijs ex æquo & bono, seu iuxta ἐπιείκειαν, hoc est, æquitatem, de qua latè Aristoteles quinto Ethicorū. Deinde apud Rhetores parabolæ, apologi, fabulæ, exēpla historica, quæq; plura sunt amplificandi instrumenta, tractantur vberiùs ex loco proportionis, vt in amplificandi præceptis fieri consueuit.

## DE DISPROPORTIONE.

*Quid est dispropoptio?*

*Disproportio, est rationum seu comparationum inter se dissimilitudo.*

*Profer exemplum argumētationis ex isto loco disproportionis desumptæ.*

Vt, Non ita se habet anima bruti ad brutum, vt anima

anima rationalis ad hominem: Sed bruti anima interit cum corpore, anima igitur hominis, cum ipso homine non interit. Vel contrà:

Hominis anima non est mortalis, ergo bruti anima cum ipso extinguitur.

*Quæ est generalis sententia, qua continentur eiusmodi argumentationes?*

Eorũ, in quibus reperitur disproportio, diuersa est ratio.

Nam vt in dissimili, ita hoc loco, valet consequentia negatè à negatione vnius, ad affirmationem alterius, & contrà.

## DE TRANSMVTATA proportione.

*Quid est permutata proportio?*

*Permutata proportio est, quando duarum similium comparationum fundamenta inter se, & termini inter se, permiscentur.*

*Da exemplum.*

Sicut affecta sunt octo ad quatuor, ita duodecim ad sex, scilicet proportione dupla. Ergo, vt duodecim ad octo, ita affecta sunt sex ad quatuor, nimirum proportione sesquialtera.

Cuius exempli intelligẽtiam istud schema sub aspectum subijcit.

| Fundamenta, | Termini. |
|---|---|
| 8 | 4 |
| 12 | 6 |

Rursus: Quemadmodum sese habent nouem ad tria,

tria, ita duodecim ad quatuor affecta sunt, nimirum proportione tripla: ergo quemadmodum nouē ad duodecim, ita affecta sunt tria ad quatuor, nimirum secundum proportionem subsesquitertiam.

Cuius exempli, hoc est schema:

| Fundamenta, | Termini. |
|---|---|
| 9 | 3 |
| 12 | 4 |

*Quæ sunt regulæ istiusmodi argumētationum?*

Si primi ad secundum, & tertij ad quartum, eadem est proportio: erit & tertij ad primū, & quarti ad secundum, ratio eadem.

Rursus: Si primi ad secundum, & tertij ad quartum, est proportio eadem, certè primi ad tertium, & secundi ad quartum, erit eadem ratio & proportio. Quæ regulæ etiam extra numeros locum habent, veluti in hoc exemplo:

Quam rationem habet ignis ad aërem, ita se habet terra ad aquam, ergo sicut se habet ignis ad terram, ita aër ad aquam: vel, ergo sicut se habet terra ad ignem, ita se habet aqua ad aërem, maximè si situm & ordinem numeri spectes.

| | Fundamenta, | Termini. | |
|---|---|---|---|
| primū | Ignis | Aër | 2m |
| 3m | Terra | Aqua. | 4m |

# DE AVCTORITATE.

*Quid est auctoritas?*

*Auctoritas nihil aliud est, quàm testimonium fide dignum.*

*Quomodo ducitur argumentum ab auctoritate?*

Tantùm affirmatè. vt, Cicero scripsit. Nisi animus fuerit curatus, nullus vnquam erit miseriarum finis. Igitur hoc verum est. Rursus dicit Propheta: Non est pax impijs. Item: Impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest, ergo ita se res habet. *Ari.ca.2.*

*Quod est axioma, quo nituntur huius loci argumentationes?*

Cuique artifici in sua arte credendum est.

Item, Quod omnibus vel pluribus, vel maximè sapientibus probatur, ita se habere, probabile est, nec sine graui caussa ab eorum iudicio est recedendum.

*Quotuplex est auctoritas?*

Duplex est, { Vna diuina, quæ semper manet firma. / Altera humana, q̃ plerũq; vacillat. }

*Quis est vsus huius loci ab auctoritate?*

Multiplex & varius est huius loci vsus. Primùm in humanis disciplinis, cùm aliquis instituendus est, is (vt Aurelij Augustini & verbis, & sententia vtar) duplici via ducitur, auctoritate & iudicio, seu ratione. Et tempore quidem auctoritas, natura verò ratio prior est. Itaq; quãuis imperitis adhuc auctoritas videatur esse accommodatior (Credere enim, vt Aristoteles ait, in Reprehẽsionibus & in-

dubitatam fidem habere eum oportet,qui discere aliquid velit)ratio tamē aptior est eruditis. Aucto ritas igitur imperitis adhuc ianuā quodammodo aperit doctrinarum,& discentem ducit. Ratio autem eundem iam eruditum,presśis vestigijs hęrere facit,& omnia intromissa luce, commonstrat.

Prætereà cùm in artibus omnibus, tum maximè in Grammaticis & Theologicis disputationibus, in quibus ferè sola auctoritate pro ratione vtimur,plurimus est huius loci vsus.

ADMONITIO.

Ad locum ab auctoritate, pertinent Iudiciales loci à Testibus,Legibus,Institutis maiorum,Consuetudine.

## DE TRANSSVMPTIONE.

*Quid est transsumptio?*

*Transsumptio est verbi à propria significatione ad impropriam,propter rerum significatarum similitudinem translatio.*

*Quæ argumētatio dicitur esse sumpta ex transsumptione?*

Ex transsumptione propriè accepta, hoc est, translatione,quā Gręci μεταφοράν dicunt,argumētamur,cùm nomen aliquod per metaphoram transfertur,& deinde ex re,non quam eo in loco, sed quam propriè significat,ducitur argumētum. Vt: ignis semper se prodit,Ergo & amor. Sic Paris ad Helenam:

Quis enim cælauerit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Ibi ig-

Ibi ignis pro amore ponitur, sed nō ab amore, verùm à natura ignis,ducitur argumentum, cùm dicit:Lumine qui semper proditur ipse suo, tanquam de vero igne loquatur.Item,leo rugiens est timendus,ergo & diabolus. Paterfamiliâs habendus est in precio,ergo & Deus. Cani fidēdum non est,ergo nec assentatori.

*Quid est transsumptio generatim accepta?*

*Generatim accepta transsumptio fit, cùm verbum obscurum,in id quod magis dilucidum esse videtur, commutamus.* *Aristot. cap.2.*

Vt,Non est sapientis dicere,viuam,ergo
Non est Philosophi.

*Quibus regulis huius loci argumentationes diriguntur?*

Quod cōuenit sub nomine metaphorico, idem conueniet sub nomine proprio.

Et pro posteriori modo: Quod sub nomine manifestiori de aliquo dicitur,etiam sub obscuriori, tamen eandem rem significante,dicetur.

*Quis est vsus transsumptionis?*

Transsumptionis generatim acceptæ vsus,tam latè sparsus est,quàm præceptiones Grammaticorum & Rhetorum, de paranda omnium supellectile,de synonymia,de vsu troporum nominum, præcipuè metaphorę & allegoriæ. quas figuras in literis sacris esse constat creberrimas.In exornanda,Rhetorum flosculis elocutionisq́ue schematibus,oratione , quodcunque genus caussæ tractetur.In prima ætate puerorum egregiè exercitan-

da & alijs eiusmodi negotijs, etiam primas transsumptionem tenere, nemo est cordatorum hominum, qui neget.

## DE LOCIS MEDIIS, ET primùm de coniugatis & casibus.

*Quæ sunt coniugata?*

*Coniugata sunt abstractū, & alia vox eiusdem significationis, ab eo deriuata & deducta.*

*Cur hæc dicuntur coniugata?*

Quia sunt sub eodē iugo significationis, Vt sapientie, sapiens, sapienter.

*Quomodo definiuntur casus?*

*Casus sunt, plures voces eiusdem significationis ab eodem abstracto deriuatæ.*

*Cur istæ voces appellantur casus?*

Quia per quandam deflexionem cadunt ab eodem abstracto, vt iustus & iustè, a iustitia.

Quæ differentia sępenumero tamen confunditur: vt apud Ciceronem, qui locum a casibus non distinguit à coniugatorum loco, sed illum sub hoc comprehendit.

*Quomodo argumentandum est à coniugatis & casibus?*

*Ari. ca. 3* A casibus & coniugatis ducuntur argumenta, tum affirmantia, tum negantia: interdum quidem in attributis bonum & malum, interdum in alijs.

A con-

A coniugatis duplici ratione argumétamur

- Ex parte ſubiecti tantùm, quod tantùm vſu venit in attributis bonū & malum, quęq; laudem aut vituperationem ſignificant: Vt:
  Iuſtitia eſt laudanda, ergo
  Iuſtus eſt laudandus.
  Iuſtitia non eſt vituperanda, ergo
  Iuſtus non eſt vituperandus.
  Obedientia ſancta eſt, igitur
  Sanctum eſt obedire.
- Ex parte ſubiecti & attributi ſimul, idque à duobus concretis ad duo abſtracta: vel à duobus abſtractis ad duo concreta, affirmatè & negatè.

Vt, videns ſentit, ergo viſus eſt ſenſus.
Currens mouetur, ergo curſus eſt motus.
Album eſt coloratum, ergo albedo eſt color.
Et contrà: Curſus eſt motus, ergo currēs mouetur.
Albedo eſt color, ergo album eſt coloratum.

*Quæ conditiones ſunt in hoc genere argumentandi obſeruandæ?*

Hîc obſeruandum eſt, vt euitentur prędicationes per accidens. Non enim ſequitur:
Album eſt dulce, ergo
Albedo eſt dulcedo.
Nec contrà: Albedo non eſt dulcedo ergo
Album non eſt dulce.

A caſibus ſimiliter argumentamur: vt, Currere eſt moueri, ergo currens mouetur.

*Recita axiomata, quibus nituntur argumentationes, ex his locis coniugatorum & caſuum, deſumpta.*

Quod vni conuenit coniugatorum, & alteri conuenit.

Item, coniugatorū in eo quòd coniugata sunt, vna est eademq; natura.

Si coniugatorum vnum vni conuenit, & alterum alteri conueniet.

Casuum, in eo quòd casus sunt, eadē est natura.

## DE DIVISIONE.

### *Quid est diuisio?*

De diuisione quid sit, & quomodo diuidatur, & quas habeat leges, & quem vsum, abūdè dictum est, cùm ageretur de ratione diuidendi.

### *Quomodo argumenta à diuisione ducuntur?*

A diuisione bipartitò ducuntur argumenta:

*Primò*, à negatione vnius membri aut pluriū, sed non omniū, ad affirmationē mēbri non negati. Nam cùm de aliquo prædicatur diuisum, & negantur omnia membra diuidentia vno excepto, tum id quod reliquum est, affirmabitur de eodē in consequente. Vt, Omne animal aut valet, aut ægrotat: Paulus est animal, & non ægrotat, ergo valet.

*Secundò*, ab affirmatione vnius mēbri diuidentis ad negationem alterius vel aliorum: Vt, animaliū aliud valet, aliud ægrotat, sed Paulus valet, ergo non ægrotat.

### *Quæ sunt axiomata eiusmodi argumentationum?*

Cum quo conuenit diuisum, cum illo necesse est aliquod ex membris diuidentibus conuenire.

Cui

Cui conuenit vnum ex membris diuidentibus, de eodem reliqua omnia negari, necesse est. Quorum omnium ratio manifesta est ex cōditionibus perfectæ diuisionis.

APPENDIX
quorundam locorum ex Aristotele.

Qui hactenus enumerati sunt loci, præcipui videntur, his ex Aristotele solent addi quidam alij, quorum in præcedentibus, non est facta mentio: quorum vnus vulgò vocatur à magis ad simpliciter, & contrà, Alius, à positiuo ad comparatiuum & superlatiuum, & contrà: Tertius deniq; ab appositione. *Aristot. cap. 4.*

*Quomodo argumētationes instituuntur à magis ad simpliciter?*

*A magis ad simpliciter & omninò, solùm affirmatè argumentamur.* *Ex ca. 4.*

Vt Virgilius doctior poëta est Horatio, ergo Virgilius est doctus poëta.
Mel dulcius est lacte, igitur mel dulce est.

*Quæ est regula huius generis argumētationum?*

De quo comparatiuus propriè acceptus verè dicitur, de eo & positiuum dici necesse est. Nam si abusiuè accipiatur cōparatiuus, dispar erit ratio. Neq; enim sequitur: Mare Caspium dulcius est cęteris (teste Q. Curtio) ergo est dulce. Dulcius enim idem valet quod minus amarum.

*Quomodo argumentandum est à simpliciter ad magis?*

*A simpliciter ad magis argumentamur solùm negatè.*

Vt:Zoilus non fuit doctus poëta,ergo
Non fuit doctior Homero.

*Quæ est norma huiusmodi argumētationum?*

De quo positiuus non dicitur,nec comparatiuus.

*Habéntne isti loci cum aliquibus superioribus affinitatem?*

Habent,eamq; maximam. Prior cum loco partis ex modo ad totum:alter contrà cum loco à toto ad partem. Nam comparatiuus , pars ex modo esse videtur si ad positiuum referas , vti planum euadit,si exprimatur per aduerbium magis.

Ex c.4 A POSITIVIS AD COMparatiuos & superlatiuos.

*Quomodo à positiuis ad comparatiuos & superlatiuos argumentaris?*

Hoc modo,Quod bonum est, iusta ratione diligitur,ergo quod melius est,ratione iustiori diligitur:& quod optimum est,iustissima diligitur ratione. Obedire sanctum est, ergo magis obedire sanctius,& maximè obedire sanctissimum est.

*Profer exemplum argumentationis à comparatiuis ad positiuos.*

Quod est honestius,maiori laude dignū est,igitur quod est honestum , magna laude dignum est.

*Da exemplum argumentationis à superlatiuis ad positiuos.*

Vt,Quod est turpissimū, maxima vituperatione dignum est,ergo quod est turpe , magna vituperatione dignum erit.

*Quæ sunt conditiones hîc obseruandæ?*

In lo-

In locis superioribus vtẽdum est propositionibus per se, Nec enim sequitur: Qui doctus est, probus est, ergo qui doctior, magis est probus, & doctissimus, maximè probus erit.

*Quo axiomate nituntur eiusmodi argumentationes?*

Quæ inter se cohærent in positiuis, eãdẽ quoq; cohærentiam in comparatiuis & superlatiuis retinent, & contrà:

## DE ADIECTIONE.

*Profer exemplum argumentationis ex adiectione ductæ.*

Ignîs admotus aquæ, ipsam calfacit,
Ergo ipse calidus est.

Item in moralibus.

Theophrastus ex cõuictu & cõsuetudine Aristotelis, factus est probus & eruditus Philosophus, Ergo Aristoteles probus & eruditus Philosophus erat.

*Canon Aristotelis.*

Si vna res ad alteram adiecta eam faciat bonam & albam, etc. quæ adiecta est, bona erit & alba, quale etiam totum reddidit.

*Quis est communis omnium locorum vsus?*

Quantas vtilitates habeãt loci, non potest pro dignitate dici, Necesse est enim vim horum præceptorum de locis esse maximam, cùm non solum Dialectici, sed multò antè Rhetores iudicauerint, eos diligentissime inculcandos esse discentibus. Nam vtrique de locis præceperunt. Et fuerunt nonnulli, qui pertinere eos propriè ad Rhetoricã senserunt, quia materiã offerunt dicẽdi. Hi enim

Dialecticæ nihil relinquebant,,nisi formas suprà traditas,quibus inuentam materiam includimus, cùm de ea iudicaturi sumus,faciebantq́; Dialecticam non inueniendi, sed iudicandi scientiam.

Nos, siue ad Rhetoricam proprie pertinent siue communes vtriq; arti sunt, existimamus non tantum in dialecticis libellis recensendos esse,sed etiam in omnibus parietibus scribendos atq; sculpendos esse,vt semper ob oculos versentur.

Atq; hoc est,quod Antonius in secundo libro de Oratore efficiendum esse vult, vt quemadmodum scribentibus vltrò se figuræ ingerunt literarum,ita oculis se offerant loci,nec procul,nec diu quæsiti, & statim ostendant quid maximè dici oporteat:

Nulla enim de re dici,de nullo scripto rectè iudicari potest,nisi referat se animus ad hos locos, eosq́; tanquam duces sequatur.

Rodolphus de vtilitate locorum ita differit „primo libro,sub finē capitis primi. Vtilem(in„quit) esse hanc locorū rationem apparet, cum „magnæ parti humanorum studiorum: quando„quidem pleraq; in ambiguo hærēt,& dissentien„tium certaminibus sunt exposita.Tum verò eis „præcipue confert,qui tractant illa,quorum nul„læ traditæ sunt artes:dico,qui consilio Rempu„blicam gubernant,quos de pace,bello,cæterisq́; „ciuitatis negotijs in rem pręsentem sæpe Sena„tui,sępe populo fidem facere oportet:quiq́; in „iudicijs item accusare,defendere,petere, abnue„re,quiq; populum docere iustitiam,religionem, „pietatem in professo habent.Et mox addit: Nec „instruere solū os facultas ista,& tantum dicendi „copiam subministrare,sed prouidentiam animi,

& rectè

,,& recte consulendi quoq; aperire viam, videtur.
,,Quando non alia re prudentiam constare appa-
,,ret, quàm perspicere, quid in quaqua re sit posi-
,,tum, & consentanea repugnãtiaq;, & quo quid-
,,que ducat, quidve euenire possit, colligere: Hoc
,,autem ipsum confirmat, statim subiecto exem-
,,plo de Cicerone & Demosthene, quibus prudẽ-
,,tiæ consilijque laus, vel ab æmulis est concessa,
,,quod quę dicebant in Senatu, in foro antea pru-
,,denter (adminiculo scilicet locorum) cogitas-
,,sent. Namq; dicere (inquit) prudenter, nisi qui
,,prudenter cogitarit, non potest,

Constat igitur hanc locorum dialecticorum facultatem Philosopho, Oratori, Dialectico, & omnibus, insuper, qui vel aperta oratione disserũt, vel tacita meditatione in quæstione aliqua tractanda occupantur, in primis vtilem necessariãq; esse. Diligenter ob id in hanc dialecticæ partem omnibus, qui ad præstantissimos iucundissimosque Dialecticæ fructus percipiendos aspirant, incumbendum est, & assiduo vsu atq; exercitatione huius partis confirmanda cognitio.

## TRANSITIO.

Restat vt de locis Sophisticis, & dissoluendarũ captiosarum argumentationum ratione, breuiter dicamus.

LOGI-

# LOGICES LIBER SEXTVS.

## DE ELENCHIS SEV REPREhensionibus Sophisticis, & ratione dissoluendi vitiosa argumentationum genera.



T Dialectic' officio & munere suo (quod est, verũ à falso secernere) recte perfungatur, non solùm ei danda est opera, vt argumentationũ conficiendarũ, quibus aut vera confirmantur, aut falsa confutãtur rationem teneat, verumetiã facultaté assequatur aptè dilucide, & prompte explicandi dissoluẽdiq; vitiosa argumenta, ac cõmonstrandi qua in parte vitium delitescat. Sunt enim multa (ait B. Augustinus) quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, & plerunq; ita veras imitantes, vt non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant. Verum qui in superioribus regulis bene fuerit versatus, dum videt à quibus deflectunt captiosæ argumentationes, vitia earum facilius notabit.

*Libro 2. de doctr. Christia. cap. 31.*

### *Quot modis vitiosæ argumentationes dissoluuntur?*

Duobus inquit Aristot. { Vel ad hominem, & verisimiliter. / Vel ad rem, & verè.

Vt subiecta tabella latiùs explicat.

Solu-

Solutio vitiosarum argumentationum, duplex est:

- Ad hominē
  - Eleuando
    - ἐξουθινισμῷ.
    - ὑποκρίσει.
  - Regerēdo
    - ἐπιπλήξει.
    - ἀντεναγωγῇ.
  - Digrediēdo
    - παρεκβάσει.
    - ἀποπλανήσει.
- Ad rē & est rursus duplex
  - Generalis, & fit ostēdendo vitium.
    - In materia,
    - In forma,
    - In vtroq;.
  - Specialis, quę ex generali tāquā fonte deriuatur,
    - Verborum, quæ sunt
      - Homonymia,
      - Amphibolia,
      - Coniunctio.
      - Diuisio,
      - Accentus,
      - Figura dictionis
    - Rerū
      - Fallacia accidētis.
      - A dicto secūdum quid.
      - Ignorantia elenchi.
      - Petitio principij.
      - Fallacia consequentis.
      - Non caussa vt caussa.
      - Interrogationes plures vt vna.
  - Et hęc pręcipuè fit in fallacijs

DB

## DE SOLVTIONE AD hominem.

*Solutio ad hominem quid est?*

*Ex Rodolphi li. 2: de Inu. cap. 21. et Aristo. de Reprehē. Sophist. capit. 12.*

*Solutio ad hominem est, qua non ad rem ipsam, quæ proposita est, sed homini respondemus.*

*Quot modis ad opinionem vel ad hominem confertur solutio?*

Tribus modis { Eleuando, Regerendo, Digrediendo.

*Expone latius singulos istos modos.*

Eleuamus bifariā { ἐξουθινισμῷ. seu vt rei nulli' momenti contēptione. ὑποκρίσει. seu actione.

Eleuamus ἐξουθενισμῷ, quando contemnimus seu nihili facimus, & irridemus aduersariorum dicta.

Sic fere totam Cęlij accusationem, Cicero voluit videri magis iras & iurgia dissidentium in amore, querelasq; amantium, quam vera crimina.

Eleuamus autem ὑποκρίσει, quando gestu & pronuntiatione aduersarios abijcimus & spernimus. Vt Menalcas Virgilianus:

Cantando tu illum? aut vnquam tibi fistula cera iuncta fuit?

Regerimus quoq; bifariam: { ἐπιπλήξει, seu increpatione personæ. ἀντεναγωγῆ, seu cōpensatione alterius rei.

In

In perſonam regerimus,cum omiſſa re qualiſcunque ea ſit,contendimus ab aduerſarij perſona eam obijci non conuenire. Dametas:

Parcius iſta viris,tamen obijcienda memento.

Fit quoq;,quando conuitiū conuitijs rependitur. Sicut Menalcas Virgilianus Dametæ obijcit furtum lactis,abſente hero. Regerit hic & obijcit obſcœnitatem fœdam.

Ἀντιναγωγῆ,ſeu compenſatione, cùm regerimus rem,ſiue parem,ſiue grauiorem: Vt Dametas

Dic quibus in terris,& eris mihi magn⁹ Apollo
Treis pateat cœli ſpacium non amplius vlnas?

Regerit Menalcas:

Dic quibus in terris,inſcripti nomina regum
Naſcantur flores?& Phyllida ſolus habeto.

Duobus itidem modis digredimur { παρεκβάσει.ſeu excurſu. / ἀποπλανήσει.ſeu deductione,

ΠΑΡΕΚΒ'ΑΣΕΙ,ſeu excurſu diſputantē à ſcopo abducimus,vt alijs occupatus,propoſiti obliuiſcatur,attamen id dilutum eſſe videatur. Sic Cicero pro Cælio,cum nihil reſpondiſſet, quod domi venenum erat paratū, eiuſq; vitium in ſeruo reperiabatur,mox digreditur ad Q. Metelli mortem,& ſeruum veneno ſublatum fuiſſe per ſcelus Clodiæ ſubijcit. Quam ſane formam digrediendi & in ipſo Demoſthene Aeſchines notauit.

Ἀποπλανήσει,ſeu deductione diſputātem vel iudicem à re nobis contraria deducimus,promittimusq; nos dicturos,ſed ſuo loco: Atq; ſic ſenſim tranſimus,vt auditor ab eo quod contra nos eſt auocetur.

*Abuſus*

phistæ, vt qui non ad rem argumentatur, etiam non ad rem accipiāt solutionem, ait Aristoteles.

## DE SOLVTIONE AD REM.

*Solutio ad rem quid est?*

*Cùm ad rem ipsam propositam respondetur.*

Et hic est rectissimus soluendi modus: siquidē non tam persona, quam res ipsa in quæstionibus discutiendis & disputationibus, est consideranda. Atq; ea est vera solutio inquit Aristoteles.

*Quotuplex est solutio ad rem?*

*Duplex*, { *Generalis*, *&* *Specialis*. }

## DE GENERALI SOLVTIONE.

*Quæ est generalis solutio?*

*Generalis solutio est, cùm asserimus vitium esse in forma, materia, aut vtroq; simul.*

*Quot modis igitur contingit generalis ad rem solutio?*

Tribus modis, nimirum ostenso vitio { Formæ, seu consequentiæ. Materiæ, seu antecedentis. Vtriusq;, id est, formæ & materię simul: }

*Quomodo dissoluūtur argumentationum genera, quorum vitiosa est forma?*

Quando totius argumentationis consequentiam, hoc est, antecedentis cum consequente cōnexionem negamus, & simul regulam monstramus à qua discrepat.

Exempli gratia:

Omnis prudentia eſt virtus,
Omnis temperantia eſt virtus, ergo
Omnis temperantia eſt prudentia.

Reſpondendum eſt, Nego conſequẽtiam: quia in ſecunda figura, ex puris aientibus nihil ſequitur.

Lupus apud Aeſopum accuſat ouem, quòd turbet flumen.

Bibis (inquiens) me bibente,
Turbas igitur mihi aquam.

Refutat ouis, quia bibebat inferiore loco.

Dialecticus diceret: Nego cõſequentiam: Quia enthymema non eſt legitimum: eò quòd ſyllogiſmus, ad quem reducitur, videlicet iſte:

Quicunq; bibit, me bibẽte, turbat mihi aquam
Tu bibis me bibente, igitur
Tu turbas mihi aquam.

Propoſitionẽ habeat maiorem manifeſtò falſam. Atq; ita paruo negotio magnum periculum ſæpe diſcutitur.

## *Quomodo diſſoluuntur argumentationum genera, quorum materia eſt vitioſa?*

Negando, vel diſtinguendo antecedens. Negamus autem antecedens, vel quia neceſſarium videtur, quale in demonſtratione reperitur, vel quia probabile, vt in dialectica ratiocinatione vſu venit, neq; tamen eſt eiuſmodi.

Exempli grátia, ſi quis ita argumentetur:

Omnes lineæ ductæ ab eodem pũcto ad idẽ pũctum ſunt æquales.

Sed linea recta & inflexa ita ducuntur,
Ergo ſunt æquales.

Soluen-

Soluenda est per inficiationē antecedentis, hoc modo. Nego maiorem propositionem. Falsum enim illud est de quibusuis lineis: sed de rectis dūtaxat dicere licet, quod sint æquales quæ ab eodē puncto ad idem ducuntur.

Similiter ad istam captiosam argumentationē,

Quidquid non amisisti, habes
Cornua non amisisti, igitur
Cornua habes.

Breuissima respōsio est: Nego priorē antecedentis partem. Est enim falsa maior propositio, quanquam probabilis aut verisimilis videri possit.

## *Quomodo dissoluitur fallax argumentatio per distinctionem?*

Primum considerandum est,

An ambiguitas { Ex forma sermonis, / An verò ex rebus oriatur.

Deinde: Si ambiguitas ex forma sermonis oritur, iudicatur ex Grāmatica, phrasi linguæ, & cōmuni loquendi consuetudine. Odiosum enim est & scurarum potius, perspicue dicta secundū cōmunē phrasin, in alium sensum detorquere. Quo ex genere illa sunt: Cū essent dierum triginta factæ induciȩ, Thraces noctu populati sunt agros, quia dierum non noctium induciæ essent. Lacedȩmonij legatos Persicos petētes terram & aquam, demerserunt in puteos, & terra obruerunt. Legatus Romanus pactus, vt dimidium nauium relinqueretur Antiocho, dissecari naues iussit & dissectas trabes dedit Antiocho.

 Si au-

Si autem ambiguitas ex rebus oritur, vt cùm in genere aliquid dicitur & de ſpecie intelligitur, atque ita de alijs: tum explicetur in qua ſignificatione, & quomodo id quod propoſitum eſt, vtrum ſit, quomodo falſum.

Exempli gratia.

Nullus peccator exauditur a Deo, iuxta illud:
Peccatores non exaudit Deus,
Omnis homo eſt peccator, ergo
Nullus homo exauditur a Deo,

Reſpondendum eſt per diſtinctionem, Diſtinguo maiorem: alij ſunt peccatores agentes pœnitentiam, alij uon agentes pœnitentia. Maior vera eſt, ſi intelligatur de non agentibus pœnitentiam: Sed eſt falſa, ſi intelligatur de agentibus pœnitẽtiam, ſeu conuerſis ad Deũ, & ex falſa maiore ſequitur falſa concluſio.

Poterit & minor ſimiliter diſtingui.

Simile iudicium eſt de hac ratiocinatione:
Omne malum eſt fugiendum.
Pomum eſt malum, ergo
Pomum eſt fugiendum.

## *Quomodo ſoluuntur argumentationum genera quorũ ſimul & materia & forma eſt vitioſa?*

Cùm ex vtraq; parte, tam antecedentis videlicet, quam conſequentiæ eſt vitium, vtrunque eſt negãdũ. Vt ſi ponatur iſta vitioſa argumẽtatio.

Nulla oppoſita ſunt ſimul vera,
Quædam ſubcontraria ſunt oppoſita, ergo
Nulla ſubcontraria ſunt ſimul vera.

Diſſoluenda erit, per inficiationem antecedẽtis ſimul & conſequentiæ.

Propoſi-

Propoſitio enim maior citra omnem controuerſiam falſa eſt.

Conſequentia verò vitioſa eſt, quod concluſio ſyllogiſmi ſit generalis, cùm tamen antecedentis altera pars ſit ſpecialis. Quod facit aduerſus leges & regulas ſyllogiſmorum.

## DE SPECIALI SOLVTIONE.

Sicut generalis ſolutio, capita fallaciarũ (quæ tria ſunt, materia, forma, vtrunq;, complectitur: ita ad ſolutionis ſpecialis doctrinam pertinẽt fallaciæ (alij locos ſophiſticos vocant) quorum tituli monent, quod ſit peculiare in argumentatione vitium: & cum agnoſces, ad quem titulum accõmodanda ſit captio, iam via ſolutionis monſtrata eſt.

*Quid eſt ſolutio ſpecialis?*

*Solutio ſpecialis eſt, quæ argumentationis captioſæ vitium, proprio nomine prodit atq; demonſtrat.*

Veluti cum homonymiam, amphiboliam, accẽtus mutationem, aut aliud ſimile vitium in argumentatione committi, nominatim dicimus.

*Explica rationem ordinis, quo vtitur Ariſtoteles in iſta ſpeciali ſolutione tractanda?*

Præmittit Ariſtoteles nonnulla quæ cõmuniter ad omnem doctorum hominum concertationem pertinent, videlicet de elencho, de ratiocinatione, de diſputatione, de finibus ſophiſtarum, & deinde quæ ad ſolutionis ſpecialis explicationem proprie pertinent, declarat.

*Quomodo definit Ariſtoteles Elenchum?*

* Elenchus ſeu reprehenſio, eſt ratiocinatio,per quam non modò concluſio,ſed eius etiam diſparatum conficitur.

Hoc eſt,Elenchus eſt ratiocinatio, vim probãdi habens,& colligendi concluſionem quæ contradicat,aut contraria ſit aſſertioni reſpondentis: vt ſi defendat quis Medæam non amare prolem, & oppugnans hoc vtatur ſyllogiſmo:

Omnis mater prolem amat,
Medæa mater eſt,ergo
Medęa prolem amat.

*Quomodo definit Ariſtoteles hoc loco ratiocinationem?*

* Ratiocinatio eſt oratio,in qua ex quibuſdã poſitis,quippiam ab ijs, quę poſita ſunt, diuerſum ob id neceſſariò ſequitur, quia illa ſunt antè poſita.

*Quod eſt diſcrimen inter ratiocinationẽ, vt ea hîc definitur,& in prioribus analyticis?*

Nullum eſt diſcrimẽ,ſed eiuſdem & ijſdem ferme verbis,definito hoc loco repetitur, propter reprehenſionem,quę ſpecies eſt quædam ratiocinationis,nam omnis reprehenſio, ratiocinatio eſt,non autem ediuersò.

## DE DISPVTATIONE.

*Quid eſt diſputatio?*

*Diſputatio eſt veritatis indagandæ cauſſa, vel etiã mutuæ exercitationis gratia, aliquorum de propoſito themate,inter ſe diſceptatio?*

*Quotu-*

*Quotuplex est disputatio?*

Quadruplex: { Ad docendum accommodata, Dialectica, Ad tentandum apta. Contentiosa seu Sophistica. }

*Recita definitionem disputationum quæ ad docendum sunt accommoda?*

* Disputationes quæ ad docendum accõmodantur, sunt, quę cõstant ex proprijs cuiusq; disciplinæ principijs, nec vim habent ab eo, quod respondenti probatur.

Vt, disputatio, in qua quis vtitur hac demonstratione.

Quidquid constat, ex materia & forma, est mobile.

Omne autem corpus constat ex materia & forma.

Ergo, Omne corpus est mobile.

*Disputationum dialecticarum definitionem recita.*

* Dialecticæ disputationes sunt, quibus vtraq; pars cõtradictionis, ex probabilibus concluditur.

Vt disputatio in qua vtitur hoc syllogismo dialectico:

Omnis mater diligit filium,
Medęa est mater, ergo
Medæa non diligit filium.

Cuius conclusionis contradictoria, potest ex probabilibus similiter inferri:

Nulla mater, quę interficit filium, diligit filiũ,
Medęa est mater, quæ interficit filium, ergo
Medæa diligit filium.

*Quæ ad tentandum aptæ sunt?*

✱ Quæ ad tentandum valent disputationes, sunt, quæ ex ijs modò vim habent, quæ ei probantur, quo cum disputamus: quęquæ talia sunt, qualia ignorare non poßit, qui sibi alterius rei scientiam tribuit & arrogat.

Vt, disputatio, in qua ad tentandam alicuius scientiam, quis vtitur huiusmodi syllogismo:

Omnes pars est minor suo toto.
Caput est pars, igitur
Est minus suo toto.

*Quo syllogismo vtitur tentans disputator?*

Nullus est syllogismus ex ijs, de quibus dictum est, quo non aliquandò tentator vti poßit, ad periculum faciendum de scientia aut ignorantia respondentis. Potißimum tamen vtitur eo, qui procedit ex communibus: Si enim ea quæ communia sunt non norit, imperitiam suã prodit maxime.

*Quomodo definiuntur contentiosæ disputationes?*

✱ Contẽtiosæ disputationes sunt, quæ ex ijs, quæ probabilia videntur, nec sunt, aut concludunt necessariò: aut non concludũt, sed modo videntur.

Vt, disputatio, in qua sophista ad imponendũ vtitur hoc captioso & ridiculo syllogismo:

Quidquid non amisisti, habes,
Cornua non amisisti, igitur
Cornua habes: qui syllogismus ab Aristotele, Ἐριστικὴς, Latine contentiosus appellatur.

MONITIO.

In hac disputationum declaratione, ideo fuimus

mus breuiores, quod maxima eorum, quę ad hunc locum pertinet, pars explicata sit superius, tum posteriori parte libri quarti, tum initio libri quinti, vbi de demonstratione, de syllogismo dialectico & contentioso fusè tractatum est.

*Quis est vsus huius tractationis de disputationibus?*

Eo spectat disputationis tractatio, vt magis eluceat, quid inter cotentiosam seu sophisticam disputationem, quæ præsentis est instituti, & cæteras intersit.

Pręterea vt intelligamus ad quē quęq; disputatio finē vergat. Distinguūtur enim hęc disputationū genera iuxta diuersos fines proximos, qui sunt docere, opinionem gignere, de alterius scientia periculum facere, & fallere atque efficere vt quis doctus videatur. Ad primum consequendum destinatur disputatio didascalica. Ad secundū dialectica. Tertium sibi vendicat tentans. Ad quartum verò dirigitur contentiosa & sophistica.

## DE METIS ET FINIBUS SOPHISTARUM.

*Quot sunt metæ, ad quas pertrahere respondentem nituntur ij, qui contentiosa vtuntur disputatione?* *Ex ca.2.*

Quinq;, videlicet:
- Reprehensio,
- Falsum,
- Incredibile,
- Solœcismus, &
- Nugatio.

Hos enim fines veræ & solidæ argumentationi propositos, aut verè assequi, aut videri vt minimū

assequi nititur sophista, vt videatur eruditus & sapiens ob victoriam, aduersus eum cum quo disputat, reportatam.

*Quid est reprehensio?*

*Reprehensio est priùs concessi negatio, vel priùs negati cõcessio in eadem disputatione, vi argumẽtationis extorta*: Vt si respondens negauerit, se carnes crudas comedisse, aduersus ipsum instabit sophista hoc modo:

Quidquid emisti, comedisti,
Carnes crudas emisti, igitur
Carnes crudas comedisti.

Quod si huius argumentationis illa quam præse fert efficacia concesserit, quod prius negauerat, ad reprehensionis metam pertractus dicetur: At si non in eadem disputatione, aut nulla vi argumenti, sed sponte, propriaque voluntate quis idipsum quod priùs negarat admiserit, aut negauerit priùs admissum, non coarguitur.

*Quid est meta falsi?*

*Falsi meta nihil aliud est, quàm concessio manifestè falsi, ad quod concedendum vi argumentationis respondens deductus est.*

Vt: si quis cogatur concedere, cæleste sydus latrare posse, hoc syllogismo.

Omnis canis latrare potest,
Sydus cæleste est canis, ergo
Sydus cæleste latrare potest.

*Quid est meta incredibilis?*

*Est concessio eius, quod cõtra omnium vel multo-*

*rum*

*rum, siue sapientum, siue eorum, quorum sentẽtiam tutamur, opinionẽ facit, vi argumẽtationis extorta.*

*Quomodo distinguitur incredibile à falso?*

Incredibile à falso distinguitur, quod quidquid falsum est, sit & incredibile, sed non contrà. Sunt etenim pleraq; incredibilia vera, vt mundũ incepisse, est Aristoteli incredibile & admirabile, quod tamen esse certissimum ostendit scriptura.

*Profer exemplum metæ incredibilis.*

Ad hanc metam deducitur, qui regem diuitem & felicẽ, confitetur esse miserum & infelicem, per hanc argumentationem impulsus.

Quemcunq; contingit ab aliquo superari, miser & infelix est,

At regem diuitem & felicem, contingit ab alio superari, igitur

Res diues & felix, miser est & infelix.

*Quid est meta solœcismi?*

*Meta solœcismi est, approbatio vitiosæ orationis vi argumentationis extorta.*

*Quid est solœcismus?*

*Solœcismus à Donato definitur, esse vitiũ in contextu partium orationis, cõtra regulã artis Grammaticæ factum.*

Videtur autem hoc loco & pro Barbarismo communiter accipi.

*At barbarismus à Donato describitur, esse vna orationis pars vitiosa in communi sermone.*

A Diomede verò, contra Romani sermonis legem, aut scripta, aut pronuntiata, vitiosa dictio.

*Da exem-*

*Da exemplum metæ solœcismi.*

Vt, si quis hanc orationem, mulier est candidus, cogatur approbare vi istius syllogismi compulsus:

Omnis homo est candidus,
Et mulier est homo, ergo
Mulier est candidus.

*Quid est meta nugationis?*

*Meta nugationis, est coacta per argumētationē approbatio orationis ineptæ, quæ eiusdem verbi inutilem repetitionem continet.*

*Quid est nugatio?*

*Nugatio propriè est, eiusdem verbi, in eadem orationis parte, inutilis repetitio.*

*Profer exemplum meta nugationis.*

Vt si quis cogatur hanc ineptam orationem approbare, Plato est doctus homo doctus, Hac sophistica argumentatione coactus.

Plato est doctus, &
Plato est homo doctus, ergo
Plato est doctus homo doctus.

## DE FALLACIIS verborum.

EXpositis sophistarum finibus, ex quibus quodammodo desumi queunt sophisticarum rationum genera, addit Aristoteles.

„ Hoc primum est, & maximè contendunt hu-
„iusmodi homines, vt coarguere respondentem
„videantur: & paucis interiectis subiungit: Sunt
„autem

„autē reprehēſionum generales duo modi: Vnus
„in verbis,alter in rebus.Atq; ille quidem modus
„in quo vis captionis ex verbis oritur,in ſex par-
„tes diſtribuitur,quæ ſunt: Vocabuli multiplici-
„tas, orationis ambiguitas, coniunctio, diuiſio,
„accentus,forma dictionis.Hæc ille.

Sed priuſquam hæc perſequamur, annotādum in primis eſt,quòd quemadmodum argumentatio dialectica ex legitima forma & materia firmitatem accipit: ſic ſophiſtica ratiocinatio ſpeciem quandam firmitatis ſumit ex horum falſa imitatione. Cæterùm ad fallaciam omnem,neceſſum eſt duo concurrere.

Quorum:
- Vnū eſt,probabilitatis aliqua ſpecies, quam cauſſam apparentiæ vocāt,quę efficit vt argumentatio videatur eſſe firma,eiq́; alius aſſentiatur.
- Alterum eſt,cauſſa defectus,ſeu argumentationis vitium, quod ipſam argumētationem deprauat,& infirmam reddit.

Ex his igitur duobus euenit, vt quis fallatur,& iudicet tale aliquid eſſe,quale videtur, & non eſt.

Inſuper aduertendum eſt,nomen fallacię variè accipi. Vulgo quidem pro argumentatione fallaci,vt fallacia ſit nihil aliud, quàm inſtrumentum ad decipiendū idoneum, quò efficitur vt id quod eſt verum,falſum eſſe credatur, aut quod falſum eſt,eſſe verum: aut quod probādi vim non habet, efficax eſſe ad probandum, accedente aliqua probabilitatis ſpecie.

Propriè verò fallacia, eſt ipſa deceptio ſeu error,pręſertim quo ſpecie aliqua veri deceptus auditor ducitur. Cauſſam autem falſitatis ſeu defe-

ctus indicant nomina, quæ à Dialecticis tribui solent fallaciarũ modis, vt postea ex declaratione eorum & exemplis intelligi poterit.

Porrò siue hoc, siue priori modo sumatur fallacia, rectè illi conueniunt partes, quæ paulò superiús sunt commemoratæ, videlicet fallacia verborum, & fallacia rerum, de quibus nobis est in præsentia agendum.

*Quid est fallacia verborum?*

*Fallacia verborum est, quæ probabilitatis suæ speciem sumit ex dictione vel oratione, hoc est, voce ex instituto significante.*

Ac proinde facilè intelligitur ab ijs, qui Grammaticen rectè didicerũt, & eas linguas intelligũt, ex quibus voces ambiguæ sumũtur: vt filios incredulitatis, Hebraica phrasis incredulos appellat, seu deditos incredulitati. Ad similẽ modum, & filios contumaciæ, contumaces: filios ebrietatis, ebriosos, seu deditos ebrietati, aut contumaciæ.

*Estne aliquod genus, quo comprehendi queant omnes species fallaciarum & captionum, quæ in verbis versantur?*

Est, videlicet ambiguũ: omnia enim hæc nomina:

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Homonymia, | Ὁμωνυμία, |
| 2 | Amphibolia, | Ἀμφιβολία, |
| 3 | Coniunctio, | Σύνθεσις, |
| 4 | Diuisio, | Διαίρεσις, |
| 5 | Accentus, | Προσῳδία, |
| 6 | Forma dictionis. | Σχῆμα λέξεως. |

Vna

Vna generali voce ambiguum ſignificari poſſunt. Sed Ariſtoteles hos ſex caſus recitat, vt iudicet diſcrimina ambiguorum. Alia enim ſunt in vna voce, alia in compoſitione, vt patet ex eorum definitione.

## DE HOMONYMIA.

*Quid eſt homonymia?*

*Homonymia eſt captioſa argumentatio, in qua oritur deceptio ex ambiguitate vnius vocis.*

*Cur homonymia, et alia quæuis ambiguitas, vitioſam efficit argumentationem?*

Quia cùm vox ambigua, diuerſa ſignificet, fit vt euadant quatuor termini in ſyllogiſmo. Quapropter in eiuſmodi ſophiſmatibus, neganda eſt conſequentia, & rationis loco dicendũ, quia committitur æquiuocationis fallacia, aut, quia ſyllogiſmus ad quem reuocatur eiuſmodi argumentatio, quatuor habet verba.

Exempli gratia:

Omne corpus eſt ſubſtantia,
Trina dimenſio eſt corpus, ergo
Trina dimenſio eſt ſubſtantia.

Reſpondendum, nego conſequentiam, & ratio eſt, quia eſt fallacia æquiuocationis. In maiore, corpus ſignificat ſubſtantiam corporeã. In aſſumptione autem quantitatis ſpeciem. Atq; per hanc captionis ſpeciem ſæpè multumq; imperiti decipiuntur. Iuxta illud:

Erroris mater fuit æquiuocatio ſemper.

DE

## DE AMPHIBOLIA.

Amphiboliam in eo ab homonymia distinguit Aristoteles, quod nō vna vox, sed oratio ambiguam sentētiam intra se claudat, cuiusmodi est illa Apollinis oratio.

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Cuius ambiguitas ex eo depēndet, quod accusatiuus (te) vt etiam (Romanos) nunc à tergo, nunc à fronte verbi (vincere) construi posʃit, atq; ita incertum relinquitur, an Aeacides, hoc est, Pyrrhus Romanos vincere posʃit, an contrà, Romani Aeaciden.

Huiusmodi exempla multa sunt in prouerbijs & oraculis.

*Quid est Amphibolia?*

*Amphibolia, est captiosa argumētatio, qua quis propter ambiguitatem, quam parit non vnica vox sed tota oratio, decipitur.*

*Profer aliquod exemplum amphiboliæ?*

Quisquis arat littus, littus proscindit aratro,
Ast operam perdens, littus perhibetur arare,
Ergo operam perdens, littus proscindit aratro.

Huius enim orationis arat littus, ambiguitas captioni locum dedit.

*Quot modis contingit æquiuocatio & amphibolia, iuxta doctrinam Aristotelis?*

*Tribus, Quorum?*

PRIMVS EST.

„ Quando nomen vel oratio propriè ac per se, „multa significat. Vt, canis vel aquila. Item hæc oratio, liber Aristotelis.

SECVN-

SECVNDVS.

„ Quando ex vsu loquendi multiplicitas nascitur, id est, quando nomen vel oratio plura ita „significat, vt alterum primò, & alterum se„cundariò: vnum propria significatione, alterum μεταφορικῶς. Vt, Sanum. Item, arare littus.

TERTIVS.

„ Tertius est, cùm verba coniuncta multis mo„dis accipi possunt, separata simplicem habent si„gnificationem: Vt enim multiplicia nō sint sin„gula hæc verba, scire, & literas, coniuncta tamē „multis modis accipi possunt. Aut enim signifi„cant ipsas literas scientiæ capaces esse, aut verò „literarum cognitionem alterum, vnde fiet fallacia: Contingit scire literas, ergo contingit quòd literæ sciant.

## DE CONIVNCTIONE & diuisione.

*Quid est fallacia coniunctionis?*

*Est captiosa argumentatio, qua ex propositione vera in sensu diuiso, & falsa in sensu coniuncto, infertur cōclusio falsa, quæ nō potest ex illa propositione inferri, nisi intellecta in sensu coniuncto.*

*Profer exemplum fallaciæ compositionis.*

Vt, Sedentē possibile est stare, ergo fieri potest, vt sedens stet. Antecedēs enim est verum in sensu diuiso, cùm non aliud significetur, quàm quòd is, qui modò stat, habeat facultatem aliquando sedendi, ex qua propositione sic sumpta, non potest inferri illud consequens: sed rectè concluderetur,

si ea propositio sumeretur in sensu cõiuncto, qui falsus est.

*Quid est fallacia diuisionis?*

*Fallacia diuisionis, est captiosa argumẽtatio, quæ ex propositione vera, in sensu coniuncto, & falsa in sensu diuiso, infertur cõclusio falsa, quæ nõ potest ex illa propositiõe inferri, nisi intellecta in sensu diuiso.*

*Producas exemplum fallaciæ diuisionis.*

Vt, impossibile est, sedentem stare, ergo
Impossibile est eum, qui nunc sedet, aliquando stare.

Nam antecedens est verum in sensu cõiuncto, & falsum in sensu diuiso, ex quo infertur conclusio falsa, quę non sequitur ex illo antecedente, nisi quando intelligitur in sensu diuiso.

*Habéntne istæ fallaciæ coniunctionis & diuisionis, in alijs quàm modificatis propositionibus locum?*

Habent & in alijs: Videlicet quando aliqua determinatio quatenus diuersis coniũgitur determinabilibus, vel idem determinabile diuersis determinationibus, varios sensus efficit, alterum verum, alterum falsum.

*Quæ est coniunctio, & quæ diuisio in eiusmodi ambiguis enuntiationibus?*

Generatim in his, compositio & diuisio considerantur, iuxta situm partium magis, vel minus legitimum: vt sensus, qui sumitur ex debita partium collocatione, dicatur coniunctus: qui autem iuxta minus debitam, dicatur diuisus.

Ne quis-

Ne quiſquam autem de magis vel minus iuſta collocatione dubitet, ea ex eorum iudicio & ſententia petenda eſt, qui in arte excellentiores habentur.

Ad cuius rei accuratiorem notitiã, quidam hac ætate literarum apprimè eruditi, hoc in loco plures cõſtituere ſolent regulas, è quibus hęc vna eſt.

Si determinabile aliquod (hoc eſt, vox quę per aliam arctari & determinari poteſt) inter duas determinationes, aut vna determinatio inter duo determinabilia vtriq; æquè vicina, cum pręcedẽti iungatur, plerunq; ſenſus eſt compoſitus, & ſitus partium orationis iuſtior & magis debitus.

Vt in his orationibus non diſtinctis.

Quidquid viuit ſemper erit. Si quid viuit ſemper eſt.

Vidi imaginem auream veſtem habentem.

Ego te ſeruum feci liberum, Si, ſemper, auream, ſeruum, referantur ad prius determinabile, ſenſum eſſe volunt compoſitum, ſin ad poſterius diuiſum.

### *Cur in regulã ponunt Dialectici iſtam particulam (vtriq; ex æquo propinqua?)*

Quoniam ſi non ex æquo vtriq; vicina fuerit, tunc ſi propinquius determinauerit, ſenſum eſſe dicunt coniunctum, & ſitum partium magis conuenientem. Vt in hac oratione non diſtincta, Quicunque ſcit literas, nunc didicit eas, ſi ſic diſtinguas: Quicunque ſcit literas, nunc didicit eas ſitus partium eſt magis legitimus, & ſenſus compoſitus, ſed falſus.

Si aliter diſtinguas: Quicunq; ſcit literas nunc, didicit eas, ſenſus efficitur diuiſus & verus.

*Profer exempla captionum coniunctionis & diuisionis, quæ ex varia determinandi ratione, oriuntur.*

Quicunq; ſcit literas nunc didicit eas,
Atqui Grammaticæ peritus ſcit literas, igitur
Nunc didicit eas.

Item, ex hac oratione, Ego ſeruum feci liberum, fiunt parologiſmi, hoc modo:

Quemcunq; ego ſeruum feci liberum, eum ſeruituti ſubieci,
Hunc hominem à me libertate donatum, ſeruum feci liberum, ergo
Hunc hominem à me libertate donatum, ſeruituti ſubieci.

RVRSVS.

Quemcunq; ego ſeruum feci liberũ, eum libertate donaui.
Hunc hominem à me ſeruituti ſubiectum, ſeruum feci liberum, ergo
Hunc hominem à me ſeruituti ſubiectum, libertate donaui.

## DE ACCENTV.

*Quid eſt fallacia accentus?*

*Eſt argumẽtatio, quæ fallendi vim habet ex voce eadem ſecundum literas & ſyllabas permanens, plura ſignificat, propter diuerſum proferẽdi modum.*

*Cur dicit Ariſtoteles hanc fallaciã accentus, magis habere locũ in ſcriptura, quàm in oratione, viua voce pronuntiata, præſertim cũ apud Græcos accentuum*

*tuum diuersitas, in scriptura diligētissimè notetur: & facillimè cognoscatur.*

Aristoteles illud dicit, quia antiquissimos Græcos sine vllis, aut spirituum, aut accentum notis scripsisse, certum est. Docent enim id apertè vetusti quidam, qui extant codices Græci, ac prætereà etiam marmorea monumenta vetustissima, quæ Romę adhuc visuntur, nudis solùm characteribus incisa, absque vllis literarum apicibus. Vt liquidò constet, huiusmodi virgularum apicumq; suprascriptiones, non in illa primæua Græcæ linguæ origine fuisse excogitatas, nec ad eius integritatē vsquequaque pertinuisse.

*Quot modis fit accentus fallacia?*

Sex modi huius fallaciæ, à Dialectis commemorari solent.

*Recita eos modos, additis, ad maiorem declarationem singulorum exemplis.*

PRIMVS EST.

Quando significatio variatur propter accētum mutatum, qui est triplex, acutus, grauis, & circunflexus, vt pendére à pédeo, profertur accentu acuto in penultima: à pendeo verò profertur accentu graui. Vnde sophisma fit huius loci.

Quencunq; æquū est pendére, iustè suspéditur,
Sed æquum est tortorem pendere, ergo
Tortor iustè suspenditur.

SECVNDVS.

Quando voces similes (quantitate tamen differentes) pro ijsdem accipiuntur: Vt,

Omnis populus est arbor,
Collectio hominum est populus, ergo

Hominum collectio est arbor.

Nam populus arbor, primam habet longam, sed pro hominum collectione, breuem iuxta vulgatum carmen.

Populus est arbor, populus collectio gentis.

TERTIVS.

*Quando voces similes, spiritu tamen, et ob id significatione dissidentes, pro iisdem sumuntur.*

Est autem spiritus duplex: { Asper & Lenis.

Asper apud Latinos notatur per h: Lenis verò non signatur: Vt, hara & ara: abeo, habeo, Vt,

Si abeo recedo, argentum habeo, ergo recedo.

Omnis hara est porcile, In templo est ara,

Ergo in templo est porcile.

QVARTVS.

Quartus modus est, quando dictio aliqua nunc diuiditur, nunc integra manet: Vt,

Quidquid inuitè fit, coactè fit, Vinum fit in vite, ergo fit coactè.

QVINTVS.

Huc referunt captiones ex mutatione diphthongi factas: vt,

Qui fouet æquum, iustam tuetur caussam,

Hic auriga fouet equum, ergo iustam tuetur caussam.

SEXTVS.

Quando gestus pronuntiationis mutatur. Gestus enim in pronuntiatione sententias mutat, vt in ironia, Cum aiente oratione significamus negationem, & econtrariò.

Ex va-

Ex vario igitur modo pronuntiandi secũdum Interrogationem, aut affirmationem, secundum ironiam, aut secundũ seriam assertionem. sic contingit fallacia:

Quicunq; alteri dicit, egregiè functus es officio tuo, collaudat illũ pro bene peracto negocio.

Is autem qui alterum irridet, ita subinde loquitur, cùm nihil etiã minùs quàm laudare velit (quemadmodum est illud apud Virgilium: Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis) igitur,

Qui alterum irridet, eundem collaudat.

Hic fit fallacia ex ironica pronuntiatione.

## DE FORMA dictionis.

*Quid est fallacia formæ dicendi?*

*Fallacia formæ dictionis est, captiosa argumentatio, proueniẽs, inde quòd alterius verbi specie falsi in ijs eandem esse rationem interpretamur, in quibus non est eadem ratio.*

„ Veluti (inquit Aristoteles) cùm masculinũ ad „fœmininum genus transferimus, aut contrà fœ„mininum ad masculinum: aut verò cùm neutrũ „genus malè accipimus: & cùm ad qualitatẽ trãs„ferimus quantitatem: aut contrà, ex qualitate fa„cimus quantitatem: & cùm id quod facere signi„ficat, in patiendi significatione accipimus. De„nique cùm id quod certam quandam affectio„nem declarat, pro actione sumitur. Eodéq; mo„do in alijs omnibus categorijs.

*Expone partes descriptionis Aristotelicæ.*

Masculinum transferimus ad fœmininum genus, id est, tanquam fœmininum concludimus. Et primo quidem: Quando nomen masculini generis concluditur esse fœminini generis propter similitudinem, quam habet masculinum cum fœminino.

Vt, musa est fœminini generis, ergo & poëta.

Secundo, quando nomini masculini generis in conclusione, attribuitur proprietas fœminini generis, ex eo quòd nomen fœminini generis, habet similitudinem cum nomine masculino. Vt, Omnis aqua est humida, Mosa est aqua, ergo Mosa est humida.

Simile iudicium est de eo, quod fœmininum ad masculinum transferimus: Item, neutrum genus, ad masculinum vel fœmininum.

Ex qualitate facimus quantitatem, vno modo: Quando id quod est categoriæ qualitatis, concluditur esse categoriæ quãtitatis propter similitudinem, quam habet cum voce eius categoriæ. Vt, lineatum est categoriæ quantitatis, ergo etiam coloratum est categoriæ quantitatis.

Altero modo, quando sub voce categoriæ qualitatis assumitur vox quæ est categoriæ quãtitatis, & concluditur quasi illa prior fuisset eiusdem categoriæ. Vt,

Qualescunq; digitos heri habuisti, tales modò habes.
Quinq; digitos heri habuisti, ergo
Hodie quinque habes.

Similiter explicandum est, quomodo ad qualitatem transferimus quantitatem. Vt, coloratum est categoriæ qualitatis, ergo & lineatum.

Id quod

Id quod facere significat in patiendi significatione accipimus, hoc modo:

Audire est pati, ergo & ferire: ecōtrariò fiet sic argumentatio: Ferire est agere, ergo & audire.

ADMONITIO.

Annotant neoterici hunc sophisticum locum, generale esse receptaculum, & quasi publicum diuersorium omnium sophisticarum reprehensionum qualesquales extiterint. Nam omnis sophistica argumentatio, speciem suæ fucosæ probabilitatis habet ex similitudine, cū alia quæ valida est ratiocinatione, quòd an rectè, an secus dictum sit, alij videant. Nos ad fallacias rerum transimus.

## DE FALLACIIS rerum.

*Quid est fallacia rerum?*

*Est quæ fucata suæ probabilitatis caussam in rebus non recte perceptis, positam habet.* *Ex.ca. 3.*

Vt, animal est expers rationis, homo est animal, igitur homo est expers rationis.

Nam falsa maioris intelligētia nititur eiusmodi sophistica argumentatio, nimirum quasi in ea sit necessaria & essentialis terminorū inter se cōnexio, cùm re vera sit tātummodo fortuita & nequaquam necessaria.

*Quot sunt rerum & sententiarum fallaciæ?*

Septem videlicet.

1. Ex accidente.
2. Ex eo quod simpliciter aliquid dicitur, vel non simpliciter.

3 Ex ignoratione reprehensionis.
4 Ex petitione principij.
5 Ex consequente.
6 Ex non caussa vt caussa.
7 Ex eo quod quę multæ sunt interrogationes, pro vna accipiatur.

## DE FALLACIA accidentis.

*Quid est fallacia accidentis secundum Aristotelem?*

* *Fallacia ex accidente est, quando rei subiectæ et accidenti eadem omnia attribuuntur.*

Id est, quando idem attributum prædicatúmve simili modo existimatur conuenire accidenti, seu medio in propositione maiori, & rei subiectæ in conclusione, cùm tamen res aliter se habeat, hoc est paucis: Quando non sequitur conclusio ob prauam medij dispositionem.

Vt animal est rationis expers, homo est animal, ergo homo est rationis expers: attributum est ratiōis expers, quia hoc accidēti & rei & subiectę tribuitur. Accidēs est animal, homo est res subiecta.

Attributum enim hoc loco est primum verbū, & res subiecta, postremū verbum. Accidens verò accipitur hic pro eo quod repugnat alteri, quatenus ad tertium refertur. Iuxta quam sententiam (quæ est beati Thomæ) non solum inferius superioris collatione est accidens, sed & superius, respectu inferioris, vt in exemplo iam commemorato, est manifestum.

Si in genere loquamur de fallacia accidētis, per attri-

attributum, intelligimus terminum cõmunem: per rem subiectam, terminũ illatum: per accidens terminum inferentem. Sic expositis vocibus, ista fallacia erit omnium fallaciarum commune receptaculum. Sed videant studiosi, num hoc ex sententia fiat Aristotelis.

Sicut & illud quod hîc adijciunt, nullum esse incommodum, si admittamus plurimos, ne dicã omnes huius fallaciæ parologismos ad figuræ dictionis fallaciam pertinere, etsi alia ratione. Nam (inquiunt) quatenus prouenit deceptio ex dictionis similitudine, aut affinitate quam habet cum bona argumentatione, est formæ dictionis fallacia. At quatenus prouenit ex rerum incommoda connexione, erit ex accidenti fallacia.

## DE FALLACIA EX EO quod simpliciter aliquid dicitur, vel non simpliciter.

*Quid est fallacia, ex eo quod omnino ac simpliciter esse dicitur?*

*Est argumentatio, qua malè argumẽtatur sophista à non simpliciter dicto, ad dictum simpliciter.*

*Quid est dictum ex parte, aut non simpliciter? Quod cum adiectione quadam dicitur, circunstantijsq́ finitum est.*

Vt animal album comparatione vocis, animal. Item, animal album dentibus, ad animal album. Istud dictum non simpliciter superius in locis dialecticis, pars ex modo vocatum est.

Quid

*Quid est dictum simpliciter?*

*Dictum simpliciter est, quando sine adiectione sumitur.*

Illud vocatum est ante in locis Dialecticis totum ex modo. Vt, animal, ad animal album.

*Quibus modis hac fallacia à dicto non simpliciter ad dictum simpliciter contingit?*

PRIMVS EST.

Quando in antecedente vnicum dictum ex parte reperitur: Vt,

Hector est homo pictus,
Igitur est homo.

Huius quoq; modi sunt, vbi locus, tempus, ad aliquid, aut secundum aliquid omittitur.

Locus. In templo mercaturam exercere, nefas est, ergo
Mercaturam exercere, nefas est.

Tempus. Cùm timetur naufragium, expedit merces in mare abijcere, ergo
Expedit merces in mare abijcere.

Comparatio. Diuitiæ malè vtentibus, nō sunt bonæ, igitur
Diuitiæ bonæ non sunt.

Ex reliqua parte, Vt: Ciconia rostro russa est, ergo est russa.

SECVNDVS.

Quando in antecedente adhibetur & dictum simpliciter, & ex patre: Vt, Aethiops est niger, & est albus dentibus, ergo est niger, & est albus.

TERTIVS.

Quãdo in antecedente duo sunt dicta ex parte ex quibus inferuntur opposita de eodé: Vt, Fuscũ est

est album ad nigrum,& nigrum ad album cōparatum,ergo fuscum est album & nigrum. Item, Aethiops est ex maiori parte niger,& est albus dētibus,ergo Aethiops est albus & niger.

Videntur etiam huc pertinere argumentationes vitiosæ,à coniunctis ad diuisa. Vt cùm sic argumentamur: Hic homo est bonus musicus,igitur est bonus & est musicus. Et laudatissimus artifex,igitur est laudatissimus,& est artifex. Est bonus latro,aut bonus fur,igitur est bonus,& est latro,aut fur.

Sub hac fallacia quoq; cōprehenditur fallacia à dicto simpliciter ad dictum secundū quid: Vt,

Aethiops non est albus,ergo
Non est albus dentibus.

*Contra quem locum dialecticum peccatur in his captiosis argumentationibus?*

Captiones à dicto simpliciter,ad dictum ex parte,sunt vitiosæ argumentationes à toto ex modo, ad partem. Contra,à dicto ex parte , sunt vitiosæ argumentatione à parte ex modo,ad totum.

## DE FALLACIA EX IGNOratione elenchi.

*Quomodo describitur fallacia ignorationis elenchi seu reprahensionis?*

*Fallacia ignorationis elenchi,speciatim describitur,quod sit captiosa argumētatio,propter omissam aliquā ex posterioribus particulis,quæ in definitione elenchi collocantur,videlicet in eodem,ad idem, similiter,in eodem tempore:*

*Recita*

*Recita elenchi definitionem, quam hoc loco habet Aristoteles.*

* Elenchus seu reprehensio, est contradictio vnius & eiusdem, non nominis, sed rei & nominis, atq; adeò eiusdem nominis, vt non synonymum sit, sed idem ipsum: quæ contradictio ex ijs quæ sunt posita, ita sequitur necessariò, vt in sumptionibus non sit acceptum illud, de quo est instituta disputatio: quæ deniq; ita facta est, vt pars vtraq; in eodem, ad idem, eodem modo, & eodem tempore sumatur.

Hoc est paucis, Verus elenchus est syllogismus qui vim probādi habēs, infert verè contradicentem, vel contrariam positioni respondentis.

*Quod est discrimen inter hanc elenchi definitionē, & eam, quæ paulò superius est declarata?*

Si sensus spectetur, nullum est discrimē: si quid sit discriminis, id eo situm est, quod quæ ibi tectè & breuiter indicata sunt, hic aperte & diffusè explicentur.

*Recita modos, quibus fallacia ignorationis elenchi fieri consueuit.*

Primus est, quādo omittitur particula, in eodē. Vt, hoc lignum est æquale illi in longitudine, & non est illi ęquale in latitudine, ergo est ęquale illi, & non æquale.

Secundus est, cùm omittitur particula, ad idem,

Vt

Vt: Duo sunt duplum vnius, & non sunt duplum trium, ergo sunt duplum, & non sunt duplum.

Tertius, cùm omittitur particula, similiter. Plato est sapiens, & non necessariò est sapiens, ergo est sapiens, & non sapiens.

Quartus, quando omittitur particula, in eodem tempore: Vt, Democritus hoc tempore ridet, & illo non ridet, ergo ridet, & non ridet.

Fit autem fallacia reprehensionis in contradictorijs, aut contrarijs, aut priuãtibus, non relatis: illa enim comparatione diuersorum, aut diuersa ratione, de eodem possunt prędicari. Vnde hic nulla est fallacia, sed firma est & dialectica argumentatio.

Dauid est filius Isai, & est pater Solomonis, ergo est filius & pater.

Item, Paulus est magnus si ad Petrum cõferas. Et est paruus si ad Goliath, Ergo est magn' & paruus, recte sequitur, vt docet Aristoteles aperte in contextu de proprietatibus quantitatis.

## *Quæ est comparatio inter fallaciam ignorationis elenchi, & dicti ex parte?*

Inter fallaciam ignorationis elenchi, ( vt speciatim supra describitur) & ad fallaciam ex dicto secundũ quid est comparatio minus cõmunis ad magis commune. Nam licet non omnis fallacia ex dicto secundum quid (vt ex exẽplis primi modi eius palam est (sit fallacia ignorationis elẽchi: attamen econtrariò. Omnis ignorationis elenchi fallacia ( vt speciatim supra describitur,) videtur esse ex dicto secundum quid, secundi aut tertij modi, primus à nobis recitati.

*Quare*

*Quare in responsione tua addidisti, vt speciatim suprà describitur?*

Nam postea Aristoteles latè accipit fallaciam ignorationis elenchi, vt sit captiosa argumentatio, propter omissionem cuiusuis particulæ in definitione elenchi collocatæ. In qua generali significatione cæteras omnes fallacias suo ambitu cõplectitur, cæteraq; ad ipsam, veluti vt vnũ omnium genus & caput reuocantur.

„ Quod per hanc rationem manifestum est. Est „enim (inquit Aristoteles) hoc in definitione re„prehensionis positum, vt ex ijs quę posita sunt, „conficiat id quod vult, atq; ita conficiat, vt ne„cessaria sit reipsa conclusio nõ tantũ videatur.

Qua ex parte vitiosa sunt omnia fallaciarum genera.

## DE FALLACIA EX SVMPtione eius, quod est propositum.

*Quid est fallacia sumptionis propositi?*

*Fallacia sumptionis propositi seu petitionis principij, est captiosa argumentatio, cuius antecedẽs non est notius consequente, sed est vel ignotius, vel æquè ignotum.*

Vt si quis hanc, Aliquis homo ridere potest, conetur probare hoc modo, Omnis homo ridere potest, ergo aliquis homo ridere potest.

Est & hîc petitionis principij fallacia: Clodius insidiatus est Miloni, ergo Clodius insidias Miloni struxit. Verberauit, igitur percussit. Quãquam enim in sermone licitum sit, eandem sententiam muta-

mutatis verbis efferre, tamen in probando, omninò sunt inutile ςταυτολογίαι, cùm (vt aiunt) ignotum, per æquè ignotum ostendere conamur.

## DE FALLACIA EX consequenti.

*Quid est fallacia ex consequenti secundum Aristotelem?*

* *Fallacia ex consequenti, est captiosa argumētatio, quæ inde vim habet, quod retrò verti cōsecutiones existimemus, quæ minimè retro cōmeant. Quia enim ex hoc illud necessariò sequitur, ideo vicissim ex illo hoc effici, necessario opinamur.*

Vt, si quis credat hanc valere consequentiam: Hoc est flauum, ergo est mel, eó quòd cōtra sequatur: Est mel, ergo est flauum.

Item, si quis credat hanc esse firmam consecutionem, nullus homo est, ergo nullum animal est eò quod hæc sit firma argumentatio, homo est, ergo animal est.

## DE FALLACIA EX NON caussa, tanquam caussa sumpta.

*Quomodo definitur fallacia ex non caussa tanquā caussa iuxta Aristotelem?*

* *Fallacia ex non caussa tāquā caussa, est, cùm in sumptionib⁹ aliquid tale accipitur, quale potissimū videtur esse caussa reprehensionis, cū reuerà ea non sit caussa, cur ad extremū illud efficiatur, quod cōcluditur.*

Vt si quis hanc assignet aut proferat propositionẽ, Omne animal sentit, & alius ita argumẽtetur:

Omne animal sentit,
Omne animal videt,
Atqui homo cæcus est animal, ergo
Homo cæcus videt.

Sed consequẽs est falsum, ergo aliqua pręmissarũ Sed non illa, homo cæcus est animal, ergo ista ὑπόθεσις.

Omne animal sentit.

*Quomodo dissolui debet eiusmodi fallacia?*

Neganda ea antecedẽtis pars, ex cuius vitio manat consequẽtis falsitas: Cuiusmodi in proposito exemplo est maior illa: Omne animal videt Ex eo enim consequentis falsitas suam ducit origenem.

*Quomodo distinguitur hæc fallacia à defectu syllogismorum (nõ ex hoc effici falsum?)*

Hęc fallacia postulat, vt sit aliqua conuenientia præmissæ superfluæ cum cõclusione falsa, aut præmissę quæ est caussa. Quæ conuenientia in eo consistit, quod vel idem prædicatum habeant, vel subiectum idem: talis verò conuenientia non est necessaria in defectu syllogismorum, quia ibi nulla opus est, probabilitatis specie, sed solus sufficit defectus.

## DE FALLACIA EX EO, QVOD quę multę sunt interrogationes, pro vna accipiantur.

***Describe fallaciam ex eo, quòd quæ multæ sunt interrogationes, pro vna accipiantur, ex Aristotelis doctrina.***

Falla-

* *Fallacia qua multæ interrogationes vt vna accipiũtur, iuxta Aristotelẽ fit, quando ad interrogationes duas, perinde ac si vna sit, datur responsio vna.*

Vt proposita quęstione, vtrum hi sint cęci, nec ne? demonstratis duobus, quorum alter videat, alter non: Si respondeat quis citra distinctionẽ, aut verè redarguetur, aut coargui videbitur.

Verè quidẽ redarguetur, si affirmatiuè respõdeat, eos cæcos esse. Nam inde consequetur vidẽtem quoq; cæcum esse.

Prima autem specie, si eos cęcos esse negauerit. Nam inferet Sophista, ergo cæcus non est cæcus.

Si autem responderit distinctè, hic videt, ille non videt, iam euasit calumniam.

*Qua cautione vtendum est aduersus hoc fallendi genus?*

Ea quā indicat Aristoteles in lib. περὶ ἑρμηνείας, dum docet responsionem interrogationi conformem esse debere, vt ad interrogationem vnam, vna quoque detur responsio: ad multiplicem verò seu multas, distinctè respondeatur per multas enunciationes.

*Quis est verus & laudabilis fallaciarum vsus?*

In fallacijs multæ recitantur imposturæ, quarũ doctrinam tradi putandum est, non vt tenéra ætas assuefiat ad amorem sophisticè & fallaciter agendi, verum vt facilè iudicare atq; dissoluere, imò odisse captionem discat.

Sicut enim doctrina de venenis traditur vt vitentur, non vt hominum vitæ insidiemur. Ita Aristoteles nobis fallacias sophistarum detexit, non vt vtamur, sed ne decipiamur ab ijs, qui vtuntur.

Hęc igitur est iam explicati tractatus vtilitas, vt sciamus, quomodo sophistæ fucatæ probabilitatis reprehensiones cõficiant, quibus fallant imperitos, sapientesq́; videantur quod vehementer desiderant. Et vt technis varijsq́; artibus sophistarũ, quibus illi ad falsitatis patrocinium vtuntur, detectis, falsitas ex hominũ verbis & scriptis procul exterminetur: veritatis autem dignitas illibata, & inuiolata apud omnes permaneat.

Cap. II. Aristoteles ipse tripartitam huius doctrinę vtilitatem his verbis exposuit. Ac primum quidẽ (inquit) vtilis est duabus de caussis ad philosophiam. Vna est, quia cum maxima pars istarum captionum ex verbis ducatur, hoc nobis pręstat earum consideratio, vt verborum ambiguitatẽ faciliùs animaduertamus: & vt quę sint ea in quibus rerũ similitudo cum nominum similitudine conueniat, quęq́; illa in quibus verborum similitudinem res non imitantur intelligamus.

Altera est, quia ad res per nosipsos animo tractandas veriusq́; exquirendas plurimum valet. Nam qui facile ab altero captiosa ratione decipitur, neq; id percipit: idem si per se aliquid cõsideret, frequenter se ipse fallaci conclusione impediet.

Est autem & tertia præter illas duas vtilitas ad gloriam consequendam, nempe quod hinc fiat, vt videare omnibus in rebus exercitatus, & nullis esse imperitus. Qui enim cum altero sermonem confert, eiusq́; qui cùm disputat, rationes aspernatur ac vituperat, cùm vitiũ ipse indicare non possit, suspicionem is præbet, difficilem se & iniquum alteri præstare non propter veritatem, sed propter imperitiam.

PERO-

# PERORATIO AD Discipulos.

*HAbetis nunc, studiosi adolescentes, communes Logicæ præceptiones, in hoc vobis congestas, vt summam artis, & hinc quoq; plus iudicij præparati, ad Aristotelem afferatis: quorũ editione aliud volui nihil, quàm prodesse, et veteri illo molestissimo scribẽdi labore, qui vehemẽter discipulos cæteros cũ insigni temporis dispendio cruciare cõsueuit, vos liberare: simulq́ commonstrare præceptionum Aristotelicarũ non pœnitendum VSVM: Cuius tenuissima (nõ ausim dicere nullã) apud nos hactenus inter docendum extitit, vel nomen, vel cura, in tanto definitionum complendarum, præceptionumq́ & subtilitatum accumulandarum studio.*

*Quæ res multis modis nocet discentibus. Efficit enim in artib⁹ Labyrinthos, qui ingenia remorãtur & implicãt inextricabilibus laqueis, torquẽt inani cura, & à vero artium VSV abducũt. Deinde iudicium hebetant, calumniandiq́ gignũt amorem, qui postea in omni vita odiosissimos molestissimosq́ efficit calumniatores.*

*Quòd si quæ voluimus, etiam præstitimus, Deo Opt. Max. sit gratia, illiq́ soli gloria: Sin minùs, merebitur conatur noster veniã apud omnes humaniorum artiũ cultores, quos pro sua humanitate in iudi*


*cando de hoc licet immaturo fœtu (qui velut abortiuus inter quotidianæ professionis molestias nobis ad nullam ingenij laudē scribentibus excidit, dū solam discipulorū vtilitatem atq; præsentem necessitatem spectamus) candorem doctis viris dignū, dignum & probis omnibus, adhibituros confido, probè memores, facillimū esse aliena otiosè carpere, quod cauillatoribus, sophisticisq́; ingenijs odio dignis studio esse videmus.*

*Proinde, quæ nos rudibus, simpliciter, & (quod aiunt) pingui Minerua tradidimus, ad argutias & stulta sophismatum deliria non examinentur. Quæ consultè omissa sunt, viua præceptoris voce suppleātur. Denique, si quid excedere ingenia prorsus rudia aut tarda, nōnulli forsan iudicabunt, illud vt omittant, per nos licet: Meminerint prætereà eruditiores & eloquentiores me scholasticis hæc & scholis nostris initiò scripsisse, quibus vel inuiti in verbis definitionum reddendis, sæpe etiam in sententijs simul & exemplis seruire debuimus.*

*Nolim idcirco nimiū pertinaciter in verba nostra quenquam iurare, ne discipulū quidem: verum vbi alia quædam magis probabuntur, liberè qui volet, cum iusta tamen ratione & iudicio, non ex animi morbo, dissentiat. Nam neque nos ipsi bis, licèt iam semel emendatis, ita adstricti tenemur, quin meliora, exquisitioraq́; sequendi, complurium nostræ ætatis do-*

*tis doctissimorum prudentissimorumq́ virorum exemplo, liberam retinere velimus potestatem.*

*Interea pergite, adolescẽtes optimi, qua cœpistis modestia atq; studio, & æqui boniq́ facite consecratam hanc vnicè vestris commoditatibus operã præceptoris, qui, quod nuper et suo periculo, & magnis laboribus suis cœpit, illud amore vestri etiam nunc alioqui occupatissimus facere non desistit: vt quos ferre scribendi labores vos deberetis longè maximos, ipse vobis leuet, vnum se onerãs grauissimè, vos omnes, vt exoneret.*




ΤΕΛΟΣ.

Ἡ ΔΟΞΑ ΤΩ ΘΕΩ ΜΟΝΩ:
ἜΣΤΩ ΔΕ ΧΡΕΙΑ ΤΟΙΣ
ΜΑΘΗΤΑΙΣ.

*Soli DEO sit gloria,*
*Vsúsq; sit discentibus.*



